

BIBLIOTHÈQUE CLASSIQUE LATINE

— OU —

COLLECTION

DES AUTEURS

CLASSIQUES LATINS

AVEC

COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX


FRAGMENTS INÉDITS, RECHERCHES, DISSERTATIONS, INDEX, PORTRAITS, CARTES GÉOGRAPHIQUES, PLANS DE SIÉGES ET BATAILLES, TABLEAUX, ETC.

PAR N. E. LEMAIRE,

ANCIEN DOYEN ET PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A L'ACADÉMIE DE PARIS.

IMPRIMÉE PAR DIDOT.

SECONDE SOUSCRIPTION.



PARIS,

ON SOUSCRIT CHEZ M. EHRMANN,

RUE DE LULLI, N° 1, PLACE DE L'ANCIEN OPÉRA.



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
Jul. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS TERTIA

SIVE

OPERA PHILOSOPHICA

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LECLERC

RECENSITA


CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

M. N. BOUILLET

IN SANCTI LUDOVICI COLLEGIO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

VOLUMEN TERTIUM





PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXX

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

PRIUSQUAM hujus nostræ editionis rationem reddamus, pauca præfabimur de ipsius operis pretio, et de iis quæ ad tempus et locum, quibus scripti sunt hi libri, pertinent.

I. Jam tot et tanta sunt de his libris VV. DD. testimonia, ut supervacaneum sit aliquid velle eorum laudibus de nostro addere. Satis visum fuit exscribere eam epistolam, in qua Erasmus ad Joannem Ulattenum de sua in Tusculanis edendis (Basil. 1523) opera scribens, hos libros adeo commendat et miratur, ut ferme affirmet «auctorem apud superos quietam vitam agere». (Vide infra, post præfationes, pag. 5 et seqq. illam Erasmi epistolam.) Nonnulli Ciceronianæ philosophiæ admiratores vel longius progressi sunt; quos inter Latomus, si Vossio (Hist. Pelag. III, 3) fidem adhibeamus, non dubitat asserere, Xenophonti Ciceronique non aliam fuisse ac Abrahamo fidem: et Probus jam antea dixerat, teste Lupo, Ferrierarum abbate (ep. 20), Ciceronis Virgiliique animas in cælum fuisse recipiendas, «ne frustra, inquit, dominus in inferno otium triverit».

Hæc satis sint de ipsarum rerum et sententiarum dignitate et sublimitate. Si nunc, non jam philosophi, sed scriptoris ipsius laudem literariam spectaverimus, operæ pretium erit audire Olivetum, qui, hos

libros ab ea reprehensione vindicans, quod locis disjunctis nec satis inter se cohærentibus constare videantur, probe demonstrat quo vinculo omnes operis totius partes conjungantur; et Wolfium, qui ita et dictionis elegantiam et orationis luciditatem commendat, ut nullus ei liber erudiendæ juventuti aptior videatur.

Hæc sunt quæ loquitur Olivetus in præfatione quam suæ Tusculanarum versioni præposuit :

« Quoique, détachées et prises chacune à part, ce soient autant de questions indépendantes les unes des autres, il n'en est pas moins vrai que les cinq ensemble forment un corps des mieux construits. Unité dans le dessein, justesse dans la division, variété dans les matières, voilà, si je ne me trompe, tout ce qui peut contribuer à la perfection d'un ouvrage, quant au fond; et j'ai peine à croire qu'il y ait dans les écrits, ou anciens ou modernes, quelque autre plan mieux imaginé, plus régulier que celui des *Tusculanes*. Quel a été le but de Cicéron? C'est de faire bien comprendre à l'homme qu'il ne tient qu'à lui d'être heureux. Un sentiment confus et aveugle se soulève d'abord contre cette proposition. Mais quelle obligation n'aurai-je pas à un auteur qui pourra réussir à m'en convaincre? Je veux être heureux; toutes mes vues, tous mes désirs se portent là; cet instinct me parle à tous les moments de la vie; je puis renoncer à tout, excepté à l'envie d'être heureux : cependant je ne le suis point; dois-je m'en prendre à la nature ou à moi? Pour me décider là-dessus, il faut

que je rentre en moi-même, et que j'examine au vrai ce que je suis. Hélas! que suis-je? Un animal destiné à mourir tôt ou tard. Avant que d'arriver à ce dernier terme, je puis, et à chaque instant, me voir aux prises avec la douleur. Je puis, et à chaque instant, recevoir des sujets d'affliction. J'ai dans mon cœur le poison le plus funeste, une source intarissable de passions. Mais en même temps, pour combattre les divers ennemis de mon repos, j'ai une raison qui m'éclaire sur ce qui est bien ou mal; qui me fait sentir que je suis né pour aimer et pour pratiquer le bien; qui, par rapport aux maux dont je me plains, corrige l'erreur de mes sens, et qui enfin, si je suis docile à ses lois, me répond de ma félicité. Voilà ce qu'embrassent les cinq *Tusculanes*.... Aucun des philosophes grecs ne fut exempt d'erreurs; mais en même temps, combien ne leur doit-on pas de leçons utiles à la société, et qui sont allées insensiblement à l'extirpation de la barbarie? Cicéron en a fait un choix; il les a mises dans leur plus beau jour; et sans doute il mérite, n'eût-il composé que ses *Tusculanes*, de marcher à la tête des Anciens qui ont le mieux servi la raison».

Nunc audiamus Wolfium ineunte præfatione suæ editionis:

« In libris Ciceronis iis, quibus philosophia, e græcis hausta fontibus, populari ratione illustratur, nullum arbitror esse disciplinæ scholasticæ magis idoneum, quam hunc Disputationum, seu, ut vulgo inscribitur, Quæstionum Tusculanarum. Sive enim

res et argumenta spectemus, ea in hoc ita sunt de medio sumpta et communi intelligentiæ obvia, ut ipsa facilitas alliciat ad legendum; tum admirabilis inest copia sententiarum et præceptorum, quibus ingenium non prorsus servile ad excelsos de rebus humanis sensus imbuatur: sive latine de locis philosophiæ scribendi loquendique magistrum quæras, quum omnino nullus est Cicerone melior, tum hic maxime liber ejus ea scriptus est orationis forma, qua, quamvis id de industria non agas, in utraque facultate magnopere te adjuvari sentias. Ut sit igitur reliquis ex hoc genere libris, nominatim illis qui sunt de Finibus et de Officiis, minus doctus ac perpolitus; uti est sane (nimirum unius vel duorum mensium videtur fœtus esse): tamen id nullo modo obstat, quo minus ei usui, quem dixi, in primis accommodatus videri debeat. Immo latet in hac ipsa re quiddam, unde solerti magistro duce tirones nova quædam præsidia petere queant ad intelligendum et ad judicandum. In iis enim, quæ parum subtiliter disputat consularis philosophus, ut de immortalitate animorum, de ægritudinis definitionibus Cyrenaicorum et Epicuri, de Peripatetica defensione perturbationum, multisque aliis locis, infinita nascitur materia philosophandi, si quis, eleganti orationis vestitu detracto, animum ad ipsius disputationis et rerum cognitionem traducat: qua exercitatione nullam novi efficaciorem palæstram εὐφυΐας. Denique nondum video, cur ætatem in elementis hærentem statim a limine ad optimorum scriptorum præstantissima quæque ducendam

putemus, si eorum lectio obscuritate rerum impedita sit; quum præsertim talium operum virtutes non aliter quam comparatione leviorum sentiri cognoscique possint. Itaque nisi singulares quasdam causas olim versatas sciremus in scriptorum, qui juventuti prælegerentur, delectu habendo; mirandum esset, libros de-Officiis, etsi multo, ut dixi, accuratius scriptos, verum tamen isti ætati minus utiles, in plerisque scholis regnare, Tusculanis vix unius et alterius magistri beneficio locum concedi».

II. Quo planius intelligantur quidam loci, ubi Noster reipublicæ romanæ statum obiter attingit, sciendum est quo tempore, quos inter eventus, quo in loco libri illi Tusculanarum Quæstionum scripti fuerint.

Ex quo Cæsar dictator Romæ solus imperabat, senatu per timorem silente (ad Attic. XIII, 32), Cicero receptus in villis suis, tum Tusculi, tum Asturæ, tum Puteolorum, tum Arpini, studiis philosophicis totam dabat operam. Jam pæne continuo, et sine ulla intermissione, librum nomine *Hortensium*, Academica, libros quinque de Finibus composuerat, quum Tusculanas Disputationes scribere aggressus est : hi libri, incœpti medio anno 708, ante idus martias anni 709, Tusculana in villa absoluti sunt. Eventus enim omnes quos in his Noster memorat, jam ante posterius hoc tempus perfecti erant : et patet ex cap. quarto libri primi eos libros non ante incœptos fuisse, quam profectus est prætor Brutus in Galliam Cisalpinam; cujus provinciæ prætor priore anno,

nempe 707, designatus fuerat. Inter sua quæ memorat Noster his in libris opera, solus de Republica liber (de quo vid. IV, 1) jam aliquot ante annos scriptus fuerat, nempe anno Romæ 699 : cetera autem omnia opera, quæ his in libris citantur, scil. Consolatio, I, 27, III, 28; Hortensius et Academici libri, II, 2, anno 708 edita sunt; libri de Finibus mense sextili ejusdem anni in lucem prodiderunt (vid. super. voluminis præfat. p. 7, 8); unde colligitur ultimam Tusculanam, in qua hi libri citantur, post hunc mensem elapsum compositam fuisse. Et quum sub finem mensis septembris certum sit triumphantem Romæ rediisse dictatorem ex Hispania, devictis Pompeii filiis, mense octobri a Nostro oratam fuisse causam regis Dejotari, nec multo post Nostrum ab ipso Cæsare in Tusculano suo visitatum fuisse (vide ad Att. XIII, passim); conjicias necesse est omnia hæc causas attulisse Ciceroni interrumpendi operis, ita ut hos ad libros Tusculanos se recipere non potuerit ante annum 709 ineuntem, nec eos omnino perficere et absolvere, antequam Cæsarem interfectum audiverit (1).

Pleraque opera philosophica, quibus scribendis otium Noster impendebat, scripta fuerunt hac in ipsa villa Tusculana, quæ Sullæ olim (Plin. XXII, 6) fuerat, ob id Tusculana dicta, quod vicina erat Tusculi. Hanc in villam, dum silebat forum, et omnia unius in potestate erant, conveniebant Ciceronis familiares, Hir-

(1) Hæc ex doctissimi J. V. *Leclerc* præfatione ad Tusculanarum Quæstionum versionem desumpta et conversa sunt.

tius, Dolabella, Varro, Hortensius, Crassus, Lucullus, qui omnes in vicinia villas habebant, et inter se vicissim philosophicis disputationibus oratoriisque exercitationibus tempus consumebant. (Vid. Epist. ad Div. VII, 32; IX, 18.)

Ciceronis villa Tusculana in clivo collis sita erat, unde oculi subjectos campos usque ad Romam patentes facile collustrabant. Vetus Tusculum hodie nominatur *Frascati*. Sunt qui putent villam Ciceronis eum locum tenuisse qui nominatur hodie *Grotta ferrata* (vid. *Biondi*, Italia illustrata, III, pag. 325). Alii putant eam villam in eo ipso monte, qui hodie vocatur *Tuscolo*, sitam fuisse. (Vid. *Capmartin de Chaupy, Découverte de la maison de campagne d'Horace*, tom. II, pag. 235 sqq.). Nunc certe in loco dicto *Grotta ferrata* sedem habent monachi Basilienses, qui ostendunt viatoribus reliquias columnarum quibus fultam fuisse Ciceronianam domum fertur, et aquæductuum (de leg. Agr. III, 11; Epist. ad Div. XVI, 18), quibus aquas perhibent in hortos Ciceronis invectas fuisse.

III. Nunc de hac nostra editione. In hac conficienda Tusculanarum Quæstionum editione, nobis ante oculos fuerunt, inter universas Ciceronis operum editiones, quatuor præcipue, quarum unam Isaacus Verburgius Amstelædami anno 1724 protulit, in qua omnium superiorum editorum et commentatorum, præsertim Victorii, Camerarii, Ursini, Manutii, Lambini, Gulielmii, Gruteri, Gronoviorum et Grævii notas et emendationes collegit; tres aliæ Jo. Aug.

Ernestio, Oliveto, Schützio debentur; inter speciales editiones, illæ præsertim quas Davisius jam satis longo abhinc tempore, Frid. Aug. Wolfius (1), et J. G. C. Neide (2) recentius effinxerunt.

Ipsa autem Davisii editio ter iterata fuit, ita ut sub unius auctoris nomine tres sint prorsus diversæ editiones. De quibus sic Rud. Godohold. Rathius, qui ipse tertiam Davisii editionem cum Richardi Bentleii emendationibus iterum edidit Hal. Saxonum 1805:

«Primum editus est hicce liber a Davisio an. 1709, Cantabrigiæ, typis Academicis, impensis Edm. Jeffery. Quibus codd. usus sit, quibusve subsidiis aliis, tacitus prætereo, ab ipso enim recensita leguntur in præfatione ad primam editionem. Permultum autem hæc princeps a posterioribus duabus differt. Modestæ sunt correctiones, timide ab editoribus superioribus recedit, ne Gebhardum quidem contemnit. In rebus leviusculis unus de multis esse voluisse videtur ; unde nihil in ea reperitur orthographiæ affectatæ; hic enim nec *ecferre*, nec *conlegere*, nec *minumus*, nec *temptare*, nec simile quidquam legitur, quod declaret, anxie eum verborum originem ducem fuisse sequutum. In nominibus tertiæ formæ, omnis hic accusativus nominum plurali genitivo *ium* habentium, exit in *es*, in reliquis autem in *is*, ut apud Lambinum,

(1) Tusc. Dispp. ex recensione Frid. Aug. Wolf. Lipsiæ, 1792, 1807, 1825. (Ter enim eas edidit.)

(2) Tusculanarum Disputt. libri quinque secundum textum Wolfianum edidit, commentario perpetuo illustravit J. G. C. Neide, Lipsiæ et Ienæ, 1798.

Gruterum aliosque in *eis*. In animadversionibus occurrunt non pauca, quæ, quare in reliquis induxerit, vix ac ne vix quidem interdum intelliges. Duo præterea in calce reperiuntur, quæ a duabus posterioribus absunt. Unum est, *lectionis varietas*, quum ex suis codd. et edit. Ven. 1491, tum ex libris Gebhardi aliorumque collecta : alterum, quod huic editioni singulari ornamento est, emendationes sunt Richardi Bentleii, quæ, ut ex viri summi epistola, istis suis emendationibus præmissa apparet, post laborem Davisianum, utpote jam typis impressum, confectæ sunt. Unde fit, ut Davisius nullam in hac præfatione adnotationum Bentleianarum mentionem faciat.

« Editio altera inscribitur M. T. Cic. Tusculanarum Dispp. etc. Editio secunda, auctior et emendatior : Cantabrigiæ, typis academicis, sumptibus Cornelii Crownfield, etc. 1723. Admodum memorabilis est hæc editio : novam enim in ea habes recensionem, non Davisii, sed Bentleii, et in ipsis locis (qui non ita multi sunt), in quibus Davisius ab illa recensione discedit, commemorat saltem Bentleianam lectionem, quod in tertia non ubique factum esse video. Deinde, quidquid in annotationibus ed. primæ aut deletum est, aut additum, aut omnino immutatum, id hic potissimum factum est. Quemadmodum autem se res habeat cum Bentleiana recensione, id ex præfatione Davisii ad sec. intelligitur. Propositum ei fuisse videtur, novas illas, quas Bentleius pollicitus erat, animadversiones, reliquis viri summi emendationibus addere et utrasque novæ subjungere editioni : quum

vero illas frustra exspectasset, has quoque, ne, credo, Bentleii labor sine illa accessione mancus videretur, quum in hac secunda, tum in tertia prætermisit. De novis subsidiis criticis, quæ accesserant, vid. præfat. ad secund.

« Tertium edidit hos libros an. 1730, inscripsitque M. T. Cic. Tuscul. Dispp. etc. Editio tertia auctior et emendatior, ibidem et apud eumdem. Hæc quasi voluntas moribundi Davisii est. Multæ lectiones ex edit. pr. revocatæ sunt, multæ Bentleianæ ejectæ, et quæ receptæ sunt, earum fere ratio reddita est, multæ novæ a novis istis subsidiis profectæ, de quibus vid. præfat. ad tert. Permultum itaque recensio hæc a prioribus duabus differt. Ad annotationes autem quod attinet, si eas excipis, quæ ad recensionem novam pertinent, reliquæ omnes, ut in secunda mutatæ sunt, ita in tertia sunt retentæ: nam quæ aut addita sunt, aut adempta, parvi sane momenti esse videntur.

« Quarta exstat horum librorum editio ann. 1738, ibidem vulgata et apud eumdem. Quæ, quamquam in primis laudari solet, et sane repetita est ex tertia habetque adjunctas Emendationes Bentleianas; attamen tot mendis typographicis scatet, ut interdum totius loci mens prorsus tollatur. Scito autem, quidquid Davisianorum librorum post ann. 1730 impressum est, id aliena cura prodiisse: Davisius enim ann. 1731 supremum diem obiit.

« Ceterum Davisius suam, qua reliquos Ciceronis libros tractavit, rationem, in Tusculanis edendis non

est sequutus. In ceteris enim omnibus notas integras Victorii, Paulli Manutii, Camerarii, Lambini et Fulvii Ursini, Ciceronis verbis subjecit; in Tusculanis non item. Scilicet ab iis ordiebatur, et nondum, ut arbitror, ita Ciceronis libros tractandi consilium inierat. Vereor autem, ne viri docti illorum criticorum notis ægerrime careant, unde separatim eas edemus, addita trium Davisianarum editt. collatione accuratissima, ut lector horum librorum omnia quum ad intelligentiam, tum ad criticam instrumenta habeat necessaria.» Hæc Rathius.

Nos in opere nostro constituendo quasi basim et fundamentum habuimus tertiam Davisii editionem, in qua tum accuratissimam contextus veri variarumque lectionum disquisitionem, tum doctissima commentaria lucem auctori nostro ex admotis ceterorum auctorum locis præbentia invenias: hujus editionis fere omnes integras notas in nostram transtulimus, nisi quod aliquando resecuimus nonnullas digressiones, quibus Davisius obiter quorumdam auctorum græcorum latinorumve contextum purgare et emendare tentat; et si quæ etiam aliæ non satis apte ad textum Ciceronis illustrandum vel emendandum pertinebant. Rursus autem quasdam notas e prima Davisii editione haustas addidimus, vel criticas, vel exegeticas, quas ille in tertia ed. neglexerat, non sane quod inutiles eas duxisset, sed quod angustiis libri, quem justis finibus terminare volebat, circumscriptus, novas observationes satius habuisset in lucem edere, quam jam editas repetere.

Huic Davisii operæ accesserunt fere integræ Neidii notæ, qui præcipue illustrando sensui auctoris incubuit: iis tamen ambobus (quos sine grato animo appellare non possumus), in primisque Neidio, non tantum concessimus, ut eorum omnes opiniones sine delectu et quasi ex aversione mutuaremur. Sed, ut parce et caute huc et illuc quasdam Davisii lectiones temere, ut nobis visum est, receptas carpsimus, ita non raro Neidium deprehendimus verum auctoris sensum non capientem, et in difficultatibus vel ex re, vel ex oratione ortis inhærentem.

Istis auxiliis addendæ sunt tum satis multæ Bentleii observationes, ex iis quas vir ille clarus, licet nimium MSS contemptor, judicioque suo confidens, ad Davisium misit de prima Davisii ed. judicans; tum Rathii nonnullæ observationes, quas ille, Ciceronis de philosophia libros meditans pro sua parte retractare, veluti futuræ editionis specimina in editione superius memorata proposuit. Reperientur etiam selectæ notæ ex collectione earum, quas Olivetus e VV. DD. vel antiquioribus, vel recentioribus, mutuatus est; quas inter eminent præstantissimi Buherii, quæ tanta auxilia sequentibus editoribus vel tacitis præbuerunt, observationes; insuper e magno Verburgii opere, quod supra memoravimus, ea expressimus et quasi luci iterum reddidimus, ab antiquis commentatoribus observata, quæ ab Oliveto et recentioribus editoribus perperam neglecta, in oblivionem paullatim immerito delabebantur.

Præterea Wolfii Schützii que lectiones collegimus, ne

horum VV. DD. auctoritas operi nostro commendando defuisset; non sine desiderio, quod hic nimium verborum parcus suorum judiciorum rarius reddat rationem; quod ille, qui tam bene de Tusc. Dispp. ex omnium sententia meritus est, qui Ernestianam editionem, nimia auctoritate apud plerosque pollentem, in sexcentis locis emendavit, textum tantummodo purgaverit, necdum plenum quod meditabatur commentarium ediderit. Denique vel post tot et tantos viros nonnullas haud contemnendas textus correctiones nobis suppeditavit G. Henr. Moser in opusculo sic inscripto : « Symbolæ criticæ ad aliquot Ciceronis de Finibus Bonorum et Malorum et Tusculanarum Quæstionum loca : quibus Examina publica in gymnasio regio Ulmano a. d. xix sept. et qui sequentur diebus proximis rite instituenda indicit Georgius Henricus Moser, phil. doct. et gymnas. reg. professor. Ulmæ, ex officina Jo. Danielis Wagneri. MDCCCXXV. »

Quum vero textus, qualis a Wolfio constitutus est, fere ab omnibus hodie probetur, utile visum est exscribere illam præfationis partem, qua ipse exponit rationem quam in edendis his libris adhibuit:

« Textus, qualis vulgo est, tam longe abest a perfecta genuinæ scripturæ integritate, ut in optima, quæ quidem hodie fertur, editione sæpe legatur depravatissimus. Ac ne quis forte eam depravationem versari putet in rebus parvi momenti, de quibus cuique ad libidinem suam statuere liceat: quamquam in his rebus nihil loci est libidini : vitia etiam ejusmodi insident, quibus ipsa latinitas afficiatur, cujus

tamen ratam auctoritatem ex uno maxime Cicerone petere solemus. Sæpenumero, fateor, miratus sum hoc nomine, Ernestium nostrum, quo nemo paratior ab ingenio, ab eruditione, ab omni instrumento critico ad edendum Ciceronem accessit, ne in iis quidem, quæ ad grammaticam rationem et elegantiam orationis pertinerent, tantum quantum posset perfecisse: qui si operam navare, si modo communibus opibus et bibliotheca sua probe uti voluisset, novo interpreti non tam sæpe in criticis dumetis hærendum esset, possetque vacuus hac cura animus ejus in jucundiore explanatione rerum acquiescere. Neque vero hæc querela Tusculanis magis quam ceteris romani philosophi scriptis convenit, quorum unum illud de Officiis si exceperis, nullum adhuc satis est ad severas artis leges castigatum. Quæ res eo magis videtur mirabilis, quod in nulla parte scriptorum Ciceronianorum et ille et reliqui editores libentius ac studiosius se elaborasse ipsi profitentur.

«Sed quid posthac faciendum restet, aliunde potius quam ex tali significatione, quæ iniquam interpretationem habeat, intelligi malim. Constitui enim, proximis annis, et Tusculanas et Academicas Disputationes, et fortasse deinceps alios quosdam ejusdem classis libros Ciceronis omni, qua potero, fide et studio recensitos atque illustratos edere: quæ editiones non solum superiorum bona conjuncta habebunt, sed etiam, ubi illarum opera defecerit, aliquid novi adjumenti et rerum doctrinæ et interiori latinitati cognoscendæ afferent. Jam dudum hujus rei causa cœpi

veterum exemplarium quantum satis putabam accurate conquirere et inter se comparare; ut prope nihil nunc desit, præsertim in hac altera editione, quod ad emendationem textus usui esse videatur. Quo in negotio plurium virorum doctorum officia et prolixas voluntates expertus sum. Sed de omni apparatu subsidiorum, quem in Tusculanis recensendis usurpavi, et de rationibus ipsis, quas sequutus sum, tum proprius erit locus dicendi, quum majori editioni hujus libri præfabor(1). Nunc placuit textum ejus nulla annotatione instructum pro specimine et pignore suscepti operis præmittere; quo libello et studiosi in lectione privata et alii in publica institutione uti poterunt. Et jam nunc utrique, spero, se a nobis tot locis restituendis in lectione nonnihil adjutos sentient.

« In constituenda scriptura (nam paucis defendendam esse video rationem meam) perinde sum versatus, quasi nunc primum liber in vulgus edendus esset. Non igitur, quid cuique priorum editorum in ordinem recipere libuisset, sed quid a quoque ex codicibus manu scriptis ductum esset, sive in textu, sive in annotationibus positum, inquisivi. Itaque excussis tum primariis editionibus, tum Victorii, Manutii, Lambini, Gebhardi, Davisii, Buherii, Allemandi multorumque aliorum copiis, ad quas nuperrime plurium librorum manu scriptorum, ex bibliothecis Germaniæ et Italiæ collectorum, collationes accesserunt; his ergo excussis

(1) Major autem illa editio, qua uti toto animo exoptavimus, nondum, quantum saltem noscere nobis licuit, in lucem prodiit.

copiis et in suas classes digestis, etiam atque etiam cogitabam, quid quoque in loco librorum auctoritas et fides, quid leges latinitatis, quid Ciceroniana consuetudo seu elegantia vel postularet, vel suaderet, vel denique ferret. Ita factum est, ut, quum nullum ex editis exemplis deserere, nulli me serviliter addicere vellem, hæc nova conformatio textus a superiore illa multis partibus discederet, et talis fieret, ut illius aut alius cujusquam editionis non magis consensu defendi, quam dissensu refelli et coargui posset. Non desunt tamen loci, ubi in nullo codice manum Ciceronis non obliteratam esse, ipsa discrepantia lectionum vel aliæ rationes demonstrent. Talibus in locis operam dedi sedulo, ut quantum a stulta religione, quæ vetera vitia et vetera vina juxta æstimat, natura mea abessem, tantum a temeritate et lascivia corrigendi manum cohiberem. Nempe est in critica, ut in ceteris artibus plerisque, et in ipsa ratione bene vivendi, quasi media via quædam, inter duas maxime disjunctas ad verum et probabile proxime ducens, quæ ut regularum præceptione non contineatur, ingenio tamen et arte quodammodo attingi possit. Eam viam ubique tenere studui, ac si non plane infeliciter tenuisse peritis videbor, in Wopkensianæ sectæ convicio facile me consolabor. Fremant licet, quod tot tamdiuque propagatas lectiones mutarim, tot reliquias stuporis Gebhardiani expulerim, quod adeo nonnumquam locum dederim conjecturæ: sic enim appellant, quæcumque sine auctoritate codicum, vel in manifesta librariorum fraude adhibetur correctio:

quin omnia isti reprehendant; æquo feram animo. Neque dubito, quin multi apud Ciceronem multa ferant et probent, quæ mihi statim in textu mutationem poscere sunt visa: nam alia ejusdem generis, quæ minora argumenta verisimilitudinis haberent, in aliud tempus distuli: sed erunt fere ii, qui quum ipsi latine scribunt, multa ferant atque adeo in deliciis habeant, quæ verendum est ne Cicero non modo tulerit, verum ne intellexerit quidem. Sed de tota ratione textus emendandi tum planius judicari licebit, quum major editio aliquando criticam materiem proposuerit. Inde apparebit etiam, vetustissima sæpe esse, quæ nunc videantur nova; eaque, quæ in vulgatis libris ut proba et antiqua miramur, neque proba esse neque antiqua, interdum etiam temere e conjecturis ducta. Denique quidquid mutavi, ipse ingenue prodidi. Subjeci enim in imo margine diversitatem recensionis Ernestianæ, hujus ipsius viri sequutus exemplum, qui in minore editione operum Ciceronianorum Halensi idem fecit de lectionibus Gruterianis. Sic, qui volent, uno conspectu tenebunt, quibus rebus hæc nostra recensio differat ab illius: magistris autem scholarum hæ subnotatæ lectiones occasionem dabunt, si usus videbitur, auditores suos artis criticæ elementis imbuendi.»

Præter tot et tanta auxilia, aderant bene multæ versiones gallicæ, quæ interpretando textui aliquid afferre poterant, quas inter duæ præsertim eminent: illæ nempe, quæ abbati Oliveto, Paris. 1732, et præsidi Buherio, Paris. 1737, debentur. Has emendatas et

correctas iterum edidit nostras J. V. *Leclerc*,' ita ut versionem ab ipso editam consulere nobis satis fuerit.

Nec lectorem dimittemus, priusquam declaraverimus nos hunc optimum ducem ante omnes plerumque, tum in dijudicandis lectionibus, tum in interpretando textu, hic, haud secus ac in prioribus voluminibus, sequutos esse; eique amplissimas easque debitas persolverimus grates.

Denique, quoniam editionibus Davisii et Neidii ita usi fuimus, ut eas pæne totas in opus nostrum condiderimus, necessarium nobis visum est lectoris ante oculos ponere præfationes eas quas illi VV. DD. suis editionibus præposuerunt.

JO. DAVISII PRÆFATIONES.

PRÆFATIO PRIMÆ EDITIONIS.

Quam paucissimis exsequar, quæ præfanda censeo, ne longa verborum ambage mihi scribenti, non minus ac tibi legenti, creetur tædium.

Editionem Roberti Stephani, cum duobus optimis MSS collatam, mihi mutuo dedit reverendissimus antistes Joannes Morus (1). Hosce libros propterea Norvicenses appellavi, quoniam, quum eos primum accepi, Norvicensium diœcesi præfuit vir ille præstantissimus, quem maxima sua merita, et serenissimæ reginæ gratia, nuper ad sedem Eliensem promoverunt.

Codicem manu exaratum, quem servat bibliotheca Petrensis, humane suppeditavit Thom. Stukesius, illius collegii socius dignissimus; Cantabrigiensis autem MS collationem amice, ut solet, obtulit vir clarissimus Jos. Wassius. Impressos veteres, quorum passim in hisce notis memini, utendos præbuerunt Joannes Laughtonus, meritissimus bibliothecæ publicæ præfectus, Gul. Piersius, et Rob. Greenius, hic aulæ Clarensis, ille vero collegii Emmanuelensis socius laudatissimus. Horum omnium nomina recensui, ut iis debitas gratias referrem, meque beneficiorum non immemorem esse testarer.

His subsidiis instructus, multas, nisi fallor, mendas sustuli, quibus aut solennis librariorum incuria, aut

(1) Vide infra (lit. A) quæ hic adduntur in secunda præfat.

nimia criticorum audacia Ciceronem inquinarant. In reliquis animadversionibus id egi, ut dogmata paullo obscuriora, aut historias non ita notas illustrarem; tritas enim et obvias non attingendas putavi. Frustra itaque de Herculis laboribus, de Alcmæonis et Orestis insania, de Sardanapali luxu, ac id genus aliis, hic quærentur commentarii. Ubique prostant lexica, ex quibus affatim hauriri potest talium næniarum cognitio.

Plerosque græcorum scriptorum locos, quos vertit Cicero, jamdudum indicarant Petr. Victorius, Joach. Camerarius, et Henr. Stephanus. In nonnullis etiam testimoniis ad historiam spectantibus prævivit Fr. Fabricius; sed ea sunt perpauca, et a me vix umquam sine auctario prolata. Hæc fuerunt memoranda, quoniam candoris est, per quos profecerim, ingenue confiteri. Forsan etiam utiles fuissent M. A. Mureti notæ in primam Tusculanam; sed eas, quamvis sedulo quæsitas, videre non contigit (1).

Licet in observationibus unicuique paginæ substratis varias lectiones notarim, ex quibus verba Ciceronis emendari posse credebam, ceteras tamen calci voluminis adnexas habes, ne tuo, lector, ingenio deesset materia: fieri enim potest, ut ex iis, quæ mihi corrupta videbantur, ipsa Tullii manus eruatur. Eæ ex Jani Gebhardi aut meis libris fere sunt collectæ.

Ultimum locum tenent emendationes, quas meo rogatu scribere dignatus est vir præstantissimus Richardus Bentleius. Illi propterea gratias quam maximas habeo atque ago; nec dispari animo erunt ii, qui suo quæque pretio solent æstimare. Quantopere

(1) Vide infra (lit. B) quæ adduntur in secunda præfat.

vero mihi placeant, melius indicare nequeo, quam si tester eas auctore suo dignas videri : hujus enim summam eruditionem ac mirum acumen exosculantur omnes, qui non sunt aut invidi, aut ab hisce literis alieni.

Quum in duabus posterioribus editionibus, Davisius majorem prioris præfationis partem servaverit, ea tantum ex secunda et tertia præfatione exscribemus quæ aut addita, aut mutata fuerunt.

EX PRÆFATIONE SECUNDÆ EDITIONIS.

A. In secundæ editionis præfatione, post verba : « Editionem Rob. Stephani... Joannes Morus », adduntur hæc :

« Hos Eliensem primum ac secundum nominavi. Iis nunc accessit ab eadem manu tertius in pergamena scriptus. Quin et præter Elienses illos usus sum codicibus quatuor, quos viri doctissimi Thomas Bakerus, Thomas Stukesius et Josephus Wassius mecum benigne communicarunt (1) ».

B. In secunda, post verba : « Plerosque... contigit », et pro iis quæ sequuntur, legitur :

« Fieri potest ut mireris, quod in hisce notis passim dicatur locus sic vulgo legi, quum tamen nulla mutationis reddita sit ratio. Rem igitur sic habe. Meis notis omnibus prælo paratis, recensionem suam, quam plerumque sequor, mihi in manus tradidit celeberrimus Richardus Bentleius; secumque statuit in animadversionibus huic libro adjungendis ostendere, quibus fundamentis nixæ sint emendationes suæ. Sed quum eruditissimus ille vir multis negotiis adeo sit

(1) Vide infra (lit. C) quæ in tertia præfat. adduntur.

impeditus, ut promissis stare non possit; isto thesauro careas oportet impræsentiarum. Ne tamen dubites, quin fidem datam cumulate sit liberaturus; postquam labores literarii, quibus distinetur, ei concesserint otium ».

EX PRÆFATIONE TERTIÆ EDITIONIS.

C. In tertia editione, post hunc secundæ præfationis locum : « Hos Eliensem... communicarunt », leguntur sequentia :

« At subsidium longe desideratissimum præbuit humanissimus et eruditissimus J. A. Fabricius : is enim ad me codicum (1) Regii Pithœanique collationes misit. Et ad Regium quidem MS, omnium qui noti sunt vetustissimum, velut ad Cynosuram, dirigenda videbatur hæc editio.

« Quin etiam non paucas emendationes memoravi, quæ perspicacissimo summi Bentleii debentur ingenio; pluresque memoraram, si vir celeberrimus, ut facere statuerat, in animadversionibus huic libro subjungendis ostendisset, quibus fundamentis nixæ fuerint. Quum tamen ea spes decollasset; multas lectiones, quas ille recipiendas judicarat, a fide codicum pendere declaravimus : id quod, ut opinor, lectorem juvabit; hoc enim modo non temere, nec sine gravi causa vulgatam lectionem deseri videbit ».

(1) « Editionem Seb. Gryphii 1535 cum cod. Regio contulit vir doctus anno D. 1623, et cum MS Francisci Pithœi anno D. 1597. Mutilus Pithœanus, nec incipit nisi paullo post initium lib. II, cap. 19, adeoque diversus est ab eo, quem Gulielmius adhibuit. »

Ab eadem tertia præfatione absunt ea quæ in duabus sequuntur verba, «Plerosque... contigit».

At contra adduntur in tertia editione, post præfationem, testimonia de MS Regio supra memorato.

CL. SALMASIUS IN EPISTOLA AD CL. SARRAVIUM, PAGG. 235, 236.

«Uno ac perpetuo ductu sine ullo interstitio voces omnes exarari solebant, et sententiæ etiam continuari : nisi quod, ubi perfecta fuerat, non in eadem linea alteram auspicabantur; sed principium alterius lineæ, sive versus inchoabant. Inde nata distinctio per versus, qui majores aut minores erant, prout sententia pluribus aut paucioribus verbis absolvebatur. Interdum quippe duas, interdum tres aut plures lineas singuli versus occupabant. Græci στίχους appellant. Opera autem ipsa numerabantur per versus, quorum summa in fine libri subducta notabatur. Inde πολύστιχον βιβλίον de grandi volumine dicebant. Diu duravit hæc ratio. In veteri codice Epistolarum Paulli, qui penes Puteanos est, ad finem, totius Scripturæ Sacræ librorum στιχομετρίαν notatam invenies. Quæstiones Tusculanas in antiquissimo exemplari bibliothecæ Regiæ ita per versus distinctas reperis».

IDEM SALMASIUS IN PROLEGOMENIS AD SOLINUM, C. 5.

«Sciendum exstare in bibliotheca Regis codicem Tusculanarum Quæstionum manu exaratum satis magnæ vetustatis; in quo non ordine continuo, sicut in aliis tralatitium est, libri descripti feruntur, sed saltuatim per inæquales periodos, eo prorsus modo quo Biblia Sacra videmus».

MARQUARDUS GUDIUS AD PHÆDRI LIB. I, FAB. 25.

« Exstat Lutetiæ in bibliotheca Regia Ciceronis Tusculanarum Quæstionum codex vetustissimus et incomparabilis, per versus distinctus ».

NEIDII PRÆFATIO.

TRIA sunt in primis, quæ veteris auctoris alicujus interpres in paranda ejus nova editione sibi ob oculos ponere ac sequi solet. Nam aut textus κρίσιν spectat, scriptoremque suum a maculis, quas librariorum vel ignorantia, vel incuria et oscitatione traxit, purgandum sibi sumit; aut orationis seriem nexumque sententiarum luculenter ac perspicue sistere annititur; aut denique singula vocabula e grammaticis rationibus illustrat, simul ea monet, quæ nonnisi historicorum adminiculorum ope recte intelligi possunt.

Ad munus criticum quod attinet, summum illud ac gravissimum interpretis esse, lubenter profiteor. Difficulter enim procedat reliqua interpretatio necesse est, nisi textus prius a nævis purgatus sit atque emendatus; facilis e contrario labor de ejusdem integritate securo; ita ut verissimum videatur, textum bene constitutum maximam partem loco interpretis esse.

Ciceronis scripta philosophica in primis hanc operam criticam desiderare cuivis rei perito obvium est. Si libros de Officiis, Heusingerorum cura castigatos excipias, post Ernestium nulli fere criticas manus ad-

motas esse reperies, donec ante hos sex annos illustrissimus Wolfius Tusculanas Disputationes tanta diligentia curatas ederet, ut vel plane nihil, vel parum saltem rei æstimatoribus desiderandum optandumque relinqueret.

Excitarat Vir Doctissimus atque Acutissimus spem non solum ejusmodi novæ recensionis reliquorum Ciceronis scriptorum philosophicorum, sed etiam majoris uberiorisque editionis Tusculanarum. Quæ quidem spes, quamvis consilium meum de nova earum editione adornanda, prius jam susceptum, quam ille novus textus Wolfianus in lucem emissus esset, tunc temporis prorsus labefecisset, in posterum tamen denuo firmatum est cogitanti, Wolfium V. C. aliam plane rationem sequuturum, quippe qui suam Viris Doctis et Criticis solum destinaverit, me autem meam non nisi juveni lectori et humanitatis studioso parare, ut huic modo lectio aliqua ex parte facilior reddatur atque expeditior.

Rursus itaque ante biennium Tusculanas in manus sumpsi, et mirum quantum adjutus sum in commentandi labore, viam textus emendatione Wolfiana quum bene sic stratam atque explanatam expertus essem. Abstinere poteram igitur ab omni labore critico, ita ut paucissimis tantum in locis vires meas periclitatus sim.

Præcipua igitur fuit cura, seriem continuatam orationis per singulas disputationis partes investigare, nexumque sententiarum cuivis sectioni præponere, digressiones, ad quas philosophus hinc inde abripi se passus est, diligenter observare, ita ut juvenis lector, atque necdum satis exercitatus filum disquisitionis

numquam amitteret. Nam ejusmodi σύνοψις, fronti sectionis cujusvis præfixa, quantopere faciat, et ad acuendam inter legendum attentionem, et ad melius intelligendum scriptorem, et ad artem cogitandi adjuvandam, dici vix potest.

In expositione locorum difficiliorum grammatica brevior fui, quam vulgo solent esse. Aut enim nulla, aut pauca admodum citata adhibui, quorum farraginem a multis doctrinæ potius ostentandæ, quam utilitatis causa consarcinatam esse vidi, magis me lectoribus profuturum existimans, si sensus loci alicujus quam paucissimis explicaretur.

Non raro Cicero ipse ad scriptores græcos provocat; horum locos comparationis causa, et si alii occurrissent, qui ad uberius illustrandum Ciceronem facerent, integros adscripsi. Selectas Ernestii notas ipsissimis verbis adspersas passim invenies.

Quæ ad illustrandam rem historicam in his libris obviam spectant, ea ad unum omnia in indicem congerere visum est, ne moles commentarii augeretur, neque eadem bis terve repetenda essent.

Magdeburgi kal. mai. 1798.

IN

M. T. CICERONIS
TUSCULANARUM QUÆSTIONUM
LIBROS QUINQUE
PROLEGOMENA

(EX CHR. GOD. SCHUTZ ED.)

Quinque libri Quæstionum Tusculanarum, seu Disputationum, a Cicerone inchoati sunt ann. Urb. 708, iidemque absoluti ann. Urb. 709 initio. Et quidem tot in iis occurrunt temporis notæ, ut, his inter se comparatis, de annis, quibus Cicero hos libros conscripserit, dubitari non possit. Lib. V, c. 8, commemorat se imperatorem Athenis apud Antiochum deversatum esse, quod factum est ann. Urb. 703, quum e Cilicia rediret. Cn. Pompeii Magni fata post pugnam Pharsalicam ejusque mors consequuta ann. Urb. 705 tanguntur lib. I, c. 6; lib. III, c. 27. Belli civilis nondum plane compositi mentio fit lib. I, cap. 37. Et lib. I, cap. 4, scribit se statim post Bruti discessum has quasi scholas more Græcorum in Tusculano habuisse. Hic itaque significat Brutum in Galliam profectum esse, cui a Cæsare præfectus erat, quod factum esse constat ann. Urb. 707. Ex libris a Cicerone ante Tusculanas Disputationes scriptis, commemorantur libri de Republica ann. U. C. 699 editi, lib. IV, cap. 1; liber de Consolatione post Tulliæ filiæ mortem scriptus an. Urb. 708, lib. I, cap. 27, et lib. III, cap. 28; Hortensius (de Philosophia liber) eodem ann. editus, lib. II, c. 4; quatuor libri Academici ann. Urb. C. 708 scripti; denique

libri de Finibus bonorum et malorum, ann. Urb. 708, mense circiter sextili, editi, lib. V, cap. 11. Ceterum harum Tusculanarum Disputationum mentio fit in epistolis ad Atticum, XV, 2 et 4, scriptis ann. Urb. 709, et quum ad Attic. XIII, 32, ab Attico petit, ut sibi Dicæarchi libros περὶ Ψυχῆς mittat, qui apti essent ad id quod quum maxime cogitaret, haud dubie significat se in elaborando Tusculanarum Disputationum libro primo versatum esse, ubi mentionem illorum facit, lib. I, cap. 11. Absolvisse autem illas ante Cæsaris interitum (h. e. ante idus mart. ann. Urb. 709) constat ex initio libri de Fato, ubi Tusculanæ Disputationes citantur: easque jam tum ab Attico lectas esse cognoscitur ex epistolis ad Att. XV, 2 et 4, quæ scriptæ sunt mense martio, ann. Urb. 709.

Ipsi autem dialogi habiti esse finguntur in Ciceronis Tusculano, post discessum Bruti in Galliam, ita ut Cicero unum ex familiaribus, qui tum secum erant, ponere juberet de quo is audire vellet (ut ipse ait lib. I, cap. 4); de hoc autem ipse aut sedens, aut ambulans disputaret. Itaque quinque dierum scholas in totidem libros contulit, qui vulgo quidem appellabantur Tusculanarum Quæstionum; ut est in cod. Reg. aliisque nonnullis. Veram autem lectionem esse Tusculanarum Disputationum jam P. Manutius vidit; eumque postea sequutus est Davisius (1).

(1) Hujus argumenta vide infra, not. 1, ad cap. 1 libri primi.

Nos tamen, quum teste J. V. *Leclerc*, testimonia pro utraque opinione fere paria sint, et præterea hæc res levissimi sit momenti, servavimus inscriptionem *Quæstionum*, quæ in plerisque vulgatis editionibus invenitur, et quam ipse servavit *Leclerc*, quem ubique alias sequuti sumus. ED.

DE DIALOGORUM PERSONIS
PRÆMONITIO.

J. V. *Leclerc* duas personas, quas inter fit dialogus, compendiis Cic. et A. designavit. Ceteri autem omnes, quos vidimus, editores loco Cic. præbent M. et Olivetus totis literis scripsit Marcus, id est, Marcus Tullius Cicero. De his signis, quibus hujus dialogi personæ notantur, varias criticorum breviter exponit opiniones Olivetus in ea præfatione quæ sequitur:

«Quomodo inscribendi sint hi Tusculanarum libri docet Turnebus in fragmentum de Fato, cap. 2. Dialogi forma scripti sunt interrogante uno, altero respondente. Personas colloquentes designant in libris hactenus excusis literæ M. A. in quibus quid sit, utrum in priore *Marcus*, an *magister;* in posteriore *Atticus*, *adolescens*, *auditor*, certant curiosi; modico, ut videtur, operæ pretio; neque firmis admodum argumentis. Qui *Marcum*, hoc est, Ciceronem, cum Attico videre colloquentem volunt, ii pugnare possunt auctoritate Lactantii, Divin. Inst. lib. I, cap. 15, itemque Eliensium duorum codicum, quos vidit Davisius. Verum hic ipse et suorum codicum et Lactantii auctoritatem elevans, Atticum ab his dialogis excludit. «Atticus enim, inquit, tum temporis senex erat; juvenis autem ille, qui «cum Cicerone disputavit, ut patet ex lib. II, cap. 12. Hac «igitur litera, quod etiam Lambinus vidit, *adolescentem* «denotari puto». Ita Davisius. Huc facit quod is, quicum disputat Cicero, mortem ait esse malum. Secus Epicurei sentiebant, quos Atticus sequebatur. Alii, quibus placet *auditor*, præsidio habent hæc e lib. I, cap. 4: «Ponere jubebam, de quo quis audire vellet..... Fiebat autem ita, ut

I.

« quum is, qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, « tum ego contra dicerem ». Quid si autem illas Cicero literas non apposuerat? Earum sane nullum exstare in libris manuscriptis vestigium testis est Lambinus: neque, dissentiens a Lambino, Davisius ullum vidisse se affirmat, nisi in illis, quibus ipse fidem non habet, Eliensibus. Est hic Lutetiæ in Bibliotheca Regia vetustus, a Salmasio, in Prolegomenis ad Solinum, laudatus codex Tusculanarum Quæstionum: in quo nec literas M. A. neque ullam videre est notam loquentium personarum. Unde ergo in libris sunt vulgatis? Omnino ex eorum, qui olim ediderunt, diligentia, lectoribus eas cavente tenebras, quæ oriri ex ignorata personarum mutatione possunt. Proinde ego, in re tam incerta, neque tanti pretii, integrum mihi esse existimavi, id malle quod opportunius ad intelligendi facilitatem videretur. Cujusmodi visa sunt vocabula *Marcus*, *auditor*. Si quis litem movet, erit certe de vocibus tota ».

ERASMI ROTERODAMI

DE TUSCULANIS JUDICIUM.

ERASMUS ROTERODAMUS
JOANNI ULATTENO S. D.

Quum Joannes Frobenius, vir ornatissime, adornaret suis typis excudere Tusculanas Quæstiones M. Tullii, meque rogasset, ut hic aliquid adderem opellæ meæ, quo liber exiret aliqua recentis utilitatis accessione commendatus: eo lubentius hanc suscepi provinciam, quod pluribus jam annis mihi nihil aut perpusillum commercii cum Musis mansuetioribus fuisset. Itaque conferendorum exemplarium negotio famulis delegato, judicandi partes mihi sumpsi; totoque opere non oscitanter perlecto, digessi versus carminum, quæ ille quidem non sine exemplo Platonis et Aristotelis, ex græcis latinisque poetis, sed propemodum ad tædium usque congerit. Ubi variabant exemplaria, vel, quod probabatur, amplexi sumus; vel, si videbatur anceps judicium, utramque lectionem servavimus, alteram in contextu, alteram in spatio marginis; nonnulla citra codicum suffragium restituimus, sed nec admodum multa, et ibi dumtaxat, ubi res homini docto et exercitato non esset obscura; nonnihil etiam scholiorum adjecimus. Dum hæc ago, bidui triduive dispendium facere necesse fuit in aliis studiis, quibus rem Evangelicam utcumque promovemus. Atque hujus dispendii adeo me non pœnituit, ut in votis sit, si liceat, ad veteres illos amicos remigrare, ac menses

aliquot cum illis familiariter vivere. Tantum fructus me sensi percepisse ex his libris relictis, non tantum ob styli rubiginem abstergendam (quamquam hoc quoque nonnihil est, meo quidem judicio); verum multo magis ob animi cupiditates moderandas refrenandasque. Quoties inter legendum exspuebam in stolidos istos, qui in Cicerone nihil præclarum esse dictitant præter verborum phaleras! Quam illic est varia lectio voluminum, quæ doctissimi Græci de recte beateque vivendo reliquerunt! Quanta vis! quanta copia salubrium et sanctissimorum præceptorum! quanta cognitio, quantaque memoria priscarum simul et recentium historiarum! Tum autem, quam altæ cogitationes de vera hominis felicitate! quæ plane declarant illum hoc egisse, quod docebat. Jam vero in explicandis rebus procul a communi sensu ac sermone populari semotis, quasque multi desperabant romana lingua tractari posse, quæ perspicuitas, qui candor, quæ facilitas, quæ copia, quæ denique festivitas! Philosophiam, quæ primum in rerum naturalium contemplatione occupata, procul aberat a vita communi, Socrates primus in terras atque etiam in domos deduxisse legitur. Plato et Aristoteles conati sunt eam et in aulas regum, et in senatum, et in ipsa tribunalia producere. M. vero Tullius mihi videtur eam etiam in proscenium perduxisse, cujus opera sic loqui didicit, ut promiscuum etiam vulgus possit applaudere. Atque hujus generis tam multos libros scripsit vir ille difficillimis temporibus, summoque reipublicæ tumultu, quosdam etiam rebus in summam desperationem adductis. Et non pudet nos nostrarum confabulationum atque conviviorum? quum videamus homines ethnicos tam sanctis commentationibus et otium, quod dabat reipublicæ calamitas, transegisse, nec ab ineptis voluptatibus quæsivisse mentis avocamenta, sed a sanctissimis philosophiæ præceptis petiisse remedium. Quid aliis accidat, nescio: me legentem sic afficere solet M. Tullius, præsertim ubi de bene vivendo disserit, ut du-

bitare non possim, quin illud pectus, unde ista prodierunt, aliqua divinitas occuparit. Atque hoc meum judicium mihi magis blanditur, quoties animo reputo, quam immensa sit, quamque inæstimabilis æterni numinis benignitas, quam quidam ex ingenio, opinor, suo nimis in angustum contrahere conantur. Ubi nunc agat anima Ciceronis, fortasse non est humani judicii pronuntiare: me certe non admodum adversum habituri sint in ferendis calculis, qui sperant illum apud superos quietam vitam agere. Nulli dubium esse potest, quin crediderit aliquod esse numen, quo nihil esse posset neque majus, neque melius. Porro quid senserit de animorum immortalitate, quid de diversa sorte præmiisque vitæ futuræ, tum quanta fuerit sinceræ conscientiæ fiducia, si non satis declarant tot ejus libri, certe vel una illa epistola satis arguit, quam ad Octavium scribit, jam, ut apparet, destinata morte. Si Judæis ante proditum Evangelium sufficiebat ad salutem rudis quædam et confusa de rebus divinis credulitas, quid vetat quo minus ethnico, cui ne Mosis quidem lex erat cognita, rudior etiam cognitio profuerit ad salutem, præsertim quum vita fuerit integra, nec integra solum, verum etiam sancta? Perpauci Judæi ante lucem exortam Evangelii noverant exacte Filium ac Spiritum sanctum: multi non credebant resurrectionem corporum: nec tamen ideo de illorum salute desperatum est a majoribus. Quid si ethnicus tantum hoc credat, Deum, quem persuasum habet esse omnipotentem, sapientissimum et optimum, aliqua ratione subventurum bonis et ulturum malos, quæ ipsi videatur quam maxime accommoda? Quod si quis objiciat vitæ maculas, equidem arbitror nec Job, nec Melchisedec omnibus omnino vitiis caruisse per omnem vitam. Sed excusandum non est, quod immolavit idolis. Id fortasse fecit, sed non ex suo judicio, verum ex consuetudine publica: quæ quoniam legibus etiam erat confirmata, non poterat convelli. Nam esse conficta, quæ de diis ferebantur, vel ex Ennii sacra historia

poterat cognoscere. Sed oportebat vel vitæ jactura populi stultitiam coarguere. Tantum roboris nec ipsis aderat Apostolis, priusquam hauserant cælestem spiritum, ut impudens sit hoc exigere a M. Tullio. Verum hac de re liberum esto suum cuique judicium. Ad illos crassos redeo, qui præter inanem verborum tinnitum, nihil magni credunt esse in libris Ciceronis. Qui fieri potest, ut tot res eruditas, tam dilucide, tam copiose, tanto cum affectu explicet, nisi penitus intelligat quod scribit? Quis autem sumpsit hujusmodi libros in manum, quin surrexerit animo sedatiore? Quis tam accessit mœrens, qui non abierit hilarior? Geri videtur quod legis, nec secus afflat animum tuum quidam orationis ἐνθουσιασμὸς, quam si ex vivo ipsius pectore ac felicissimo illo ore manantem audires. Quam ob rem mihi sæpe videri solet, inter omnia quæ in usum vitæ mortalium industria reperit, nihil esse utilius, quam usum literarum, nec ullam artem præstantiorem opificio typographorum. Quid enim felicius, quam cum eloquentissimis simul ac sanctissimis viris, quoties lubitum est, confabulari? neque minus habere perspectum illorum, qui ante tot annos vixerunt, ingenium, mores, cogitationes, studia, facta, quam si multis annis egisses cum illis consuetudinem? Numquam mihi magis probatum est illud Quintiliani : « Ille sciat se profecisse, cui Cicero valde placere cœperit ». Mihi puero minus arridebat Cicero, quam Seneca; jamque natus eram annos viginti, priusquam ferrem diutinam ejus lectionem, quum ceteri pæne omnes placerent. An ætatis progressu profecerim, nescio; certe numquam mihi magis placuit Cicero, tum quum adamarem illa studia, quam nunc placuit seni, non tantum ob divinam quamdam orationis felicitatem, verum etiam ob pectoris eruditi sanctimoniam. Profecto meum afflavit animum, meque mihi reddidit meliorem. Itaque non dubitem hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis atque etiam ediscendis bonas horas collocent potius, quam in rixosis ac pugnacibus libellis,

quibus nunc undique scatent omnia. Me vero, tametsi jam vergente ætate; nec pudebit, nec pigebit, simulatque extricaro me ab his quæ sunt in manibus, cum meo Cicerone redire in gratiam, pristinamque familiaritatem, nimium multis annis intermissam, renovare menses aliquot. Visum est autem, hoc quidquid est operæ tibi dicare, multis ac magnis dotibus ornatissime Ulattene, sive ut hoc argumento declararem, mihi nondum excidisse suavissimam illam consuetudinem, qua mihi primum Friburgi singularis humanitas tua, raraque morum dexteritas, cognita perspectaque est: sive ut haberes hos Ciceronis libros emendatiores, quos literariæ pubi juberes prælegi. Nam scholæ quoque curam potissimum ad te pertinere dicebas. Ceterum istic esse ranarum chorum, quæ bonis obstrepant literis, mirum videri non debet, quum hæ nusquam desint, quæ cantionem illam occinant ex vetere comœdia, βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ. At istis fortiter neglectis, oportet ea sequi, quæ maxime sunt in rem juventutis. Ad id præcipue conducet, si ludo præficiatur aliquis non minus bonis moribus, quam bonis literis præditus, cui salarium augeatur pro merito. Is primum jactis utriusque linguæ fundamentis, optimos quosque auctores prælegat, hoc est, M. Tullium, et ut quisque est M. Tullio proximus. Ex poetis deligat castos; ceterum ex his, qui lectu digni sunt ob eruditionem, sed perniciosi propter obscœnitatem (quo de genere est Martialis), excerpenda censeo, quæ pueris tuto prælegi possint. Sed de his fortasse alias plura, quamquam nemo rectius consulet, quam Leonardus Pricardus, vir et eruditione varia, et morum integritate, et multo rerum usu consultissimus. — Bene vale.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER PRIMUS

ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI.

M. Brutum absentem alloquutus Cicero exponit quibus causis commotus philosophiam latinis literis illustrandam sibi sumpserit. Non quia philosophia græcis et literis et doctoribus percipi non posset, sed quod, quum suo quidem judicio Romani omnia aut invenerint sapientius quam Græci, aut accepta ab illis meliora fecerint, doctrina tamen illos Græcia et omni literarum genere superaverit, ideoque etiam philosophia jacuerit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuerit lumen literarum latinarum; ipse æquum et honestum censuerit, si aliquid oratoriæ Romanorum laudi sua attulerit industria, multo studiosius philosophiæ fontes aperire. Itaque quum hanc perfectam philosophiam semper judicaverit, quæ de maximis quæstionibus copiose posset ornateque dicere, se huic exercitationi ita studiose operam dedisse, ut jam etiam scholas Græcorum more habere auderet. Sic nuper post Bruti discessum in Galliam, quum essent in Tusculano plures secum familiares ponere jussisse, de quo quis audire vellet; ad id aut sedentem, aut ambulantem disputasse. Itaque dierum quinque scholas in totidem libros contulisse, cap. 1-4.

Sequitur prima Disputatio *De contemnenda morte*. Auditor enim malum sibi videri esse mortem pronuntiaverat; et quidem utrisque malum esse, et his qui mortui sint, et eis quibus sit moriendum. Ac mortuos quidem propterea quia non sint, quum fuerint, miseros esse. Id Cicero ita refellit, ut doceat, mortuos qui nusquam sint, miseros esse non posse, quippe qui nihil sentiant. Jam auditor concedit mortuos non esse miseros; perseverat autem in eo, quod eos qui vivant, miseros esse, quum moriendum sit, contendat, cap. 5-7.

Jam Cicero pollicetur se effecturum, viventibus non modo malum non esse, sed bonum etiam mortem. Primum autem quid mors sit videndum esse. Alios enim illam discessum animi a corpore esse putare; alios nullum censere fieri discessum, sed una animum et corpus occidere, animumque in corpore ex-

stingui. Varias etiam de animi natura philosophorum sententias esse, quæ breviter recensentur, cap. 8-10. Cicero autem ostendit, quæcumque vera sit earum sententiarum, hoc ratione effectum iri, ut mors aut malum non sit, aut sit bonum potius. Et quum necesse sit aut manere animos post mortem, aut morte ipsa interire, quoniam auditor concesserat, si maneant, beatos esse, primum docere aggreditur animos post mortem manere, seu immortales esse, cap. 11. In quo primo loco utitur auctoritate antiquitatis, cap. 12, 13. Deinde maximum argumentum esse dicit, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sint, et maximæ quidem, quæ post mortem futura sint, cap. 14, 15. Itaque consensu nationum omnium nos arbitrari animus permanere; qua in sede maneant qualesque sint ratione discendum esse. Cujus ignorationem finxisse fabulas illas de statu inferorum; philosophorum autem doctrina inde a Pherecyde et Pythagora hoc effectum esse, animos quum e corpore excesserint, sive illi sint animales, i. e. spirabiles, sive ignei, sive ex inflammata anima constent, in sublime ferri, cap. 16-18. Id facilius etiam intelligi ex eo, quod nihil sit animo velocius; itaque eum, quum e corpore discesserit, statim ad superiorem regionem evadere, junctis ex anima tenui et ex ardore solis temperato ignibus insistere, tumque finem altius se efferendi facere. Et in hac quidem sede animum sustentatum iri iisdem rebus, quibus astra sustententur et alantur. Itaque beatos nos fore, quum corporibus relictis, et cupiditatum et æmulationum futuri simus expertes, totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque posituri, præsertim quum oræ ipsæ locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum cælestium, eo majorem cognoscendi cupiditatem sint allaturæ. Omnino autem nos naturæ miracula tum multo puriora et dilucidiora perspecturos, quum ad ea spectanda liber animus et corpore solutus pervenerit. Frustra igitur Epicurum a sectatoribus suis magnificis laudibus efferri, quod dicant per eum se liberatos mortis metu, eoque terrore, quem fabulosæ inferorum species animis incutiant; scilicet quum nihil aliud ab eo didicerint, quam se quum tempus mortis venisset, totos esse perituros; quæ quidem res certe nihil habeat lætabile aut gloriosum. Nihil tamen occurrere,

cur non Pythagoræ et Platonis de immortalitate animorum vera sit sententia, cap. 19-21.

Sed plurimos contra niti, animosque, quasi capite damnatos, morte multare; iisque propterea incredibilem animorum videri æternitatem, quod nequeant, qualis animus sit vacans corpore, intelligere, et cogitatione comprehendere. Sed eos ne intelligere quidem, qualis sit in ipso corpore. Ac profecto multo difficiliorem esse cogitationem, qualis animus in corpore sit, tamquam alienæ domi, quam qualis, quum exierit, et in liberum cælum, quasi domum suam venerit, cap. 22. Ac si qualis sit animus ipse animus nesciat, tamen esse se et moveri scire. Itaque quum id solum, quod se ipsum moveat, quia numquam deseratur a se, numquam ne moveri quidem desinat, animum, qui sentiat se vi sua, non aliena moveri, nec accidere posse, ut umquam a se deseratur, certo æternum esse et immortalem, quod dudum Plato docuerit, cap. 23.

Multa vero esse in animis hominum divina, ut memoriam, ut vim occulta investigandi, ut multas variasque artes atque doctrinas, quæ nec a corpore oriri, nec in terra nata esse possint, cap. 24-27. Quod autem a nonnullis negetur, animum a corpore discretum esse, quod ubi sit, aut qualis sit intelligere nequeant, hoc ipso nihil effici, quod ne oculus quidem se ipse videat, animusque, etiamsi formam suam non videat, tamen sagacitatem, memoriam, ingenium videat, cap. 28. Omninoque etsi animi locum et faciem ignoremus, hoc tamen dubitari non posse, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex; ideoque eum nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi posse, nec interire igitur, cap. 29. His igitur ac talibus rationibus adductum Socratem supremo vitæ die de animorum immortalitate disseruisse, verissimumque ejus dictum esse, totam philosophorum vitam nihil aliud esse quam commentationem mortis, cap. 30, 31.

Sequitur ut demonstretur, etiamsi animi mortales sint, mortem tamen non esse in malis. In quo Stoicos ait esse perabsurdos, qui animos manere dicant, quum e corpore excesserint, sed non semper, quod dent id, quod difficillimum in causa sit, posse animum manere corpore vacantem, quod

autem facile sit, tollant, eos semper manere, cap. 32. Neque vero Panætii rationem duplicem valere, qui animos mortales esse statuat, primo, quod quidquid nascatur, intereat; deinde quia animus sæpe æger sit; quod autem ægrum esse et in morbum incidere possit, id etiam interire possit. Nam quum de animi immortalitate disputetur, de mente dici, quæ omni turbido motu semper vacet, non de iis partibus, in quibus ægritudines versentur, cap. 33. Sed si concedatur, animum morte interire, non esse tamen quod mortem timeamus. Non enim propter se mortem timeri, quæ plerumque sine sensu fiat, nonnumquam etiam cum voluptate, sed hoc potissimum homines angere, quod mors sit discessus ab omnibus iis, quæ sunt bona in vita. Sed ea bona aut opinata esse, aut tam pauca et parva, ut a malorum aut magnitudine aut multitudine obruantur; et morte omnia mala et pericula effugi, cap. 34, 35. Nullis etiam bonis carere mortuos, quod carere is demum dicatur, cui desit quod desideret, nec odiosum esse, sine sensu esse, quoniam nihil in eo possit esse odiosum, qui ipse non sit, qui nec careat, nec sentiat, cap. 36, 37. Itaque licere etiam eum, qui mortalem esse animum judicet, æterna moliri, non gloriæ cupiditate, quam sensurus non sit, sed virtutis, quam necessario gloria, etiam si id ipse non agat, consequatur, cap. 38. Pellendas igitur esse istas ineptias, ante tempus mori, miserum esse; totam potius vim bene vivendi in animi robore et magnitudine, et in omni omnium rerum humanarum contemptione et in omni virtute ponendam esse, cap. 39-42. De humatione autem ac sepultura non esse laborandum, quod ea nihil ad mortuum pertineat, cap. 43-45. Operam potius dandam esse, ut laudabilem vitam gloriosa ratione finiamus, cap. 46.

Epilogi loco afferuntur ipsorum deorum de morte testimonia, et hominum de morte pro patria oppetita opiniones, cap. 47-49.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM[1] QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER PRIMUS.

DE CONTEMNENDA MORTE.

I. Quum defensionum[2] laboribus, senatoriisque muneribus aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus, retuli me, Brute, te hortante maxime, ad ea studia, quæ retenta animo, remissa tempori-

I. 1. *Tusculanarum Quæstionum.* Sic J. V. *Leclerc*, quem sequimur (vide sup. p. 2). Davisius, et post eum Schütz. scribit *Tusc. Disputationum*, notatque: Lectionem *Quæstionum*, licet a Reg. aliisque nonnullis codd. exhibitam, jure repudiavimus, quod et ante nos fecerat Paullus Manutius. Alteram sane scripturam non modo repræsentant MSS Pall. Vatic. Gemblac. Colon. Med. et Balliol. verum etiam eo titulo hosce libros insignit Lactantius, Div. Inst. III, 13, et « M. Tullium secundo Tusculanarum Disputationum libro » laudat Boetius in Topic. lib. V, pag. 839. Hieronymus Procem. in libb. contra Pelag. pag. 454 : « quorum sententias et Tullius in Tusculanis Disputationibus explicat ». Nec aliter ipse scriptor. Vide Tusc. lib. V, cap. 2; Divin. Procem. lib. II; lib. de Fato, cap. 2, et ad Attic. lib. XV, epp. 2, 4. At Nonius, Charisius et Priscianus simpliciter *Tusculanas* vocant; parique modo Servius, Donatus, Augustinus, Lupus Abbas ep. 8, Tertullianus Apol. cap. 50, aliique. — Tusculanæ Quæstiones nomen invenere a villa Tusculana, quondam Sullæ, tunc quidem Ciceronis, ubi habitas fuisse finguntur. Scriptæ sunt anno Urb. cond. 709, Jul. Cæsare et M. Antonio coss. De tempore quo scriptæ sunt, vide plura in Proleg.

2. *Quum defensionum.* Hæc usque ad finem cap. 4 sunt procemium in omnes disputationes. Primum loquitur Cicero de consilio suo philosophiam literis latinis illustrandi. Comparat deinde Romanos cum Græcis, ratione morum, rei domesticæ, publicæ ac militaris, causasque affert, curnam in doctrina et artibus elegantioribus hi priores civibus suis fuerint. Artem oratoriam mature inter Romanos cultam esse, philosophiæ studium autem

bus [3], longo intervallo intermissa [4] revocavi; et, quum omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina, studio sapientiæ, quæ philosophia dicitur, contineretur; hoc mihi latinis literis illustrandum putavi: non, quia philosophia græcis et literis [5], et doctoribus percipi non posset; sed meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius, quam Græcos, aut accepta ab illis, fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent [6]. Nam mores [7], et instituta vitæ, resque domesticas ac familiares nos profecto et melius tuemur, et lautius; rem vero publicam nostri

hucusque neglectum jacuisse, quod a se excitandum sit, et quidem ita, ut simul orationis elegantiæ in scriptis philosophicis habeat rationem. — *Defensionum*. Orationes putat in genere, sed defensoriarum in specie mentionem facit, quum, quia major esset earum numerus, tum, quod ipse (Off. II, 14) defensionis laborem multo digniorem viro honesto censet, quam accusationis. Nein.

3. *Remissa temporibus*. Temporum causa; quum honoribus atque muneribus inservire cœpisset, seque totum reipublicæ tradidisset, philosophiam remissius tractabat; nam tantum erat philosophiæ loci, quantum supererat amicorum et reipublicæ temporis, et id omne consumebatur in legendo, scribendi otium si non erat. Vid. Off. l. c. § 10. Nein.

4. *Longo intervallo intermissa*. Tempore belli civilis inter Cæsarem atque Pompeium gesti. Nein.

5. *Græcis et literis, et doctoribus*. Vatic. *libris*. Vulgata tamen lectio non est deserenda, quæ reliquis nititur MSS. Vide nos ad lib. II de Divin. c. 2, et ad Fin. I, 4. Dav.

6. *Non, quia... elaborarent*. Occurrit hic objectioni, quam forsan aliquis sit facturus. Objiciat quia, dicere vult, meam operam in illustranda scriptis philosophia plane supervacaneam esse, quum inter Græcos tot, et libri philosophici, et præceptores philosophiæ exstent, e quibus cuique haurire liceat. His respondet dicens: verum hoc quidem, sed ego semper putavi, Romanos et in illis, quæ ipsi invenerunt, et quæ sibi a Græcis tradita elaboranda et colenda sumpserunt, longe Græcos superasse, itaque sperandum, Romanos philosophiam quoque, si dignam opera sua statuerint, ad altiorem perfectionis gradum evecturos. Sed nimis hic videtur Cicero indulgere patriæ amori. Constat enim inter omnes, Romanos in quibusvis disciplinis Græcorum vestigia secutos esse; et illos non ita excellere potuisse, nisi hi exemplo suo præivissent, nemo ignorat. Nein.

7. *Nam mores... comparanda*. Jam exempla profert, in quibus Romani priores Græcis fuerint; nimirum in moribus et institutis vitæ, in re domestica, militari, in omnibus omnino,

majores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid loquar de re militari? in qua quum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Jam illa, quæ natura, non literis assequuti sunt, neque cum Græcia[8], neque ulla cum gente sunt conferenda. Quæ enim tanta gravitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda?

Doctrina Græcia[9] nos, et omni literarum genere, 3
superabat. In quo erat facile vincere non repugnantes: nam quum apud Græcos antiquissimum sit e doctis genus poetarum, si quidem Homerus fuit, et Hesiodus[10] ante Romam conditam[11], Archilochus re-

quæ naturæ dotibus consequi licet. Naid.

8. *Neque cum Græcia.* Alii libri *neque cum Græcis.*

9. *Doct. G. nos... sup.* In doctrina, poesi, arte pictoria, musica, geometria omninoque omnibus iis, quæ ad humanitatem spectant, Romani inferiores erant Græcis, cujus causam esse hanc dicit, quod omnia doctrina atque artes elegantiores maximi in Græcia putarentur, a Romanis contra vilipenderentur, adeo dedecori haberentur. Oratoriam artem contra mature cultam esse; inde factum, ut jam antiquioribus temporibus summi in hac arte viri exstiterint. Neid.

10. *Homerus fuit, et Hesiodus.* Hi sunt vetustissimi e Græcis, qui ætatem tulerunt; haud interim « dubitari debet quin fuerint ante Homerum poetæ, quod ex iis carminibus intelligi potest, quæ apud illum et in Phæacum et in procorum epulis canuntur », ut ait Noster in Bruto, pag. 174: nec sane desunt, qui nomina scriptorum Homero antiquiorum memoriæ tradiderunt. Vide Ælianum, Var. Hist. lib. XI, c. 2; Theodoretum, Therap. XI, p. 28, 29; Sextum Empiricum, adv. Mathem. pag. 41; Tatianum, Orat. ad Græcos, cap. 62, et ex eo Eusebium, Præp. Evang. lib. X, cap. 11. Hanc ob causam non audiendus est Velleius Paterculus, qui lib. I, cap. 5, de Homero sic loquitur: « In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est ». Davis.

11. *Ante Romam conditam.* Ita quidem statuunt, tam veterum, quam recentiorum plurimi; attamen testis est Tatianus Orat. ad Græcos, § 49, esse qui κάτω τὸν χρόνον ὑπάγαγον σὺν Ἀρχιλόχῳ γεγονέναι τὸν Ὅμηρον εἰπόντες· ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμασε περὶ Ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστὴν κατὰ Γύγην τὸν Λυδὸν, τῶν Ἰλιακῶν ὕστερον (sic enim supplendum ex MSS Gallic. vel cum Eusebio, Præp. lib. X, cap. 11, legendum ὕστερον τῶν Ἰλιακῶν) ἔτεσι

gnante Romulo; serius poeticam nos accepimus: annis enim fere DX[12] post Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Cæci filio[13], M. Tuditano, consulibus, anno ante natum Ennium; qui fuit major natu, quam Plautus et Nævius[14].

πεντακοσίοις, quo tempore rerum inter Romanos potitus est Numa Pompilius. Sed de poetæ quidem Parii ætate videndi sunt Cyrillus contra Julian. lib. I, p. 12; A. Gellius, N. A. lib. XVII, cap. 21, et V. C. Jos. Barnesius vit. Anacreontis, § 4: hanc autem de Homero sententiam foverunt Eophorion et Theopompus, ut patet ex Clemente, Strom. lib. I, pag. 236; eamque nuper argumentis tueri conatus est Henr. Dodwellos de Cyclis Dissert. III. Dav.

12. *Annis... DX.* Vulgg. *CCCCX.* At dubio procul excidit numerus centenarius. Testatur quidem Ursinus in suo MS legi *DXIV*, librariumque ex *DXIII* facili lapsu *DXIV* fecisse censet. In fastis sane Claudii et Tuditani consulatus ad A. U. C. 513 refertur. At quemadmodum testatur Cicero in Bruto, cap. 18: « Livius primus fabulam C. Claudio Cæci filio et M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem, quarto decimo et quingentesimo »; adeo ut ille codex calculum suppeditet, quem alibi Tullius est sequutus. Immo vero nullus dubito, quin ex hoc loco refictus sit iste liber; Noster enim paucos annos sciens prætermisit, quia non erat cur chronologiam nimis anxie traderet. De ea vide Jos. Scaligerum ad Eusebii Chron. n. 1830. Dav.

13. *Fabulam dedit, C. Claudio, Cæci filio.* Ursini MS repræsentat, « fabulam docuit, C. Claudio Centhone ». A. Gell. N. A. XVII, 21: « Consulibus Claudio Centone, Appii Cæci filio, et M. Sempronio Tuditano, primus omnium Livius poeta fabulas docere, Romæ cœpit ». Sane Græci passim διδάσκειν δράματα, Latini *docere fabulas* dicunt. Vide sis Is. Casaubonum ad Athenæi VI, 7, et Joan. Wowerium Polym. c. xat, § 13, 14. Sed quum *fabulas dare* non minus sit latinum, quam *docere*, ceterique codices summo consensu vulgatam lectionem retineant, unicum illum librum vel ex A. Gellio, vel ex Nostro de Senect. cap. 14, emendatum pronuntio. Dav.

14. *Qui fuit major natu, quam Plautus et Nævius.* Pronomen relativum non ad Ennium, sed ad Livium respicere censet G. J. Vossius de Hist. Lat. lib. I, c. 2: incommode quidem, præterquam quod nulla fuit umquam controversia, quin Livius Nævium et Plautum ætate præcesserit, siquidem Romanorum primus fabulam dederit. Vide Quintilianum, Inst. Orat. lib. X, cap. 2. Ego sane quum multis exemplis Tullium non ἀναμάρτητον esse deprehenderim, nullus dubito, quin σφάλμα μνημονικὸν hic admiserit; Nævius enim fuit Ennio vetustior. Vide Ciceronem in Bruto, cap. 15, 18, 19, et A. Gellium, N. A. lib. XVII, c. 21. Immo Plautus ipse prius fato cessit quam Ennius, sed quot annos natus obierit, haud constat. Dav. — MS Regius Luparensis, in editione Verburgii ad marginem citatus, omittit voces *et Nævius*, quas omittendas esse potius puto, quam cum Davisio credam Ci-

II. Sero igitur a nostris poetæ vel cogniti, vel recepti. Quamquam est in Originibus[1], solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus: honorem tamen huic generi[2] non fuisse, declarat oratio Catonis, in qua objecit, ut probrum, M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille in Ætoliam, ut scimus, Ennium[3]. Quo minus igitur honoris erat poetis, eo minora studia fuerunt. Nec tamen[4], si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Græcorum gloriæ responderunt. An censemus, si Fa- 4

ceronem hic σφάλμα μνημονικὸν admisisse. At legendum fortasse est, « quam Plautus, ut et Nævius », id est, ut et Nævius fuit major natu quam Plautus. Satis constat Nævium antiquiorem fuisse Ennio, utrumque Plauto. Pearcius. — Schützius vv. *qui fuit... Nævius* a Wolf. uncis inclusas omnino delevit. Hoc, inquit, ineptum est, quum constet Nævium Ennio natu majorem fuisse: nec si verum esset, opus erat ejusmodi aliquid hic addi. — Rathius sic transponendo loco mederi se credit: « Livius, qui fuit major natu quam Plautus et Nævius, fabulam dedit, etc. »

II. 1. *Est in Originibus*. M. Porcii Catonis opus qui « senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum P. R. Secundus et tertius, unde quæque civitas orta sit Italica, ob quam rem omnes Origines videtur appellasse », ut ait Corn. Nepos in vit. cap. 3. Eliens. tert. et Petrens. hic exhibent: « gravissimus auctor Cato in Originibus solitos dicat esse canere convivas ad tibicinem », quod glossema est ex lib. IV, cap. 2, huc traductum, ubi hæc sunt verba: « Gravissimus auctor in Originibus dicit Cato morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum hominum laudes atque virtutes ». Eamdem consuetudinem memorant Varro apud Nonium in *assa*; Cicero in Bruto, cap. 19; Valerius Maximus, lib. II, cap. 1, 10; et Quintilianus, lib. I, cap. 10. Eamque lege sancitam voluit Noster de Legg. lib. II, cap. 24. Dav. — *Origines*, opus historicum M. P. Catonis, cujus fragmenta tantum ad nostra pervenerunt tempora. Cicero de his in Bruto, cap. 17, ait: « Jam vero Origines, quem florem aut quod lumen eloquentiæ non habent? » Neid.

2. *Huic generi*. Poetis et musicæ artis peritis.

3. *Duxerat in Ætoliam... Ennium*. Vide sis, inter alios, Ciceronem in Bruto, cap. 20; pro Archia, cap. 11; Senecam Epist. CII, et Symmachum, lib. I, epist. 21. Dav.

4. *Nec tamen, si qui*. Davis. scribit: « nec tamen sic, qui ». Ita, inquit, Reg. Vatic. et Pal. sec. ut edidimus: quod etiam Gebhardus haud spernendum merito censuit. — Schützius Davisio non assentitur.

bio[5], nobilissimo homini, laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos[6] et Parrhasios fuisse? Honos alit artes[7], omnesque incenduntur ad studia gloria; jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur. Summam eruditionem[8] Græci sitam censebant in nervorum

5. *Si Fabio... laudi datum esset, quod pingeret.* Immo vero artem pictoriam Fabio fuisse laudi satis indicat cognomen *Pictor* ex ea tractum. Hieronymus ad Heliodorum de morte Nepotiani, p. 23: « Nobilem virum Q. Fabium miratur antiquitas, qui etiam romanæ scriptor historiæ est, sed magis ex pictura, quam ex literis, nomen invenit ». Vide et Plinium, H. N. lib. XXXV, c. 4. Dav. — De Fabio vid. quoque Cic. Brut. 21, et Sigon.

6. *Polycletos et Parrhasios.* Sic MSS: nec cum Joach. Camerario locum corruptum esse statuerim; eaque de causa P. Manutium, D. Lambinum et Fr. Fabricium non audio, qui « Polygnotos et Parrhasios » reponunt: licet enim de pictoribus habeatur oratio, Polycletus non minus pictura, quam arte statuaria fuit clarus, ut diserte testatur Tzetzes, Chil. VIII, 320. Quin et apud Ælianum, V. H. XIV, 8, Polycletus ὁ ζωγράφος dicitur, si codicibus scriptis credimus; nec ego quidem eorum fidem suspectam habeo, quum similem prorsus historiam de pictore ἀνωνύμῳ referat Dion Chrysost. Orat. LXXVIII, p. 656. Vide sis et Scholiastem ad Luciani Philops. tom. II, pag. 35. Dav.

7. *Honos alit artes... improbantur.* Ab antiquo poeta mutuatus est Cicero, pro cujus sententia *laus alit artes*, vide Senecam, epist. 102. Totam vero ῥῆσιν laudat Augustinus, lib. V C. D. cap. 13, et ex eo Joan. Sarisberiensis de Nug. Curial. lib. VIII, cap. 5, pag. 544. Vide Lupum Ferrariensem, ep. 1, pag. 2. In eamdem mentem prior dixit Plato, de Rep. lib. VIII, pag. 174: Ἀσκεῖται δὴ τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. Ad hoc ejus effatum respiciunt Synesius de Provid. pag. 103, et Themistius plus semel. Adi sis, Orat. IV, pag. 54; XV, pag. 195, etc. Dav. — Mox pro *incenduntur*, Bentleius e quibusdam libb. probat *incendimur.*

8. *Summam eruditionem... vocumque cantibus.* Secundum nonnullos, horum numero eximendi sunt Lacedæmonii, qui quum reliquas disciplinas spernebant, tum μουσικῆς ἀπείρως εἶχον, ut testatur Ælianus, V. H. lib. XII, cap. 50. Hinc scriptor ἀνώνυμος inter Opusc. Galean. Diss. II, p. 712: Λακεδαιμονίοις τὼς παῖδας μὴ μανθάνειν μωσικὰ καὶ γράμματα, καλόν. Contra tamen Athenæus, lib. IV, pag. 184: Ἔμελε τοῖς πάλαι πᾶσιν Ἕλλησι μουσικῆς· διόπερ καὶ ἡ αὐλητικὴ περισπούδαστος ἦν. Χαμαιλέων γοῦν ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ προτρεπτικῷ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΥΣ φησὶ καὶ Θηβαίους πάντας αὐλεῖν μανθάνειν. Quintilianus, lib. I, cap. 10: « Lycurgus durissimarum Lacedæmoniis legum auctor musices disciplinam probavit ». Vide sis etiam Plutarchum, tom. II, pag. 238, et Boetium de Mus. cap. 1. Attamen Λακεδαιμόνιοι εἰ μὲν ἐμάνθανον τὴν μουσικήν, οὐδὲν λέγουσι. Verba sunt Athenæi, lib. XIV, p. 628. Dav.

vocumque cantibus. Igitur et Epaminondas[9], princeps, meo judicio, Græciæ, fidibus præclare cecinisse dicitur; Themistoclesque aliquot ante annos[10], quum in epulis recusasset[11] lyram, habitus est indoctior. Ergo in Græcia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec, qui nesciebat, satis excultus doctrina putabatur. In summo apud illos honore geometria fuit. Itaque nihil mathematicis illustrius. At nos, metiendi[12], ratiocinandique utilitate, hujus artis terminavimus modum.

III. At contra oratorem celeriter complexi[1] sumus: nec eum primo eruditum[2], aptum tamen ad dicendum; post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Lælium, doctos fuisse traditum est; studiosum[3] autem eum, qui iis ætate anteibat, Catonem; post vero

9. *Epaminondas.* Nam citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio. Nep. Epam. 2. Neid.

10. *Aliquot ante annos.* Ante Epaminondam. Ern.—Aliquot ante annis non est h. l. paucos annos ante Ep. (nam erant inter Themistoclis mortem et Epaminondam circiter quinquaginta anni), sed plures annos. Adhibent enim Latini τὸ *aliquot* pro quovis numero indefinito, quem vel ipsi nesciunt, vel accuratius definire non attinet. Neid.

11. *Recusasset.* Hoc Ern. restituit ex edd. vett. ut Mediol. Junt. Ald. Steph. Postea editum *recusaret;* et sic quoque Davis. — *Quum in epulis recusasset lyram.* Ratio est, quod ἔθος ἦν παλαιὸν, μετὰ τὴν συνεστίασιν, ἅπτεσθαι λύρας καὶ ᾄδειν, uti dicit Isidorus Pelusiota, lib. II, ep. 146. Adeatur etiam Tacitus, Annal. XIV, 14. Historiam vero, quam Noster tradit, referunt Quintilianus, Inst. Orat, lib. I, c. 10, et Augustinus, ep. 56, ad Dioscorum, pag. 89, ed. Colon. Dav.

12. *At nos metiendi.* Nos huic disciplinæ eatenus tantum operam damus, quatenus inservit metiendo et ratiocinando (Mathesis technicopractica), abjectis illis difficilioribus disquisitionibus, quæ de quanto et quantitate in genere tractant. Neid.

III. 1. *Oratorem celeriter complexi sumus.* In republica romana jam ab antiquissimis inde temporibus eloquentia coli cœpit. Neid.

2. *Nec eum primo eruditum.* Ab initio satis videbatur, si quis tantummodo eloquentia quadam naturali instructus esset, nulla doctrinæ ratione habita; postea multo magis eruditio requirebatur in oratore. Neid.

3. *Studiosum.* Studiosus is esse videtur, qui oratoriæ artis regulas constitueret, qui theoretice, ut dicunt, tractaret eam, atque in systema quoddam redigeret. Neid.

Lepidum, Carbonem[4]; Gracchos; deinde[5] ita magnos nostram ad ætatem, ut non multum, aut nihil omnino Græcis cederetur[6]. Philosophia jacuit[7] usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum[8] latinarum: quæ illustranda, et excitanda nobis est, ut, si occupati[9] profuimus aliquid civibus nostris, pro-
6 simus etiam, si possumus, otiosi[10]. In quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi jam esse latini libri dicuntur scripti inconsiderate, ab optimis[11] illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest[12], ut recte quis sentiat, et id, quod sentit, polite eloqui non possit. Sed mandare quemquam[13] literis cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio, et literis. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis[14], nec

4. *Carbonem.* Sic restituit Beroald. nec aliter edidit Erasmus: nam codices absurde dant Catonem, cujus jam ante meminerat. Vide Ciceronem in Bruto, cap. 27. Dav.

5. *Deinde ita magnos.* Davis. quem Schütz. sequitur, dedit *inde ita mag.* e Reg. et Med.

6. *Cederetur.* Lambin. *cederemus.*

7. *Philosophia jacuit.* Neglecta est et contempta. Non opus est ut rescribamus *latuit* cum MS Norvic. et ed. Ven. A. D. 1491. Dav.

8. *Nec ullum habuit lumen literarum.* Philosophiam hucusque nullus romanorum scriptorum probatorum exposuit, eamque e tenebris, quibus quasi depressa jacebat, protraxit. Dav. — Significat defuisse philosophiæ eloquentiam. Camer.

9. *Occupati.* In republica et rebus forensibus versantes. *Otiosi*, a publicis negotiis remoti. Neid.

10. *Ut si occupati... otiosi.* Profert hæc Nonius in *occupatus.* Dav.

11. *Ab optimis illis quidem.* Schütz. cum Ern. et Wolf. « ab optimis illi q. » — *Latini libri... non satis eruditis.* Amafanium notat aliosque nonnullos ex Epicuri grege, quos eo nomine perstrinxit etiam Acad. lib. I, cap. 2. Adi sis et Tusc. IV, 3. Dav.

12. *Fieri autem potest.* P. Manutius mavult, « ferri autem potest ». Plane contra mentem Ciceronis. Nemo sane dubitet, quin fieri possit, ut quis sit γνῶναι μὲν περιττὸς, ἑρμηνεῦσαι δὲ ἀπέριττος, quod Philostratus in Secundi Sophistæ vita tradit, pag. 544. Pariter Lucianus de Timocle. Vide Jovem Tragœd. t. II, pag. 143. Dav.

13. *Mandare quemquam... et otio, et literis.* Hunc locum citat Eginhartus in Procem. ad vit. Caroli M. p. 8. Dav.

14. *Cum suis.* I. e. cum sui similibus, hominibus, æque ac ipsi, omni

quisquam attingit, præter eos, qui eamdem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Quare si aliquid oratoriæ laudis[15] nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiæ fontes aperiemus, e quibus etiam illa manabant[16].

IV. Sed, ut Aristoteles, vir summo ingenio, scien- 7
tiæ copia[1], quum motus esset Isocratis rhetoris[2] glo-

elegantia in scribendo destitutis. Nein.

15. *Oratoriæ laudis.* Sic vulgo, ac ita Reg. aliique plures MSS. Davis. *laudi.* Veteres editos, inquit, præeunte Cl. Bentleio, sequimur. Cicero de Orat. I, 28: «Ut ad hanc similitudinem hujus histrionis oratoriam laudem dirigamus». Idem in Bruto, cap. 30: «Quoniam per illos ne hæc quidem in civitate genera oratoria laude caruerunt». Vide sis et cap. 85. — Davisium Wolfius et Schütz. sequuntur; idemque edidit Neid. Sed certe non hæc est nostri sententia, sed ea quam vidit Bentl. interpretans: «Si aliquid oratoriæ laudi hominum romanorum attulimus, adjecimus; id est, si per nos Romæ ars oratoria quadam laude floruit». Moser Davisio assentitur, et tamen post *laudi* compendium *Ro.* pro *Romanorum*, vel *nostræ* excidisse putavit, ut legeretur «laudi nostræ nostra att. ind.»

16. *Illa manabant.* Sc. *disponere*, *illustrare*, et *delectatione afficere lectorem.* Sed mihi, fateor, fere persuasum est Ciceronem scripsisse *manabat*, ut hoc verbum ad oratoriam laudem respiceret, quæ proxime præcesserat. Pearcius. — Pearcio Ern. assentitur.

IV. 1. *Vir summo ingenio*, *scientiæ copia.* In suo MS duo postrema verba non legi testatur Ursinus. Quum vero ea reliqui servent codd. reponendum videtur *scientia* et *copia*, quemadmodum monuimus ad lib. II de Divin. cap. 1. Nec quemquam male habeat loquendi ratio; nam pari modo «commodiorem hominem, adventum, tempus» dixit Terentius Andr. act. V, sc. II, 3. Cicero in Verrem, lib. IV, cap. 58: «Requisisse dicitur etiam Archimedem illum summo ingenio hominem ac disciplina». Minucius Felix, Octav. cap. 2: «Relicta domo, conjuge, liberis». Et quæ sunt hujusmodi plura. Dav. — Schützius, Wolfio auctore, maluit scribere, omissa copula, *scientia*, *copia.*

2. *Motus esset Isocratis rhetoris gloria.* Huc faciunt verba Ciceronis, de Orat. lib. III, cap. 35: «Ipse Aristoteles quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret... mutavit repente totam formam prope disciplinæ suæ, versumque quemdam de Philocteta paullo secus dixit; ille enim turpe sibi ait tacere, quum Barbaros (sic recte F. Ursinus et MSS Oxon. pro *barbaris*, quod editi retinent); hic autem quum Isocraten pateretur dicere». Quintilianus, Inst. Orat. lib. III, c. 1, § 14: «Pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit, muto quidem illo, ut traditur, versu ex Philocteta frequenter usus, Αἰσχρὸν σιωπᾷν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾷν λέγειν». Sic enim locus est refingendus. Quin et Euripideum illud, Αἰσχρὸν σιωπᾷν, βαρβάρους δ' ἐᾷν λέγειν, de Xenocrate pepαρῴδηκε Stagirita. Vide Diogenem Laertium, lib. V, § 3. Dav.

ria, docere etiam cœpit adolescentes [3] dicere, et prudentiam cum eloquentia jungere [4] : sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere, et in hac majore et uberiore arte versari. Hanc enim perfectam philosophiam semper judicavi, quæ de maximis quæstionibus copiose posset ornateque dicere; in quam exercitationem ita nos studiose [operam] dedimus [5], ut jam etiam scholas [6] Græcorum more habere auderemus : ut nuper tuum post discessum, in Tusculano, quum essent plures mecum familiares,

3. *Docere etiam cœpit adolescentes, dicere*. Schützius post Davis. et Wolf. scribit « dicere etiam cœpit adolescentes docere », nulla virgula : quam quidem, quum in prima ed. Davis. post *cœpit* posuisset, sic a Bentl. est admonitus : Hæc cum vulgo sic accipere (Davisium video), ac si asyndeton esset, pro « cœpit dicere, et docere adol. » Perperam quidem : quippe auferendum illud comma, et sine interpunctione legendum : « dicere etiam cœpit adolescentes docere »; hoc est, cœpit docere adolescentes etiam artem dicendi. Sic infra, Tusc. I, 18, « Aristoxenus hæc magistro concedat Aristoteli; canere ipse doceat ». Græce διδάσκειν τοὺς νέους λέγειν. Bentl.

4. *Prud. cum eloq. jung.* Quæ hic dicuntur contraria sunt illi loco, Off. I, 1, sub fin. ubi uterque (Aristot. et Isocrates) suo studio delectatus contempsisse alterum dicitur. Quomodo Aristoteles suo studio, i. e. philosophia tantum delectatus fuisse dici potest, quum secundum h. l. dicere etiam cœpit adolescentes docere, et prudentiam (i. e. philosophiam) cum eloquentia jungere? Cf. de Orat. III, 35. Nein.

5. *In quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus*. D. Lambinus et Fr. Fabricius, auctoritate, prout aiunt, veterum librorum, *operam* delent. Tum demum noto loquendi genere Tullius est usus. Omnes tamen nostri istam vocem repræsentant; nec, ut videtur, immerito. Dav. — Vocem *operam* Schützius delevit, sequutus Gebhardi, Buherii, Ern. et Wolf. auctoritatem.

6. *Scholas*. Disputationes; quo sensu *pomeridianas scholas* dixit Quintilianus, III, 1. Noster infra, III, 34 : « Separatim certe scholæ sunt de exsilio... hæc Græci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt »; et de Fin. II, 1 : « Ne me tamquam philosophum putetis scholam aliquam vobis explicaturum ». Augustinus, C. D. II, 7 : « An forte nobis philosophorum scholas disputationesque memorabunt »? Sic τὴν γενομένην σχολὴν περὶ τοῦ ἀκούειν memorat Plutarchus, t. II, pag. 37. Vide sis et Arrianum Epict. lib. IV, c. 9, p. 424, et Diog. Laert. X, 26. Dav. — Omissum nolim quod animadvertit in Anglica scriptione quadam Phileleutherus Lipsiensis, hoc est, Richardus Bentleius, has Quæstiones non ejusdem esse generis, cujus illæ sunt, quæ vel præcessere,

tentavi, quid in eo genere possem. Ut enim antea
declamitabam causas, quod nemo me diutius[7] fecit;
sic hæc nunc mihi senilis est declamatio. Ponere[8] ju-
bebam, de quo quis audire vellet; ad id aut sedens,
aut ambulans disputabam[9]. Itaque dierum[10] quinque 8
scholas, ut Græci appellant, in totidem libros con-
tuli. Fiebat autem ita, ut, quum is, qui audire vellet,
dixisset quid sibi videretur, tum ego contra dicerem.
Hæc est enim, ut scis, vetus, et Socratica ratio contra
alterius opinionem disserendi: nam ita facillime, quid
verisimillimum esset[11], inveniri posse Socrates arbi-

Academicæ, et *de Finibus*; vel sequentur *de Natura Deorum* et *de Divinatione*. Hæ Tusculanæ in morem scholarum quas habebant Græci sunt compositæ: aliæ sunt proprio nomine Disputationes. In disputationibus agunt philosophi, et sui quisque ordinis et sectæ proprias sententias ita defendunt, ut quod mente præceptum attulerant, domum reportent. Quod enim a disputantibus philosophis fieri videbat Cicero, et nos quoque videmus, id in his servabit fictis disputationibus, ne quis forte dubitaret esse philosophos, si videret cedentes veritati. In *scholis* unus est, qui velit doceri, alter qui doceat. Auditor nihil defendit, non repugnat, parce loquitur, neque alio fine, quam ut alteri det causam loquendi, atque explicandi. ANONYM. ab Olivet. citatus.

7. *Quod nemo me diutius fecit.* Vatic. habet *ditius*, inepte: nam « Thesibus Cicero jam princeps in Rep. exerceri solebat », ut docet Quintilianus, lib. X, cap. 5; quod etiam petet ex lib. XII, cap. 11, et ex Tusc. II, 3. Plures Veterum locos in hanc rem congessit Pithœus ad auctorem de Causis Corr. Eloq. cap. 35. Hunc vero morem graviter castigat Synesius de Insomn. pag. 157. DAV.

8. *Ponere.* Ponere quæstionem dicitur, qui jubet de re aliqua dicere, cujusmodi quæstiones hinc θέσεις appellantur. ERN.

9. *Ad id aut sedens... disp.* Sic correxit Gebhardus, quum in plurimis MSS legeretur *at id:* in nonnullis est *ac id*, quod Davisio non displicebat.

10. *Itaque dierum ... exordium.* Has disputationes, methodo Socratica per dies quinque in Tusculano habitas, in hos libros contuli, easque sic exposui, quasi agatur res, non quasi narretur, i. e. sententiam cujusvis non meis verbis attuli, sed quemvis suis verbis feci loquentem. NEID.

11. *Quid verisimillimum esset.* MS Colon. dat, « quid verum esset verive simillimum ». Minus quidem congrue: quum « Socrates in omnibus fere sermonibus ita disputet, ut nihil affirmet ipse, refellat alios; nihil se scire dicat nisi id ipsum; eoque præstare ceteris, quod illi quæ nesciant scire se putent; ipse se nihil scire, id unum sciat », ut ait Noster, Acad. I, 4. Hinc sequaces ejus Academici « omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa,

trabatur. Sed quo commodius disputationes nostræ explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res[12], non quasi narretur. Ergo ita nascetur exordium.

9 V. Auditor[1]. Malum mihi videtur[2] esse mors. — Cicero. Iisne, qui mortui sunt, an iis, quibus moriendum est? — Aud. Utrisque. — Cic. Est miserum igitur, quoniam malum. — Aud. Certe. — Cic. Ergo et ii, quibus evenit jam, ut morerentur, et ii, quibus eventurum est, miseri. — Aud. Mihi ita videtur. — Cic. Nemo ergo non miser[3]. — Aud. Prorsus nemo. — Cic. Et quidem, si tibi constare vis[4], omnes, quicumque nati sunt eruntve, non solum miseri,

magisque omnia verisimilia quam vera» statuerunt. Verba sunt Minucii Felicis in Oct. c. 5. Hæc pluribus ostendere, nullum esset negotium; sed in re clara stylo temperandum. Adi tamen sis Augustinum contra Acad. lib. II, cap. 6, 11, 13, et Nostrum infra, cap. 9. Dav.

12. *Quasi agatur res.* Quasi colloquium coram te habeatur.

V. 1. *Auditor. Malum mihi*, etc. Vulgo sola litera *A.* vox *auditor* notatur. Uterque codex Eliens. Atticum collocutorem agnoscit; nec aliter Pet. Alcyonius de Exsil. pag. 43, et Joach. Camerarius. Iis præivit Lactantius, Div. Inst. lib. I, cap. 15, ubi, postquam ex hujusce libri cap. 13 nonnulla laudaverat, ita subdit : «Testatus est videlicet Attici conscientiam ex ipsis mysteriis intelligi posse, quod omnes illi homines fuerunt, qui coluntur». Immerito : Atticus enim tum temporis senex erat; juvenis autem ille, qui cum Cicerone disputavit, ut patet ex lib. II, cap. 11. Hac igitur litera, quod etiam Lambinus vidit, *adolescentem* denotari puto. Licet autem viro illi docto nec hæ, nec aliæ personarum notæ a Tullii manu fuisse videantur; me tamen non habet adsentientem. Immo, nisi fallor, in nonnullis codicibus eas prætermisit librariorum negligentia. Vide Is. Casaubonum ad Dionis Chrysostomi Orat. XXI, p. 38. Dav. — Schützius merito dicit se malle *auditorem* intelligere, quum præcesserit «is qui audire vellet». Oliv. totis literis scripsit *auditor*. De modo quo designari debent hujus dialogi personæ, vid. plura supra in Prolegomenis, ubi fuse rem discutit Olivetus.

2. *Malum videtur... existimo.* Posita ab auditore thesi : malum esse mortem, quæritur, num mors malum sit iis, qui jam mortui sunt, an iis, quibus moriendum est? Quod si utrisque sit malum, sequitur, ut omnes homines sint miseri. Naud.

3. *Nemo ergo non miser.* I. e. omnes itaque sunt miseri. Naud.

4. *Si tibi constare vis.* Sibi constare philosophi dicuntur, quum nihil decernunt, quod cum ceteris decretis suis non consentiat. Naud.

sed etiam semper miseri. Nam si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset; neminem tu quidem eorum, qui viverent, exciperes: moriendum est enim omnibus; esset tamen miseriæ finis in morte[5]. Quoniam autem etiam mortui, miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. Necesse est enim, miseros esse eos, qui centum millibus annorum[6] ante occiderunt, vel potius omnes, quicumque nati sunt. — AUD. Ita prorsus existimo. — CIC. Dic, quæso[7], num te illa terrent, triceps[8] apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, « mento summam aquam attingens siti enectus[9] Tantalus? » num illud[10], quod

.... Sisyphu' versat
Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum[11]?

5. *Miseriæ finis in morte*. Sic Lucanus: « mors ultima pœna est, Nec metuenda viris ». Et Cæsar apud Sallustium mortem cuncta mortalium mala dissolvere, et ærumnarum requiem esse in miseriis ac luctu, statuit. Et Aristoteles in Ethicis omnium tremendorum finem esse. A. MANUT.

6. *Centum millibus annorum*. Loqui videtur secundum eos qui mundum neque genitum neque interiturum unquam fuisse prodiderunt; et ita homines semper fuisse, neque unquam nisi ex hominibus natos, atque eorum generi caput exordiumque nullum exstitisse arbitrati sunt. Quæ opinio auctores habet Pythagoram, Archytam, omnesque adeo Pythagoricos, Aristoteles quoque Stagirites et Theophrastus, multique non ignobiles Peripatetici idem scripserunt. BEROALD.

7. *Dic, quæso,.. sempiternum, malum*. Incutiunt tibi forsan terrorem, inquit Cicero, illa, quæ a poetis de statu inferorum narrantur horribilia, et hanc ob causam censes mortem malum idque sempiternum. NEID.

8. *Triceps apud inferos Cerberus*. Sic quidem plerique e poetis; at Hesiodus, Theog. vs. 312, hunc canem vocat πεντηκοντακάρηνον; Horatius autem, lib. II, od. 13, numerum dimidio auxit, eique centum capita donavit, adeo ut parum sibi constent mendaces. DAV.

9. *Siti enectus*. Davis. *enectus siti*. Vulgo, inquit, *siti enectus*. Perperam: nam versus est trochaicus. Is a Nonio laudatur in *summum*. Vide et Priscianum, lib. IX, col. 861. Ordinem, quem servamus, præstant Reg. Bak. Balliol. aliique MSS. — Schützius cum Wolf. *siti enecatus*.

10. *Num illud, quod, etc.* Pro *num* Davisius scribit *tum* ex Reg. et Med. vocesque sequentes *illud quod* versus initio adscribit.

11. *Quod... hilum*. Versus sunt ex antiquo poeta desumpti, quos sub Ciceronis nomine laudat Nonius in vv.

fortasse etiam inexorabiles judices, Minos et Rhadamanthus[12]; apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec, quoniam[13] apud Græcos judices res agetur, poteris adhibere Demosthenem: tibi ipsi pro te erit maxima corona[14] causa dicenda. Hæc fortasse metuis, et idcirco mortem censes esse sempiternum malum.

VI. Aud. Adeone[1] me delirare censes, ut ista esse credam? — Cic. An tu hæc non credis? — Aud. Minime vero. — Cic. Male hercule narras[2]. — Aud. Cur? quæso[3]. — Cic. Quia disertus esse possem, si contra
11 ista dicerem. — Aud. Quis enim non[4] in ejusmodi causa? aut quid negotii[5] est, hæc poetarum et pictorum portenta convincere? — Cic. Atqui pleni sunt

hilum et *niti*. Dav. — Intell. neque tantillum proficit.

12. *Minos et Rhadamanthus*. MS Norvic. « Æacus et Rhadamanthus »; ego vero nihil immutandum puto, quum alii codices vulgatam lectionem retineant, scriptoresque horum nomina conjungant. Cf. Tatianus, Orat. ad Græcos, cap. 9 et 41. Hujusce consuetudinis rationem suppeditabit Lucian. de luctu, t. II, p. 301. Dav.

13. *Quoniam*. Nihil opus, quod Ernestio in mentem venit, *quoniam* in *quamquam* mutare. Sch. — *Quamquam* est in duobus MSS Reg. J. V. L. non probante. Demosthenem nominandum potius censet, utpote Græcum oratorem, quoniam judices sunt Græci.

14. *Maxima corona*. Maximo auditorum consessu. Cf. de Nat. Deor. II, 1. Nzid.

VI. 1. *Adeone me... quia nulli sunt*. Auditor Ciceronis respondet, se non adeo delirare, ut ista esse credat, se potius credere illos mortuos nusquam esse, obque id ipsum miseros, quia nulli sint, ob eamque causam malum esse mortem. Nzid.

2. *Male hercule narras*. Ridet his Cicero illos philosophos, qui nimis multi erant in refutandis illis fabulis de miseria inferorum. Quanta privas occasione, dicere vult, uberius contra vanitatem harum fabularum disserendi, acumen ingenii copiamque orationis ostentandi? Est enim mediocrium philosophorum ea uberius tractare, de quibus vel plane nihil dicendum erat, vel quæ paucis absolvi potuissent. Nzid.

3. *A. Cur? quæso.—M. Quia disertus esse possem*. Priora Tullio, posteriora Manutius Adolescenti, seu Auditori, tribuit. Absurde quidem; non enim adolescentis erat eloquentiam suam ostendere. Dav.

4. *Quis en. non*. Intell. non est, quod doleas hanc dicendi facultatem tibi non dari, nam non multum laudis inde ad te rediret. Ern.

5. *Quid negotii... convincere?* Hunc locum adducit Non. in *portenta*. Dav.

libri contra ista ipsa philosophorum[6] disserentium.
— Aud. Inepte sane. Quis est enim tam excors[7], quem
ista moveant? — Cic. Si ergo apud inferos miseri non
sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. — Aud. Ita
prorsus existimo. — Cic. Ubi ergo sunt ii, quos mi-
seros dicis? aut quem locum incolunt? si enim sunt,
nusquam esse non possunt[8]. — Aud. Ego vero nus-
quam esse illos puto. — Cic. Igitur ne esse quidem.
Aud. Prorsus isto modo; et tamen miseros ob id
ipsum quidem, quia nulli sunt. — Cic. Jam mallem 12
Cerberum metueres[9], quam ista tam inconsiderate di-
ceres. — Aud. Quid tandem[10]? — Cic. Quem esse
negas, eumdem esse dicis. Ubi est acumen tuum?
quum enim miserum esse dicis, tum eum, qui non
sit, dicis esse. — Aud. Non sum ita hebes, ut istuc
dicam[11]. — Cic. Quid dicis igitur? — Aud. Miserum
esse, verbi causa, M. Crassum, qui illas fortunas
morte dimiserit; miserum Cn. Pompeium, qui tanta

6. *Contra ista ipsa philosophorum disserentium.* Schütz. cum Davis. et Wolf. transponit « disserentium philosophorum ». In aliis, ut Gothof. « philosophorum contra ista ipsa disserentium ».

7. *Quis est tam excors.* Juvenalis sat. II, 149: « Esse aliquid manes, et subterranea regna, Et contum, et Stygio ranas in gurgite nigras, Atque una transire vadum tot millia cymba, Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur ». Nern.

8. *Si enim sunt, nusquam esse non possunt.* H. Stephanus Castig. in Cic. pag. 111, mutata distinctione legit, « si enim sunt nusquam, esse non possunt ». Sed ejus interpunctionem menti Ciceronis contrariam esse, clare probant sequentia. Dav. — Mox Davis. cum Reg. scribit « quia nulli sint », ceteris non sequentibus.

9. *Mallem Cerberum metueres.* Mallem te potius ea credere, quæ poetæ de statu inferorum, de Cerbero, Cocyto, Acheronte, etc. narrant, quam omni acumine abjecto dicere, idem esse simul et non esse; nam qui miser est, etiam usquam sit necesse est; tu autem negabas, esse usquam, qui mortui essent. Nern.

10. *Quid tandem?* Ob quam causam. Vide Joan. Schefferum ad Phædri lib. I, fab. 9, 5. Dav. — Bentleio placebat *qui tandem?* Sc. *quomodo tandem?* Et sic jam in Aldi nepotis et Lambini edd.

11. *Non sum ita hebes, ut istuc dicam.* Est lectio codicis Pithœani, quam asseruimus in crepundiis ex primo

gloria [12] sit orbatus; omnes denique miseros, qui hac luce careant. — Cic. Revolveris eodem. Sint enim oportet, si miseri sunt. Tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent. Si igitur non sunt, nihil possunt esse; ita ne miseri quidem sunt [13]. — Aud. Non dico fortasse [14] etiam, quod sentio. Nam istuc ipsum, non esse, quum fueris, miserrimum puto. — Cic.
13 Quid? miserius [15], quam omnino numquam fuisse? Ita, qui nondum nati sunt, miseri jam sunt, quia non sunt; et nos ipsi [16], si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus, antequam nati. Ego autem non commemini [17], antequam sum natus, me miserum. Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere [18].

VII. Aud. Ita jocaris, quasi ego dicam, eos miseros, qui nati non sunt, et non eos [1], qui mortui sunt. — Cic. Esse ergo eos dicis. — Aud. Immo, quia non

quoque Pal. alluditque quart. quint. Ulrich. suu *istud.* Vulgo *ista dicam.* Gernhard.

12. *Qui tanta gloria sit orbatus.* In prima ed. Dav. dederat « tanta gloria, dignitate tanta ». Has duas voces postremas Gebhardus ejecerat, utpote quæ aberant in Gulielmianis omnibus, Pall. Ulrich. Ald. Davisius eas reduxerat auct. MSS Vatic. Norvic. ed. Ven. Sed in secunda sua edit. Gebhardum ipse sequutus est.

13. *Ne miseri quidem sunt.* Voc. *sunt* Schützius delevit cum Wolfio, suadentibus Bentleio et Ernestio.

14. *Non dico fortasse..... eo miseros esse.* Dicit auditor : malum quidem non est τὸ non esse, sed malum, idque summum non esse quum antea fueris, ideoque mortui miseri sunt, non quia non sunt, sed quia non sunt, antea quum fuerint. Nein.

15. *Quid? miserius, quam.* Sic interpungi voluit Pearcius, quum vulgo abesset nota interrogationis.

16. *Et nos ipsi, si post m.* Davisius delevit vocem *ipsi*, quam nesciunt Reg. Med. Balliol. aliique codices. Sed eum ceteri non sequuti sunt.

17. *Ego autem non commemini.* Davisius e codice Cantabrig. notat ibi legi : « Ego, antequam natus sum, numquam memini, me miserum fuisse ». Vaaacan.

18. *Recordere.* Sic Ern. cum edd. Junt. Ald. Vulgo *recordare.*

VII. 1. *Et non eos, qui mortui sunt.* Al. *et non eos miseros.* Sed vocem *miseros* prætermittunt Eliens. pr. et Bak. eamque vocem Lambinus ex conjectura delendam censuit. Quum tamen illam teneret præstantissimus codex Reg. Davisius eam retinuit; sed abjecta est ab Ern. et Schutzio.

sunt[2], quum fuerint, eo[3] miseros esse. — Cic. Pugnantia[4] te loqui non vides? quid enim tam pugnat, quam non modo miserum, sed omnino quidquam esse, qui non sit? an tu egressus porta[5] Capena, quum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos? — Aud. Quoniam me verbo premis, posthac non ita dicam, miseros esse, sed tantum, miseros, ob id ipsum, quia non sunt[6]. — Cic. Non dicis igitur, Miser est M. Crassus, sed tantum, Miser M. Crassus. — Aud. Ita plane. — 14
Cic. Quasi non necesse sit, quidquid isto modo pronunties, id aut esse, aut non esse. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum[7] (sic enim mihi in præsentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα[8]: utar post alio, si inve-

2. *Quia non sunt.* Davis. cum Reg. et Med. dedit *sint.*

3. *Eo miseros.* Vulgo *eos.* Nos autem Reg. et Bak. sequimur. Vide Godesc. Stewechium de Part. L. L. pag. 66. Dav.

4. *Pugnantia te loqui.* Est autem contradictorium non esse et tamen miserum esse. Neid.

5. *Egressus porta Capena.* Ven. *portam Capenam.* Hic multa collegit Davisius exempla vocis *egredi* accusativo junctæ; ex. e. Sallust. lib. III Histor. « Postquam egressus angustias ». Valerius Maximus, lib. I, cap. 1, 2 : « Urbem egredi passus non est », ac lib. IX, cap. 6, § 2, « Urbem egressos ». Sed tamen consensum ceterorum libb. sequutus est. — *Porta Capena.* Hodie *Porta Sti Sebastiani.* Ducebat hæc porta in viam Appiam, ad quam multa erant monumenta illustrium Romanorum. Moris enim erat, sepulcra iis in locis exstruere, quæ frequentari solebant. Cf. Adleri descr. urb. Rom. p. 124, sq. Neid.

6. *Quia non sunt.* Hic, ut supra, Davisius dedit *sint* cum Med. Reg. Bal. aliisque codd.

7. *Omne pronuntiatum.* Ita vocat id, quod ab hodiernis logicis *propositio* seu *enuntiatio* dicitur. Veteres græcum vocabulum variis modis reddiderunt. Cicero Acad. Quæst. lib. II, cap. 29 : « Fundamentum dialecticæ est, quidquid enuntietur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod est quasi effatum) aut verum esse, aut falsum ». Et Sergio quidem est *effatum*, Varroni *proloquium*, aliis *rogamentum*, ut testatur Apuleius de Syllog. Categ. t. II, p. 273, ed. Lugd. 1614. Dav.

8. *Pronuntiatum*... ἀξίωμα. Ad hunc locum respicit A. Gellius, N. A. XVI, 8 : « Quidquid ita dicitur plena atque perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut verum aut falsum esse, id a dialecticis ΑΞΙΩΜΑ appellatum

nero[9] melius), id ergo est pronuntiatum, quod est verum, aut falsum[10]. Quum dicis igitur, Miser M. Crassus : aut hoc dicis, Miser est M. Crassus, ut possit judicari, verum id, falsumne sit; aut nihil dicis omnino. — AUD. Age, jam concedo[11], non esse miseros, qui mortui sunt[12], quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse. Quid? qui vivimus, quum moriendum sit, nonne miseri sumus? quæ enim potest in vita esse jucunditas, quum dies et noctes cogitandum sit, jamjamque esse moriendum?

VIII. CIC. Ecqui[1] ergo intelligis, quantum mali de humana conditione dejeceris[2]? — AUD. Quonam

est... a M. Cicerone prooontiatum, qoo ille vocabulo tantisper uti se attestatus est, quoad melius, inquit, invenero ». Hieronymus in Rufin. lib. I, col. 385, ed. Bened. « Quid significat ἀξίωμα, quod nos pronuntiatum possumos dicere ». Hæc satis ostendunt eos a recta via deerrasse, qui verbom Aristotelicum ἀπόφασιν ἀντὶ τοῦ ἀξιώματος hoc in locu repounnt. Quod si alia Veterum loca desideres, ea soppeditabit Æg. Menagius ad Laert. VII, 65. DAV. — *Omne pronuntiatum.* Est anaculuthon. Cicero dicere volebat : omne pronuntiatum aot verum est aot falsom. NEID. — *Mihi in præsentia occurrit, ut appellarem* ἀξίωμα. Sic volgu dant : at Balliol. exhibet, *appellem* ἀξίωμα, quod melios est et latinius. DAV. — Recte quidem hæc Davisius si *occurrit* præsens esset. At est præteritum. Sic de Fin. XVI, 54 : « qood enim illi ἀδιάφορον id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem ». SCHUTZ.

9. *Si invenero.* Volgu *sed si inv.* Ern. *sed* delevit aoct. Guelf. edd. vett. Ald. Junt. sequente Schützio.

10. *Quod est verum aut falsum.* Alii, « quod est aut verum, aut falsom ». Alii, « quud est verum vel falsum ». Olim erat « qood aot verum aut falsom esse dicitur ».

11. *Age, jam concedo*, etc. Aoditor, qoom sophismate illo extricare se non potuisset, concedit tandem, murtuos quidem non esse miseros, sed viventes tamen, quibus sit moriendum, quique mortem semper impeodentem timeant. Cupit autem educeri, mortem ipsis viventibus non esse timendam. NEID.

12. *Qui mortui sunt.* Ern. sine causa *sint* soadet.

VIII. 1. *Ecqui.* Sic Gebhard. e codd. Gembl. Fabr. Pith. Pall. 1, 3, 4, idque retinuerunt Gronov. Ern. Sed Schötzius cum Davisio, edd. vett. et Wolf. dedit *Ecquid.* Eosque auctores Neid. seqoutus est.

2. *De humana conditione dejeceris?* Quanto malu vitam humanam liberaveris. NEID.

modo? — Cic. Quia, si mori[3] etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam, et sempiternum malum haberemus in vita[4]. Nunc video calcem : ad quam[5] quum sit decursum, nihil sit præterea extimescendum. Sed tu mihi videris Epicharmi, acuti, nec insulsi, hominis, ut Siculi[6], sententiam sequi.—Aud. Quam? non enim novi. — Cic. Dicam, si potero, la-

3. *Mori*, pro *mors*. Nam iis qui mortui sunt, *mori* jam nullo modo accidere potest.

4. *Sempiternum malum haberemus in vita. Nunc video calcem*. Bentleius, quum absurdum ei videretur dici, aliquod malum fieri posse sempiternum in ea vita, quæ adeo brevis est, interpunctione mutata scribi vult : « haberemus. In vita nunc vid. c. » Bentleio respondet anonymus apud Olivetum verba nostri sic interpretans : *Haberemus in vita*, cum vita acciperemus, malum quoddam infinitum et sempiternum. Si non essemus nati, si vitam non accepissemus, ea non privaremur, neque possemus in sempiternum et infinitum tempus esse miseri. Fassus es, non esse miseros, qui nati sunt, quia nempe vitam non habuerunt. Si ergo vitam non habuissent mortui, carerent illo sempiterno et infinito malo, quod est in privatione vitæ : illis ergo vita sempiternum illud malum attulit : acceperunt illud cum vita, et in vita quasi inclusum habuerunt. — Schützius deleri vult vv. *in vita*, conferrique jubet, cap. 42 : « intelligamusque, si mors malum sit, esse sempiternum malum : nam vitæ miseræ mors finis esse videtur : mors si est misera, miseriæ finis esse nullus potest ». — *Calcem*. Jam video finem omnis timoris. Calx enim erat locus in Circo, calce olim notatus, post creta (Sen. ep. 108), ubi cursu exacto victor consistebat, et præmium accipiebat ; unde formula : « a carceribus ad calcem pervenire ». Ern.

5. *Ad quam quum sit decursum*. Vulgo *ad quem*. Sed Reg. *ad quam*, nec aliter Pall. tert. quart. et Vatic. contra quos stare non debuit Gebhardus. Seneca, epist. CVIII : *Tanquam quod ait* Cicero, quoniam sumus ab *ipsa calce* ejus interpellatione revocati : *hanc quam nunc in circo* metam *vocamus*, calcem *antiqui dicebant*. Nonius : Calx *est generis feminini*. Vide sis A. Gellium, XIV, 3, et Val. Probum, Cathol. col. 1462. Dav.

6. *Epicharmi, acuti, nec insulsi, hominis, ut Siculi*. Si Laertio fides, VIII, 78, erat Κῶος... τριμηνίαιος δὲ ὑπάρχων ἀπηνίχθη τῆς Σικελίας εἰς Μέγαρα. Hinc ejusdem libri § 7 : Ἠλοθαλῆ τὸν Ἐπίχαρμον τοῦ ΚΩΟΥ πατέρα memorat. Sane de ejus patria inter auctores non convenit, ut ex Suida liquet. Plerique tamen eum *Siculum* dicunt; is autem populus ob acumen erat nobilis. Cicero in Bruto, c. 12 : « Ait Aristoteles, sublatis in Sicilia tyrannis... quod esset acuta illa gens... artem et præcepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse ». Firmicus Mathes. lib. I, cap. 1 : « Acuti Siculi, luxuriosi semper Asiani ». Vide sis et cap. 4. Hinc iis facetias tribuit Noster de Orat. lib. II, cap. 54. Dav.

tine : scis enim me græce loqui in latino sermone non plus solere, quam in græco latine. — AUD. Et recte quidem. Sed quæ tandem est Epicharmi ista sententia? —

CIC. Emori nolo [7] : sed me esse mortuum nihil æstimo.

— AUD. Jam agnosco græcum [8]. Et quoniam [9] coegisti, ut concederem, qui mortui essent, eos miseros non esse, perfice, si potes, ut ne moriendum quidem
16 esse, miserum putem. — CIC. Jam istuc quidem [10] nihil negotii est: sed etiam majora molior. — AUD. Quo modo hoc nihil negotii est? aut quæ sunt tandem ista majora? — CIC. Quoniam, si [11] post mortem nihil est mali, ne mors quidem est malum; cui proximum tempus est post mortem, in quo mali nihil esse concedis : ita ne moriendum quidem esse, malum est. Id

7. *Emori nolo*, etc. Epicharmi versiculus exstat apud Sextum Empiricum adv. Mathem. pag. 54 : Ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι, οὔ μοι διαφέρει. Hærent autem interpretes, unde factum, ut ex eo hunc sensum exsculpserit Cicero. Nec mirum; quippe locus, si Noster ad alium non respexit, dubio procul est mendosus. Eo posito, legendum crediderim : ... Ἀποθανεῖν· ἢ τεθνάν' οὔ μοι διαφέρει, ut pars sit trochaici; qui plenus erit et integer, his vel similibus verbis additis, Πόῤῥω μὰν ἀποθανεῖν, etc. « Absit longe a me mori : esse mortuum refert nihil ». Siquidem « mors misera non est, aditus ad mortem est miser ». Vide Lactant. Div. Inst. III, c. 17, 32, et Quintil. VIII, 5. DAV. — *Nihili æstimo*. Ita Pall. quatuor. Vulgo *nihil æstimo*, melius plane quam Victorius *nihil existimo*.

8. *Jam agnosco græcum*. Audire mihi videor græcum (i. e. hominem mollem) loquentem; effeminatæ enim indolis putabantur Græci. Venit quoque in mentem, anne sensus esse possit : Jam veniunt in memoriam verba græca, jam reminiscor verborum græcorum. NEID.

9. *Et quoniam*. Sic Gebh. Davis. Ern. *Sed et quoniam* cod. Vatic. *Sed quoniam* Gulielm. Oliv. Wolf. et Schütz. et Neid.

10. *Jam istuc quidem*, etc. Brevis demonstratio mortem viventibus non esse malum : in tempore post mortem nihil est mali (quod jam concessum erat ab auditore, § 14); morti autem proximum est tempus post mortem; ergo etiam mors ipsa non est malum. Auditor veritatem hujus syllogismi assequi nondum valet, rogat itaque Ciceronem, ut hæc uberius edoceat. Cicero promittit se docere velle: non modo malum non esse, sed bonum etiam mortem. Post sermocinationes quasdam propius acceditur ad quæstionem. NEID.

11. *Quoniam, si post m.* Dav. quem Wolf. Schütz. et Neid. sequuti sunt, edidit : « quia, q. post m. » Vulgo, inquit, omissa prima vocula, repræsen-

est enim, perveniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur. — AUD. Uberius ista[12] quæso. Hæc enim spinosiora, prius, ut confitear[13], me cogunt, quam ut assentiar. Sed quæ sunt ea, quæ dicis te majora moliri? — CIC. Ut doceam, si possim, non modo malum non esse[14], sed bonum etiam esse mortem. — AUD. Non postulo id quidem; aveo[15] tamen audire. Ut enim[16] non efficias quod vis, tamen, mors ut malum non sit, efficies. Sed nihil te interpellabo. Continentem orationem audire malo. — CIC. Quid? si te rogavero aliquid, nonne[17] respondebis? 17
— AUD. Superbum id quidem est[18]. Sed, nisi quid necesse erit, malo ne roges[19].

IX. CIC. Geram tibi morem, et ea, quæ vis, ut po-

tant « quoniam, si post mortem nihil est mali ». Bene quidem, si MSS fide nititur illa lectio; sed nos in nostris codd. alteram reperimus.

12. *Uberius ista.* Sc. exponas velim. NEID.

13. *Ut confitear... ut assentiar.* Confitemur si veritatem quidem non perspeximus, nihil tamen contra alterius argumentandi rationem afferre possumus; assensus non nisi perspecta veritate esse potest. NEID. — Callide vertit intp. gallicus: *Avec des raisonnements trop serrés, on me fait dire oui avant que je sois persuadé.*

14. *Malum non esse... mortem.* Victorius *mortem* post vv. « malum non esse » collocabat, ut erat in Pal. quinto, qui *etiam* omittebat: et hic ordo verborum Gebb. satis placebat.

15. *Aveo.* Olim *habeo*, quod Gebhardus defendit auctoritate antiquissimorum libb. Pall. et optimorum.

16. *Ut enim... efficies.* Hunc locum ex duobus MSS insigniter corruperat Janus Gebhardus; edidit enim, « ut enim efficias quod vis, tamen, mors ut malum non sit, non efficies », adversantibus tam reliquis codicibus, quam ipsa re; nam certe, si bonum esse mortem doceret Tullius, eam non esse malum dubio procul efficeret. Vult adolescens Ciceronem, licet bonum esse mortem non persuadeat, saltem tamen, ut malum non videatur, effecturum. DAV. — *Ut enim non efficias.* Fac, ut non probes, quæ probare moliris. NEID.

17. *Nonne respondebis?* Schützius cum Wolf. *non respondebis?*

18. *Superbum id quidem est.* Dav. scribit *esset.* Vulgo, inquit, *est:* vera tamen videtur Pal. quinti scriptura. Lambinus et Brutus dedere, « superbi id quidem esset ». At *superbum* retinent MSS. — Davisium Schützius secutus est. — *Superbum id quidem est,* sive *esset,* si sc. a te interrogatus non responderem. NEID. — Apud Livium Hanno: « si reticeam, aut superbus, aut obnoxius videar ».

19. *Malo ne roges.* Sic Oliv. Schutz.

tero, explicabo, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint, et fixa, quæ dixero; sed ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura[1] sequens. Ultra enim quo progrediar, quam ut veri videam similia, non habeo. Certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt[2], et se sapientes esse profitentur. — AUD. Tu, ut videtur : nos ad audiendum parati sumus. —
18 CIC. Mors igitur ipsa[3], quæ videtur notissima res esse, quid sit, primum est videndum. Sunt enim, qui discessum[4] animi a corpore putent esse mortem. Sunt, qui nullum censeant fieri discessum, sed una animum et corpus occidere, animumque cum corpore exstingui[5]. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. Quid sit porro[6] ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum, animus videtur: ex quo

Neid. alii : Davis. scribit *non roges*, alteramque lect. correctoribus imputat, dicitque contra codd. fidem stare.

IX. 1. *Probabilia conjectura sequens*. Academici, quibus Cicero adscriptus erat, non verum certumque assequi posse dicebant (ut Stoici, in seqq. *certa dicent ii*) sed probabilia tantum ac veri similia. Cf. Kindervateri V. C. Excurs. I ad Cic. de Nat. Deor. NEID.

2. *Percipi ea posse dicunt*. Academicorum dogma erat, nihil percipi posse.

3. *Mors igitur ipsa*. Primum videndum est : quid sit mors? Varia de natura mortis philosophorum placita. NEID.

4. *Sunt enim qui discessum*. Ἡ τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγή Plat. Phæd. pag. 146, ed. Bip. NEID.

5. *Animumque cum corpore exstingui*. Davisius scribit « animumque in corpore exst. » Hæc, inquit, est omnium MSS lectio, eaque omnino vera : non sane quod « animus exstinguitur statim : corpus sensim extabescit », ut inepte statuit Gebhardus; sed hæc sententia ei est contraria, quæ statuit animos e corporibus *discedere*, statimque dissipari. Arnobius, lib. II, pag. 82 : « Nam si communiter obeunt (animæ) et in ipsis corporibus sensus eis deperit exstinguiturque vitalis ». Hinc etiam patet hæc immerito glossematis ab Ursino damnari : qui tamen haud est culpandus; siquidem editi, quibus utebatur, præ se ferebant « animumque cum corpore exstingui » : nam verborum proxime præcedentium videri possint explanatio. — Davis. Wolf. et Schütz. sequuntur.

6. *Quid sit porro*. Priusquam recte de natura mortis statui potest, dispiciendum erit, quid sit animus? Varia philosophorum de animo placita. NEID.

excordes, vecordes[7], concordesque dicuntur; et Nasica ille prudens[8], bis consul, Corculum, et

Egregie cordatus[9] homo Catus Æliu' Sextus.

Empedocles animum esse censet, cordi suffusum sanguinem[10]. 19
Aliis pars quædam cerebri visa est animi principatum tenere. Aliis nec cor ipsum placet; nec cerebri quamdam partem, esse animum; sed alii in

7. *Excordes... vecordes... concordes... Corculum... cordatus.* Hæ omnes voculæ, e voce cor compositæ, eam habent vim, ex qua facile videre est, cor et animum antiquis synonyma fuisse. Excordes sunt exanimati, i. e. corde seu animo destituti. Vecordes, quorum animus male se habet. Concordes, quorum animi sunt conjuncti. *Corculum* vox blandientis sicuti *mea anima.* (Non assentitur Dav. vid. not. seq.) Cordatus, i. e. animatus sive sapiens. Ita nimirum vocabatur Cat. Æl. Sextus, ob prudentiam in jure civili. Cf. de Orat. I, 45. Nein. — Laudat Nonius in « excordes concordesque ». Vide Origenem περὶ εὐχῆς, § 63, pag. 180. Dav.

8. *Nasica ille prudens, bis consul, Corculum.* Ratio est, quia Corculum « a corde dicebant antiqui solertem et acutum », uti testatur Festus. Scipionem vero Nasicam *Corculum* fuisse dictum memoriæ prodiderunt Cicero in Bruto, capp. 20, 58; Plinius, H. N. VII, 31; et Aur. Victor. de Viris illustr. cap. 44. Dav.

9. *Egregie cordatus*, etc. Versiculus est Ennii, quem pariter laudat Noster, de Orat. lib. I, cap. 45. Dav.

10. *Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem.* Huic philosopho eamdem opinionem tribuunt Tertullianus de Anim. cap. 5, et Macrobius in Somn. Scip. lib. I, c. 14: nec deerat ansa, cur ita se gererent: Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα, ut ille cecinit. Exstat apud Stobæum, Eclog. Phys. pag. 131, et eos, quos laudat Menagius ad Laert. VII, 159. Ejus tamen auctorem Critiam facit Philoponus ad Aristotelem de Anim. cap. 8, et is sane animum e sanguine constare dixit, ut perhibent Veterum multi. Eadem fuisse videtur Hebræorum veterum sententia, quemadmodum patet ex Genes. IX, 5. Hoc loco prolato sic loquitur Chalcidius in Platonis Timæum, § 217: « Quæ si ita intelliguntur ut debent, animam esse animalium sanguinem quia sit vehiculum irrationabilis animæ, cujus partes sunt importuni appetitus; habet plane rationem talis adsertio. Rationem qua ratiocinamur, sanguinem putare esse, non rectæ opinionis est ». Post corporis quidem fata μένειν τὰς ψυχὰς crediderunt Hebræi, quod e Pythonissa Samuelem evocante merito collegit Justinus Martyr, Dial. cum Tryphon. pag. 333. Ac, ut puto, non ipsum sanguinem esse animum, sed animi sedem existimavit Empedocles; hoc enim diserte tradit Plutarchus, Plac. Phil. lib. IV, c. 5, et in Stromat. apud Eusebium, P. E. lib. I, cap. 8, pag. 24. Immo necesse est ita se res habeat, siquidem animorum æternitatem docuit, ut inter alios referunt Lactantius, III, 18, et Theodoretus

corde, alii in cerebro[11] dixerunt animi esse sedem, et locum. Animum autem alii animam, ut fere nostri declarant nomen[12]. Nam et agere animam, et efflare dicimus [et animosos, et bene animatos, et ex animi sententia]: ipse autem animus ab anima dictus est. Zenoni stoico animus, ignis videtur. Sed hæc quidem, quæ dixi, cor, sanguinem[13], cerebrum, ani-

Therap. V, p. 73. Hinc ille, Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος. Adi Diogenem Laert. VIII, 62; Sext. Empiric. adv. Mathem. pag. 60; Anthol. lib. I, cap. 86; Philostratum vit. Apollonii, I, 1, et Suidam in Ἐμπεδοκλῆς. Dav.

11. *Alii in corde, alii in cerebro.* Id statuebant Stoici, Epicurei, medicique nonnulli; hoc Erasistratus, Herophilus et Pythagorici. Vide sis Æg. Menagium ad Laertii VII, 159, et ipsum Laertium, VIII, 30; Athenæum, lib. II, pag. 65, ac XV, pag. 687; denique Plutarchum, Plac. Philos. lib. IV, cap. 5. Dav.

12. *Animum autem alii... nomen.* Davisius scribit: « animum autem alii animam, ut fere nostri. Declarat nomen: [nam et agere... ex animi sententia] ipse enim animus ab anima dictus est ». Ea quæ uncis includit delenda esse Bentleius statuerat; cui quidem nec Verburg. nec Buherius assentitur: Buherius enim notat: Hunc locum minori, quam Bentleius, mutatione sic restituo: « Animum autem alii animam, ut fere nostri. Ipsum declarat nomen. Nam et agere animam et efflare dicimus. Dicimus et animosos, et bene animatos, et ex animi sententia. Ipse autem animus, ab anima dictus est ». Quæ verba hunc mihi sensum offerunt: aliqui putant animam nihil esse nisi auram quamdam: in his sunt Romani; quod usus ipse nostri sermonis comprobat: dicimus enim *agere animam*, etc. — Schütz. dedit, Wolfium sequutus, « ut fere nostri declarant nomine », verbaque *et animosos, et bene animatos... sententia* uncis inclusit. Idemque Neid. edidit, nisi quod uncis abstinuit. — *Animum autem alii animam.* Ventum sive aerem. Lactantius de Opif. Dei, cap. 17. Nonnulli animam dixerunt esse « ventum, unde anima vel animus nomen accepit, quod græce ventus ἄνεμος dicitur ». Nec aliter Isidorus, Orig. lib. XI, cap. 1. Hanc *animæ* significationem passim tribuit Noster, aliique scriptores optimi. Vide Nonium in *anima*, et Servium ad Virgilii VIII, 403. Dav.

13. *Cor, sanguinem.* Vulgo deest vox ultima, cui sedem suam dedimus ex antiquo codice, quem laudat Paullus Manutius. Ratio est in promptu; hanc etiam sententiam inter reliquas numeraverat Cicero, quam memorat etiam postea, capp. 11, 25. Eam Critiæ tribuunt, præter Tertullianum ac Macrobium, Aristoteles, de Anim. lib. I, cap. 2; Theodoretus, Ther. V, pag. 72; Nemesius de N. H. pag. 38; auctor Opin. de Anima, quem Joan. Tarinus edidit, pag. 628, et Hermias in Irris. Gentil. c. 2. Et sane πότερον τὸ αἷμά ἐστιν ᾧ φρονοῦμεν, res erat in

mam, ignem, vulgo: reliqua fere singuli[14], ut multi ante veteres[15].

X. Proxime autem Aristoxenus, musicus, idemque philosophus, ipsius corporis intentionem[1] quamdam, vel, ut in cantu, et fidibus, quæ harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura, et figura, varios motus

philosophorum scholis disputata, quod patet ex Platonis Phædon. § 32. Ambrosius, epist. XXXIV: « Non enim aut sanguinem aut ignem aut nervorum harmoniam animam putas, ut vulgus philosophorum interpretatur ». Idem de Noe et Arca, cap. 25, num. 92: « Critias et ejus discipuli sanguinem esse animam dicentes ». Lucretius, III, 41: « Nam, quod sæpe homines morbos magis esse timendos Infamemque ferunt vitam, quam Tartara lethi; Et se scire animi naturam sanguinis esse ». Lege *sanguinem esse*: nam pro Lucretii more non eliditur, sed corripitur ultima vocis illius syllaba. DAV.

14. *Reliqua fere singuli.* Superiores de animi natura sententiæ plurium philosophorum sententiæ erant, reliquæ singulis tantum placebant. NAID.

15. *Ut multi ante veteres. Proxime autem.* Hæc inter se Davis. conjungit, virgula tantum post *veteres* posita, in hoc secutus Bentleium, qui tum sensum esse dicit: Animum esse cor, sanguinem, etc. vulgo est creditum: reliquas opiniones singuli auctores tuentur, ut ignem Zeno, numerum Xenocrates, ἐντελέχειαν Aristoteles, harmoniam Aristoxenus proxime quidem, sed non primus, neque solus; nam multo ante eum Veteres in eadem erant sententia. Hoc verum esse constat ex Platone in Phæd. et Tim. et Aristotele de Anima, I, 4. — Idem Bentl. *multo ante* poni volebat laudans cap. 10: « quod ipsum quale esset, erat multo ante dictum », sed in hoc Davis. ei non obtemperavit. Reiskio placebat « ut multi multa a. v. »; Wittenbachio « at multi multa a. v. » Schützius cum Wolf. dedit « ut multa a. v. », quod Neid. sic interp. Ut veteres philosophi singuli singula de aliis rebus philosophicis protulerunt, quæ ipsis cum ceteris philosophis non communia essent. — Totum locum Rathius sic constituendum putat: « Sed hæc quidem... vulgo: reliqua vero subtilius, ut multa alia veteres. Primum ait esse animum Aristoxenus, musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quamdam, vel, ut in cantu esse fidibusque harmonia dicatur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri ».

X. 1. *Corporis intentionem.* Scil. animam esse censebat. Τοῦ σώματος ἐπίτασιν; non enim erat, cur P. Manutius de postremæ vocis integritate dubitaret. Plato in Phædoo. p. 388: Οἶμαι ἔγωγε καὶ αὐτόν σε τοῦτο ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τοιοῦτό τι μάλιστα ὑπολαμβάνομεν τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥσπερ ἐντεταμένου τοῦ σώματος ἡμῶν. Lactantius, Div. Inst. VII, 13: « Quid Aristoxenus, qui negavit omnino ullam esse animam, etiam quum vivit in corpore? Sed sicut in fidibus ex intentione nervorum effici concordem sonum, etc. » Idem de Opif. Dei, c. 16, 13: « Musici enim intentionem concentumque nervorum in integros modos sine ulla offensione consonan-

cieri, tamquam in cantu sonos. Hic ab artificio[2] suo non recessit, et tamen dixit aliquid; quod ipsum quale esset[3], erat multo ante[4] et dictum, et explanatum a Platone[5]. Xenocrates animi figuram, et quasi corpus, negavit esse; verum numerum dixit[6] esse,

tium harmoniam vocant. Volunt igitur animum simili ratione constare in homine, qua concors modulatio constat in fidibus ». Valeant igitur ii, qui *incentionem* hic esse reponendam statuerunt. Hanc autem opinionem refellunt Arist. de Anim. lib. I, cap. 4, et Lucretius, III, 107, seqq. Ea tamen Galeno placebat. Vide Isidorum Pelusiotam, lib. IV, epist. 125. Dav. — Ceterum omnes ii, quorum opiniones de animi natura recenset, alii magis aliis materialismo, quem vocant nostri, addicti erant. Nain.—Mox *velut* una voce vulgo scriptum Reisk. Wolf. Schütz. et Neid. disjunxerunt.

2. *Ab artificio suo*. Tamquam musicus ea, quæ ad musicam proprie pertinebant, ad philosophiam transtulit. Nain.

3. *Quod ipsum quale esset*. Hæc opinio de harmonia quam futilis sit, Plato fusius ostendit et explanavit; in Phædone nimirum, quem vide, tom. I, pag. 195, ed. Bip. Nain. — Forsan non vis hæc est vv. *quale esset*, quam in his videt Neid. et simpliciter valent « fusius hoc systema explicavit Plato ».

4. *Multo ante*. Plato enim Olympiade 88 natus erat, et Aristoxenus florebat circa Olymp. 112. Nain.

5. *A Platone*. In Timæo, p. 528, ed. Lugd. Vide et Phædonem, p. 588. Dav.

6. *Et quasi corpus, negavit esse; verum numerum dixit esse*. Sigonii liber repræsentabat, « corpus negavit esse ullum, verum numerum dixit esse ». Sic etiam Med. et Eliens. sec. pro varia lectione, nec abit Bak. nisi quod *illum*, non *ullum*, exhibeat. Hinc Paullus Manutius reponit, « corpus negavit esse ullum, numerum dixit esse », vocula contra fidem codicum deleta. Reg. vulgatam lectionem firmat, quæ mihi videtur retinenda. Quum vero Xenocrates animum *numerum se moventem*, ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα dixerit, uti testantur Macrobius in Somn. Scip. lib. I, cap. 14; Theodoretus, Ther. V, pag. 72; Nemesius, N. H. pag. 70, et auctor celebrium de Anim. Opin. a Joan. Tarino editus, pag. 652, quod etiam Noster hoc in loco confirmat; mirum videri posset, cur Acad. II, 39, pro Xenocratis sententia animum esse *mentem nullo corpore* statuerit. Sed hæc re conveniunt, verbis tantum discrepant. Plutarchus, Plac. Phil. lib. IV, cap. 2: Πυθαγόρας (ἀπεφήνατο τὴν ψυχὴν) ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα· ΤΟΝ ΔΕ ΑΡΙΘΜΟΝ ΑΝΤΙ ΤΟΥ ΝΟΥ παραλαμβάνει. Exscriptor ejus Stobæus, Eclug. Phys. lib. I, pag. 93. Πυθαγόρας animam dixit ἀριθμὸν αὑτὴν (leg. αὑτὸν) κινοῦντα, ΤΟΝ ΔΕ ΑΡΙΘΜΟΝ ΑΝΤΙ ΤΟΥ ΝΟΥ παραλαμβάνει· ὁμοίως δὲ καὶ Ξενογόρας. Leg. Ξενοκράτης. Vide et Acad. lib. I, cap. 11. Eorum doctrinam, qui animum esse contendunt ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα, refellit Aristoteles de Anim. lib. I, cap. 4. Dav. — Bentleius in emend. legit « et quasi corpus negavit esse ullum: merum numerum d. e. » Sed *verum* pro *sed* positum recte se habet.

cujus vis, ut jam antea[7] Pythagoræ visum erat, in natura maxima esset. Ejus doctor Plato triplicem finxit animam[8]: cujus principatum, id est, rationem, in capite, sicut in arce, posuit; et duas partes parere voluit[9], iram et cupiditatem: quas locis[10] disclusit; iram in pectore, cupiditatem subter præcordia loca-
vit. Dicæarchus autem in eo sermone, quem Corinthi 21
habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium, primo libro multos loquentes facit: duobus[11] Pherecratem quemdam Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane, frustraque animalia, et animantes[12] appellari;

7. *Jam antea.* Dav. *jam ante* a cod. Reg.

8. *Animam.* Bentleius emendat *animum*, sequentibus Dav. Schütz. Neid. opportune ut nobis videtur. — *Triplicem finxit animum.* Sufficiat hic locum a Tidemanni Argg. Dial. Plat. indicare, qui hanc Platonis de anima doctrinam e dialogo, qui Timæus inscribitur admodum lucide tradit, pag. 334. Plura qui in hanc rem legere cupit adeat Platonis Timæum et Tennemani Systema philos. Platon. t. III, pag. 197, sq. Neid.

9. *Et duas partes parere voluit.* Davis. *ei parere* scribit, notatque: Vulgo, « et duas partes separare voluit ». At Vatic. « parere voluit » : quod verum; nisi quod, aliorum codicum ductu, legerim « ei parere voluit ». Cf. Nemesius de Nat. Hom. cap. 16, pag. 177. Apul. de Habit. Doctr. Platon. lib. I, pag. 586 : « Quum tres partes animæ dicat esse (Plato); rationabilitatem, id est mentis optimam portionem, ait capitis arcem tenere : irascentiam vero, procul a ratione, ad domicilium cordis deductam esse, obsequique eam et in loco respondere sapientiæ : cupidinem atque appetitus, etc. » Infinitus essem, si locos huc facientes exscriberem. Vide modo Alcinoum, Doctr. Plat. c. 23; Maximum Tyrium, Diss. XXII, § 4; Hieroclem in Aur. Carm. LXIX; Nostrum, Offic. I, 28, ac Tusc. II, 19, 20, 21; Senecam, ep. XCII, init. et alios quam plurimos, quos enumerare longius est.

10. *Quas locis disclusit.* Dav. scribit « quas locis suis », omissa v. *disclusit*, notatque: Hanc vocem nescit Reg. pro qua Eliens. tert. dat *suis*, eumque sequimur. Nec *locis locare* mira cuiquam videatur loquendi ratio. Sic enim solet Cicero. Verbi causa, « membro suo quæque loco locata » dixit in Bruto, cap. 57. Vide librum de Amicitia, cap. 12.

11. *Duobus.* Sc. reliquis; tres enim erant libri. Neid.

12. *Frustraque animalia, et animantes appellari.* Absurdum omnino esse de entibus loqui, quæ animo prædita sint. Neid.

neque in homine inesse animum, vel animam[13], nec in bestia; vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter esse fusam, nec separabilem a corpore esse; quippe quæ nulla sit, nec sit quidquam, nisi corpus unum, et simplex, ita figuratum, ut temperatione[14]
22 naturæ vigeat, et sentiat. Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans et ingenio, et diligentia, quum quatuor illa genera[15] principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari : hæc, et similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine; et sic

13. *Inesse animum, vel animam.* Ita loquitur, quod « animo animaque miscemur », ut ait Tertullianus, Apolog. cap. 31. Juvenalis de brutorum et hominis differentia, Sat. XV, 148 : « indulsit communis conditor illis Tantum animas, nobis animum quoque ». Pariter e Græcis nonnulli τὸ πνεῦμα seu τὸν νοῦν et τὴν ψυχὴν distinguebant. Vide Porphyrium epist. ad Anebonem, p. 8; auctorem celebrium de Anima Opin. pag. 630, 631; Theodoretum, Hær. Fab. lib. IV, cap. 8; H. Hammondum in I Thessal. V, 23, et Camp. Vitringam, Observ. III, 4. Licet igitur duas voces ultimas a quibusdam codd. abesse testetur Lambinus, eas tamen retinendas arbitror. Dicæarchi vero sententiam præter eos, quos indicat V. C. J. A. Fabricius ad Sexti Pyrrh. Hypot. lib. II, c. 5, 31 : explicant idem Sextus adv. Mathem. lib. VII, § 349, et Tertullianus de Anim. cap. 15, ne Plutarchum, Plac. Phil. IV, 2, aut Stobæum, Eclog. Phys. pag. 93, memorem; secundum quos animum ἁρμονίαν esse τῶν τεσσάρων στοιχείων statuit. Vide et p. 108. Dav.

14. *Temperatione.* Temperatio est, idem quod nos dicimus *organisation*. Quæ significatio infra quoque occurrit, lib. IV, cap. 1, ubi est *temperatio civitatis*. Neid.

15. *Quatuor illa genera.* Davis. « quatuor nota il. g. » scribit, notatque : « Nota principiorum genera » sunt ignis, aqua, aer, et terra. Primam vero vocem, quam temere prætermittunt Lambinus et Gebhardus, e MSS et veteribus editis revocavimus. Porro de hac Aristotelis opinione videas licet Nostrum, Acad. lib. I, cap. 7; Diogenem Laertium, V, 32; Originem in Celsum, lib. IV, pag. 202, et Philos. cap. 20, pag. 139. — Schütz. Wolf. et Neid. Davisium sequuti sunt.

ipsum animum, ἐντελέχειαν[16] appellat novo nomine, quasi quamdam continuatam motionem, et perennem.

XI. Nisi quæ me forte fugiunt, hæ sunt fere omnium[1] de animo sententiæ. Democritum enim magnum quidem illum virum, sed lævibus et[2] rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus: nihil est enim apud istos[3], quod

16. Ἐντελέχειαν. Davis. scribit ἐνδελέχειαν, notatque: Cicero endelecheian ut Reg. vel ἐνδελέχειαν scripsit, ut habent Med. et Ven. 1491, ac inde factum ut *continuatam* motionem designari somniaret. Notum illud Chœrili, Κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ. Huc respexit Aristænetus, I, 17: Ῥανὶς γὰρ ὕδατος ΕΝΔΕΛΕΧΩΣ ἐπιστάζουσα καὶ πέτραν οἶδε κοιλαίνειν. Vide Lucianum, Jud. Vocal. tom. I, pag. 49; Politianum, Miscell. cap. 1, et Budæum de Asse, lib. I, pag. 33. Fulgentius de Virgil. Cont. pag. 141: « Endelechias Aristoteles inverat ». Sic Martianus Capella; sic et alii nonnulli. Observat autem D. Lambinus lapsum esse Ciceronem, « ἐντελέχεια enim, inquit, non est motio, sed vis per se continenter et perpetuo movens, qualis est animus ». Verum ipso Tullio non minus erravit vir doctissimus; nam Aristoteles omnem motum animo denegavit. Justinus Martyr, Cohort. ad Græc. cap. 7, pag. 58: Ἀριστοτέλης δὲ ἀκίνητον αὐτὴν (ψυχὴν) εἶναί φησιν, πάσης κινήσεως προηγουμένην. Sic etiam Macrobius Somn. Scip. lib. II, cap. 14; Atticus apud Eusebium, P. E. lib. XV, cap. 9; Stobæus, Ecl. Phys. pag. 94, 100, aliique; ne vero alienam ei videantur affinxisse sententiam, facit ipse Stagirita, qui lib. I de Anim. cap. 3, fuse contra Platonicos animæ motum tribuentes disputat. Ἐντελεχείας voce, quantum assequor, philosophus nihil intellexit præter formam, quæ corpus inanime reddit animatum rationisque particeps. Eam vero hoc insignivit nomine εἶδον τῇ ὕλῃ τὸ τέλειον ἐπεισάγουσαν, ut loquitur Æneas Gazæus in Theophr. pag. 376. Stobæus, Eclog. Phys. pag. 93: Τὴν ἐντελέχειαν ἀκουστέον ἀντὶ τοῦ εἴδους καὶ τῆς ἐνεργείας. Vide et pag. 108, ac Aldobrandinum ad Laertii V, 32. Hinc Nemesius, N. H. p. 21: Οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ψυχὴν εἶναι λέγουσιν οὐσίαν· Ἀριστοτέλης δὲ... ἀνούσιον. Vid. de Anim. lib. II, cap. 1; Chalcidium in Platonis Tim. p. 310, et Plotinum apud Eusebium, Præp. Evang. lib. XV, cap. 10. — Plura vide in Excurs. ad calc. huj. libri.

XI. 1. *Fere omnium*. Davis. delevit *omnium* ducibus Reg. Med. et Eliens. tert. eumque Schützius sequutus est.

2. *Lævibus et rotundis*. Λείοις καὶ σφαιροειδέσι. Quos scilicet *atomos* appellaverunt. Vide Aristotel. de Anim. lib. I, cap. 2; Plutarchum de Plac. Philos. IV, 3; Laertium, IX, 44, et Stobæum Eclog. Phys. p. 93. Dav.

3. *Apud istos*. Putat nimirum non solum Democriteos, sed etiam Epicureos, hoc tempore maxime florentes, qui quidem systema atomisticum Democriti plenius effinxerunt. Næd.

23 non atomorum turba conficiat. Harum sententiarum quæ vera sit, deus aliquis viderit[4]: quæ verisimillima, magna quæstio est. Utrum igitur inter[5] has sententias dijudicare malumus, an ad propositum[6] redire? — Aud. Cuperem equidem utrumque, si posset: sed est difficile confundere[7]. Quare si, ut ista non disserantur[8], liberari mortis metu possumus, id agamus. Sin id non potest, nisi hac quæstione animorum explicata, nunc, si videtur, hoc: illud alias.

4. *Harum sententiarum... viderit.* Laudat Lactant. Div. Inst. VII, 8. Neid.

5. *Inter has sententias dijudicare.* Eliens. pr. tert. « in has sententias »; Lambinus autem præpositionem delendam censuit; et ita sane loqui solent scriptores. Plerorumque vero MSS fides est sequenda, quum non alia loquendi ratione sit usus Labeo Digg. lib. IV, tit. III, Leg. IX, 3. Dav.

6. *Ad propositum.* Ad quæstionem nostram: mortem non esse malum. Neid.

7. *Est difficile confundere.* Eliens. pr. *confutare*, reliqui vulgatam lectionem servant quæ tamen est in incommoda. Forsan rescribendum *conjungere*, hoc est, connectere, seu de utroque impræsentiarum agere. Plin. Epist. IV, 9: « Quem (laborem) difficilius est repetere quam jungere ». Quintilianus, IV, 2: « Si plura proderunt, etiam conjungere licebit quæ obstant ». Vide sis ejusdem libri cap. 4, et J. Fr. Gronovium ad Senecæ Thyesten, I, vs. 467. Dav. — Schützius conj. Davisii probat. Bentleius conjiciebat « sed esse difficile confitere », quod nobis minime Ciceronianum videtur, ut omnino elegantia carens. Optima est vulgata, si Neid. interpr. audiamus; Sensus esse videtur: difficile est conjungere utrumque; sc. et harum sententiarum quænam sit vera dijudicare, et simul propositum nostrum, propter quod tota hæc disputatio suscepta est (sc. an mors sit malum) persequi. — Hoc unum miramur, quod Neid. dicat « sensus esse videtur ». Est certe. Scilicet *confundere* valet, duas res in unam redigere, conflare. Nempe si hæ duæ quæstiones confundi potuissent, una disputatione eas Cicero tractavisset; idque quod cupiebat auditor obtinuisset. Sed quum omnino distinctæ sunt hæ duæ quæstiones, ita ut confundi et misceri non possint, necesse est ut utriusque separata disputatio constituatur, ideoque ut inter utramque una eligatur, de qua potius disputetur. Videmus idem ac nos sensisse Buherium. Olim erat *non confundere*, relato ad multiplices illas sententias, contra sensum et MSS.

8. *Ut ista non disserantur.* Sc. vel quum eam quæstionem de natura animorum prætermiserimus. — Si ergo mortis metum excutere possumus, sine hac disceptatione, eam sane omittamus. Sin id non potest fieri, ut liberemur mortis metu, sine hac quæstione de natura animorum explicata, nunc, si videtur tibi, hoc agamus, et in quæstione animorum immoremur; illud argumentum de mortis abigendo metu, in quod eramus in-

— Cic. Quod malle te intelligo[9], id puto esse commodius. Efficiet enim ratio, ut, quæcumque vera sit earum sententiarum[10], quas exposui, mors aut malum non sit, aut sit bonum potius. Nam si cor, aut san- 24
guis, aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore. Si anima[11] est, fortasse dissipabitur; si ignis, exstinguetur; si est Aristoxeni harmonia[12], dissolvetur. Quid de Dicæarcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? His

gressi exsequemur alias. Buhraius.

9. *Quod malle te intelligo.* Auditor enim malle videbatur propositam quæstionem persequi, quam digressionibus a scopo diutius retineri. Nein. — Nobis contra videtur auditorem dicere, malle se audire primum de animorum natura et immortalitate: sequentia enim hoc valent: faciam quod cupis, etsi sane non necesse sit primum probare animos esse immortales, ut mortis timor depellatur. Et certe non est necesse. Nam facile ratiocinando potest effici, vel intacta quæstione hac de immortalitate animarum, ut quæcumque vera sit earum sententiarum, id est, vel quum certum foret animas interire, mortem non malum esse. Atque hoc ratiocinando probat Noster usque ad finem capitis. Tum auditor eum ad promissum revocat, rogatque, ut probet, animos remanere post mortem: init. cap. 12, « Expone igitur nisi molestum est », quibus verbis, *nisi mol. est*, satis significat auditor se aliquid a nostro petere, quod ille non pollicitus erat in principio. Et certe illa disputatio de immortalitate animorum locum suum non obtineret, postquam Cic. ostendit hanc quæstionem inutilem esse ad solvendam illam de metu mortis, nisi antea auditor dixisset se optare de immortalitate animorum audire; itaque excusationem auctori paravisset. In nostram sententiam concurrunt sequentia: « mihi tamen persuaderi velim. Quid tibi ergo opera nostra opus est », in quibus *ergo* ad nostrum locum respicit.

10. *Quæcumque vera sit earum sent.* Quamcumque sententiam veram statuamus, semper colligi potest, mortem non esse malum, et potius bonum. Sumamus enim animum esse materiam, et eum corpore interire, sequitur sensum in morte omnem amitti. Qui vero omnis sensus est expers, is miser dici non potest, ergo mors non est malum. Reliquæ autem sententiæ, quæ animum a corpore diversum quid censent, spem faciunt, eum, si aliquando e corpore excesserit, in statum perfectiorem venturum, et ex his quoque sequitur, mortem non esse malum, vel potius bonum. Nein.

11. *Si anima est, fort. diss.* Olim legebatur *si aer est*, quod auctoritate MSS in receptam lect. mutatum est. Ceterum vox *anima* idem ibi valet atque *aer.* Bentleius vult virgulam poni post *fortasse.*

12. *Si est Aristoxeni harmonia.* Cod. unus, « si, ut Aristoxeno visum est, harmonia », probante Buherio. Bentleius in proxime seqq. sententiam

sententiis omnibus[13] nihil post mortem pertinere ad quemquam potest. Pariter enim cum vita sensus amittitur. Non sentientis autem[14], nihil est, ullam in partem quod intersit. Reliquorum sententiæ spem afferunt, si te forte hoc delectat, posse animos, quum e corporibus excesserint, in cælum, quasi in domicilium suum, pervenire. — Aud. Me vero delectat: idque, primum ita esse velim; deinde, etiam si non sit, mihi tamen persuaderi velim. — Cic. Quid tibi ergo opera nostra opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? Evolve diligenter ejus eum librum[15], qui est de animo: amplius quod desideres, nihil erit. — Aud. Feci mehercule, et quidem sæpius; sed nescio quo modo, dum lego, assentior: quum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, assensio omnis illa elabitur. — Cic. Quid hoc? dasne aut manere animos post mortem, aut morte ipsa interire? — Aud. Do vero[16]. — Cic. Quid, si maneant? — Aud. Beatos esse concedo.

molliendam esse censet hac correctione: «oe quid de Dicæarcho».

13. *His sententiis omnibus*. Secundom omnes has sententiss, nihil omnino post mortem sentiri potest, nulla res vim io mortuom exserere eumque afficere potest. Vox *pertinere* sæpius hac significatione occurrit, c. g. § 91, 109, lib. V, 73, 88. Neid.

14. *Non sentientis autem*, etc. Hinc confecit Epicorus, mortem oihil ad nos esse. Vide Lactantium, Div. Inst. lib. III, cap. 17, 30; et Laertiom, X, 139. Ei tamen præiverunt alii. Adi sis Æschinis Axioch. § 14, et Sextom Empiricum adv. Mathem. lib. I, cap. 13, 273, 284. Dav.

15. *Ejus eum librum, qui est de animo*. Phædonem, qui inscribitur Φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς. Vide Platonem et Diogenem Laertium, lib. III, pag. 83. Eom dialogum Platoni soppositum esse jodicavit Panætius, ut ostendit auctor epigrammatis, quod exstat Anthol. lib. I, cap. 14, pag. 65, ed. Steph. Temere quidem, et cootra totios vetustatis sententiam. At fortasse ad scopom attigere, qoi hos sermones oon revera fuisse habitos, sed a Platone fictos existimaruut. Adi sis Athenæom, Deipnos. lib. XI, p. 505. Ern.

16. *Do vero*. — Cic. *Quid, si maneant?* Davis. suppresso dialogo et interrogatioois notis, hæc omnia usque ad «Jam istuc... coocessimus» aoditori tribuit, scribens: «Do vero:

— Cic. Si intereant? — Aud. Non esse[17] miseros, quoniam ne sint quidem. Jam istuc[18], coacti a te, paullo ante concessimus. — Cic. Quo modo igitur, aut cur mortem malum tibi videri dicis, quæ aut beatos nos efficiet, animis manentibus, aut non miseros, sensu carentes?

XII. Aud. Expone igitur[1], nisi molestum est, primum animos, si potes, remanere post mortem; tum, si minus id obtinebis[2] (est enim arduum), docebis, carere omni malo mortem. Ego enim istuc ipsum vereor, ne 26
malum sit, non dico carere sensu, sed carendum[3] esse. — Cic. Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri[4], uti optimis possumus; quod in omnibus causis et debet, et solet valere plurimum: et primum quidem omni antiquitate; quæ quo propius[5] aberat

quod si, etc. » Quam rationem solo cod. Reg. firmatam recte Schützius minus elegantem arbitratus est.

17. *Quod si maneant. . non esse miseros.* Ita argumentati sunt Ethnici, quod poetarum dicta de pœnis apud inferos pro nugis habuerint. Vide Platonis Apol. pro Socr. pag. 468, quam latine reddit Noster infra, cap. 41. Seneca, epist. xxv: « Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras, et Larvarum habitum nudis ossibus cohærentium. Mors nos aut consumit aut emittit. Emissis meliora restant: consumptis nihil restat: bona pariter malaque submota sunt ». Similiter in Cons. ad Polybium, cap. 27, et ad Marciam, cap. 19. Adi vero Lactantium, Div. Inst. III, 19, et hujusce libri cap. 30. Dav.

18. *Jam istuc.* Schützius auctoribus Reisk. et Wolf. *Nam istud.*

XII. 1. *Expone igitur.* Auditor, qui dixerat supra se malle audire de anima et immortalite animarum, nunc revocat Nostrum ad promissam hanc disputationem.

2. *Si minus id obtinebis.* Philosophi obtinent, quod probant aliis, quum vincunt esse verum aliquid, etiam defendunt. Ern. — Cf. statim *quam vis obtineri.*

3. *Sed carendum esse.* Timore angi, ne olim careamus. Neid.

4. *Quam vis obtineri.* Legendum puto *obtinere*, prout exhibent editt. Ven. et Steph. a qua non abeunt MSS quibuscum est collata. Eorum alter repræsentat « auctoritatibus quidem ad istam sententiam, quam vis obtinere, obtinendam, uti, etc. » quæ sane lectio aurei ævi simplicitatem redolet. Codex Fabric. habet « quamvis obtineri difficilem ». Hellenismus est satis notus, quem, si plurium MSS auctoritate niteretur, non repudiarem. Dav. — Hæc nota Davisii non apparet in secunda ejus ed. quasi sententiam mutavisset.

5. *Propius aberat.* Norvic. *propius*

ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse,
27 quæ erant vera, cernebat. Itaque unum illud[6] erat insitum priscis illis, quos « cascos » appellat Ennius[7], esse in morte sensum, neque excessu vitæ[8] sic deleri hominem, ut funditus interiret : idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio jure, et cærimoniis[9] se-

erat, quod Davisio placebat, idque in prima ed. multis exemplis comprobavit. — *Quo propius*. Quasi proxime a deo ipso edocti sint de natura animi. Nam.

6. *Itaque unum illud... vivere*. Primum argumentum pro immortalitate animi. Animum esse immortalem hoc probat, religio erga sepulcra, memoria, qua defuncti colebantur, et Apotheosis eorum hominum, qui præclare factis inclaruerunt. Nam.

7. *Quos cascos appellat Ennius*. In illo versiculo, quem laudat Varro de Ling. Lat. lib. VI, pag. 50 : « Quam primum casci populi genuere Latini ». Ubi idem Varro ait : « Cascum significat vetus ». Ibidem ostendit Manilium et Papinium eadem voce usos esse, quam etiam Festus explicat. Hieronymus, epistol. XLII : « Rudes illi Italiæ homines, quos cascos Ennius appellat ». Plura vide sis apud Hier. Columnam ad Ennii Fragm. p. 14. Quin et *casce loqui* dixit A. Gellius, N. A. lib. I, cap. 10. Dav.

8. *Excessu vitæ*. Lambinus reponendum conjecit *excessu e vita*, nec dubitari potest, quin alibi Tullius ita sit loquutus. Quum vero receptam lectionem tueantur omnes omnino MSS; ea temere non est deserenda, si loquendi modus probus inveniatur. Sic igitur Valerius Maximus, lib. VII, cap. 2, p. 1, extern. « O immensam illam sapientiam, quæ ne in ipso quidem vitæ excessu oblivisci sui potuit! » Similiter *exitus vitæ* passim dicitur. Vide Corn. Nepotem in Eumene, XIII, 1; A. Gell. XV, 16, ac Suet. in Claud. cap. 43, et in Nerone, cap. 54. Dav.

9. *Et cærimoniis*. Davis. *et e cær*. Penultima, inquit, vox est ab Eliens. pr. Reg. et Bak. nam præpositiones hoc modo repetere solitus est Noster. Eadem autem est ἔννοια Prudentii Cathem. Hymn. X, 53 : « Quidnam sibi saxa cavata, Quid pulchra volunt monumenta? Res quod nisi creditur illis Non mortua, sed data somno ». Ad rem ipsam quod attinet, « pontificio jure sanctitudo sepulcrorum », ut ait Cicero apud Nonium in *sanctitudo*. Idem Philipp. IX, cap. 6 : « Sepulcrorum sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri neque deleri potest ». Vide sis etiam de Legg. lib. II, cap. 22; Topic. cap. 33, n. 90, et Diogenem Laertium, III, 83. Hinc eorum violatio pessimum facinus habebatur; id quod eleganter docet Phædrus, lib. I, fab. 27. Seneca epigr. IV : « Sacrilegæ bustis abstinuere manus ». Maximus Tyrius, Diss. XIII, § 3 : Οὐδεὶς νοσῶν τὸ σῶμα συκοφαντεῖ, ἢ ΤΥΜΒΩΡΥΧΕΙ, ἢ λῃΐζεται; ἢ τι ἄλλο δρᾷ κακὸν μέγα. Dan. quidem Heinsio rescribendum videbatur τοιχωρυχεῖ, sed non erat, cur a MSS abiret diversus : pariter enim τυμβωρύχους inter hominum sceleratissimos numerat Celsus apud Origenem, lib. III, pag. 147. Adeantur etiam Galenus Protr. ad Artes init. Phocylides, vs. 95, ac

pulcrorum intelligi licet; quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset[10] in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quamdam quasi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris et feminis dux in cælum soleret esse; in ceteris humi
retineretur, et permaneret tamen[11]. Ex hoc, et nostro- 28
rum opinione,

Theodoretus in Rom. VII, 17. Hanc ob causam graves pœnæ in istius sceleris reos sunt constitutæ, de quibus egerunt Jac. Gutherius de Jur. Man. lib. III, cap. 25, et Joan. Kirchmannus, de Funer. lib. III, cap. 26. DAV.

10. *Nisi hæsisset.* Davis. *hæreret.* Nostram, inquit, lectionem dant Reg. Elienses tres, Med. Balliol. aliique codices. — Rathius defendit *hæsisset*, quia, posito *hæreret*, dicit v. *eorum* ferri non posse. Aliter nobis videtur. Schützium Davisius sequitur.

11. *In ceteris humi retineretur, et permaneret tamen.* Tres codices Lambiniani « in ceteris humi retineret et permanerent tamen » : cum quibus fere conveniunt alii nonnulli MSS. Sed retinenda recepta lectio; hæc enim ad *vitam* sunt referenda. Sensus est, mortem animos hominum vitiis deditorum humi retinere, ita tamen ut non pereant, sed durent adhuc maneantque. Multorum sane philosophorum mentibus inhæsit, bonos corpore liberatos in cælum recta pergere; malorum vero animas circa tumulos oberrare. Adi Lactantium in Statii Thebaid. VI, 885. Servius ad Æn. VI, 127 : « Secundum philosophorum altam scientiam, qui deprehenderunt bene viventium animas ad superiores circulos... redire... Male viventium vero, diutius in his permorari corporibus permutatione diversa, et esse apud inferos semper ». Macrobius in Somn. Scip. lib. I, cap. 9, inter alia sic loquitur : « Anima virtutes ipsas conscientia nobilitatis induitur, quibus post corpus evecta, eo, unde descenderat, reportatur... Anima, quam in se pronam corporis usus effecit, atque in pecudem quodammodo reformavit ex homine, absolutionem corporis perhorrescit... sed nec post mortem facile corpus relinquit... sed aut suum oberrat cadaver aut novi corporis ambit habitaculum, etc. » Hanc opinionem luculenter explicant Plato in Phædon. p. 386, 398, et Hierocles in Aur. Carm. 69, 70, eamque sequutus est Origenes. Vide in Cels. lib. VII, pag. 334, et P. D. Huetii Orig. lib. II, qu. VI, 17, seq. Plura suppeditabit Just. Lipsius Phys. Stoicæ lib. III, cap. 14. DAV. — An locus sic legendus? « Quæ claris viris et feminis dux in cælum soleret esse : ceteros humi retineret, et permanerent tamen ». Primum τὸ *in* ante *claris* videtur irrepsisse in textum; deinde τὸ *ceteros* in *ceteris* mutatum. GOERT. — Schütz. cum Wolfio Ernestii correctionem sequutus est : « quum ceteri humi retinerentur, et permaneant tamen ». Neid. *ut permanerent tamen*,

Romulus in cælo cum dis agit ævum[12],

ut famæ assentiens[13] dixit Ennius; et apud Græcos, indeque perlapsus ad nos, et usque ad[14] Oceanum Hercules, tantus et tam præsens[15] habetur deus. Hinc Liber deus[16], Semele natus[17], eademque famæ celebritate Tyndaridæ fratres[18]: qui non modo adjutores in præliis victoriæ populi romani[19], sed etiam

explicans: Ita tamen, ut permanerent, id est, non interirent.

12. *Romulus in cælo cum dis agit ævum*. D. Lambinus, probante Fr. Fabricio, dedit, « Romulus in cælo cum dis genitalibus ævum Degit » : nec aliter cecinit Ennius, ut docet Servius Æn. VI, 764. Nihil tamen hoc in loco contra MSS fidem mutandum puto; non raro enim accidit, ut veteres non ipsa verba, sed sensum modo voluerint exprimere. Dav.

13. *Famæ assentiens*, quæ Romulum inter deos collocaverat.

14. *Usque ad Oceanum*. Mare Atlanticum intelligit; Gadibus enim Hercules fuit cultus eaque insula terrarum finis habebatur. Vide Theodor. Therap. VIII, pag. 113; Æneam Gazæum in Theophr. pag. 394; D. et Nonnum in Gregorii Stelit. Hist. II, 34. Silius Italicus, lib. III, 3 : « Extemplo positos finiti cardine mundi Victor adit populos, cognataque limina Gades ». Isidorus Orig. lib. XIII, cap. 15 : « Hercules quum Gadibus pervenisset (leg. *Gades usque venisset*) columnas ibi posuit, sperans illic esse orbis terrarum finem ». Hinc ἐσχατόωντα Γάδειρα vocat Dionysius, vs. 65, 457, non quod Herculis columnæ ἐπὶ τὰ ἔσχατα μέρη τῶν Γαδείρων fuerint collocatæ, prout male paraphrastes Oxonii editus. Dav.

15. *Tam præsens h. deus*. Præsens solemne poetis deorum epitheton quum ad potentiam, tum ad voluntatem in auxilio ferendo exprimendam. Vid. Virg. Ecl. I, 42; Horat. Sat. II.

16. *Liber deus*. Davis. auctoritate librorum delevit *deus*, eumque Wolf. et Schütz. sequuntur.

17. *Semele natus*. Aut valde fallor, aut scripserat *Semela* ex antiquo usu linguæ latinæ, quem demonstrarunt Obertus Gifanius, in indice Lucretiano, v. *effigia*; G. J. Vossius, de Analog. lib. II, c. 2; Claudius Dausquius ortograph. part. 1, p. 56, 57; Jacobus Cujacius, observat. XII, 18. Ea consuetudo post Augusti ætatem vix tenuit : in edendo tamen Cicerone retinenda. Buhar. — Etenim Davisius dedit *Semela*.

18. *Tyndaridæ fratres*. Castor et Pollux. Cf. Nat. Deor. II, 2; III, 5; Dion. Hal. VI, 13; Lact. II, 8; Val. Max. I, 8, 2.

19. *Non modo adjutores in præliis victoriæ populi romani, sed etiam nuntii*. Eliens. pr. et Bsk. ordine verborum mutato, dant « populi romani victoriæ ». Lambinus autem reponendum statuit, « non modo adjutores in præliis populi romani, sed etiam victoriæ nuntii fuisse perhibentur ». At, ut opinor, præstat recepta lectio, nam bello Macedonico, quo devictus est Perses, et quo præcipue respicit Noster, Tyndaridæ « victoriam eadem die, qua fecerant, nuntiaverunt ». Verba sunt Minucii Felicis in Octav. cap. 7.

nuntii fuisse perhibentur. Quid? Ino, Cadmi filia, nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nostris[20]? Quid? totum prope cælum, ne plures persequar, nonne humano genere completum est?

XIII. Si vero scrutari vetera, et ex his ea, quæ 29
scriptores græci[1] prodiderunt, eruere coner: ipsi illi, majorum gentium[2] dii qui habentur, hinc a[3] nobis profecti in cælum reperientur. Quære[4], quorum demonstrantur sepulcra in Græcia; reminiscere, quoniam es initiatus, quæ traduntur[5] mysteriis: tum denique,

Latinus Pacatus, Pan. XII, cap. 39, 4: « Credidere majores Castoras geminos, albentibus equis et stellatis apicibus insignes; pulverem cruoremque Thessalicum aquis Tiberis abluentes, et nuntiasse victoriam, at imputasse militiam ». Hisce succinunt scriptores quos laudat Joan. Freinshemius ad Flori lib. II, c. 12. Dav.

20. *Leucothea... a nostris?* Davis. græce scribit v. *Leucothea:* idemque notat: Similiter Romanos Λευκοθέαν Ματοῦταν ὀνομάζειν testatur Plutarchus de Frat. Amor. tom. II, pag. 492. Sic inter alios, etiam Servius ad Æn. V, 241, et Lactantius ad Statii Theb. I, 12. Hunc vero locum laudat Nonius in *manum*.

XIII. 1. *Scriptores græci.* Alii *Græciæ.*

2. *Majorum gentium dii.* Ad hunc locum respicit Augustinus C. D. lib. VIII, cap. 5. Majores vero gentium Deos, quos etiam *Consentes* vocabant, hoc disticho complexus est Ennius: « Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo ». Id exhibent Apuleius de Deo Socrat. p. 70, et Mart. Capella, lib. I, p. 15. Dav.— Per metaphoram. Nam senatores illi centum, quos legit Romulus, appellati sunt *majorum gentium.* Centum illi quos legit Tarquinius Priscus, *minorum gentium;* hoc transtulit, ac festive quidem, Cicero ad deos electos et adscriptitios. Guiet.

3. *Hinc a nobis.* A terra, ex hominibus. Naid.

4. *Quære, quorum dem.* Etiam invenio ita scriptum: « quæ, quorum dem. » Non sane, ut mihi quidem videtur, inconvenienter. Ut autem de aliis taceamus, Jovis certa sepulcrum Cretenses ostendere solitos, et ob hanc etiam causam mendacio infames fuisse accepimus. Camer.

5. *Quorum demonstrantur sepulcra... quæ traduntur mysteriis.* Vulgo *tradantur.* Liber autem Pithœanus dabat *mysticis;* de quo sibi disquirendum putavit Gulielmius. Sed non opus est ut in hanc disquisitionem multum temporis absumamus, quum reliqui codices vulgatam lectionem tueantur, ac ita scripsisse Ciceronem abunde doceant Lactantius, Div. Inst. lib. I, cap. 15, et Augustinus de Cons. Evang. lib. I, cap. 23, ubi ῥῆσις hæc tota laudatur. Hic autem repræsentat, *quorum* demonstrentur *sepulcra... quæ* tradantur *mysteriis;* illa vero, *demonstrantur* et *traduntur;* ac ad alterutrum modum Tullii refingenda

quam hoc late pateat[6], intelliges. Sed qui nondum ea, quæ multis post annis tractari cœpissent, physica[7] didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admonente[8] cognoverant; rationes, et causas rerum non tenebant; visis quibusdam sæpe movebantur, hisque[9] maxime nocturnis, ut viderentur ii, qui vita excesserant, vivere. Ut porro[10] firmissimum

sunt exemplaria. Adolescentem vero ad mysteria remittit Noster, quoniam ea nihil aliud fuere, quam repræsentatio rerum ab iis qui colebantur gestarum, dum in vivis erant. Id patet ex omnibus Apologeticis; maxime quidem ex Firmico de Err. Prof. Rel. p. 2, seqq. et Clemente Alexandrino in Protr. pag. 10, cujus verba profert etiam Eusebius Pr. Evang. lib. II, cap. 3. Vide et Arnobium, lib. V, p. 231, 232. Dav. — *Quæ traduntur mysteriis*. Intelliguntur hic illa sic dicta mysteria majuscula, in quibus quum mythi de Cerere, Proserpina ejusque raptu per Plutonem dramatice agebantur, tum de statu hominum et ante et post hanc vitam placita tradebantur. Inde quoque factum ut *initia* (i. e. præexistentia, vitæ principia) a Romanis vocarentur, a quo vocabulo etiam τὸ *initiare* derivatur. Vid. Cic. de Legg. II, 14; Arnob. adv. gent. V, p. m. 211. Nam. — In mysteriis tradebantur multa arcana, quæ in vulgus annuntianda non sunt, quum auctore Tertulliano omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Symbola quædam sunt mystica, quæ docent homines fuisse, qui pro diis colebantur. In sacris Isidis et Serapidis erat simulacrum, quod digito labris impresso admonere videbatur, ut silentium fieret, quod significat, ut inquit Augustinus, ut homines eos fuisse taceretur. Dicebatur autem monitor ille silentii deus Harpocrates, de quo idonei scriptores non pauca: de quo Catullianum est illud: « factum me esse puta Harpocratem ». Beroald.

6. *Quam hoc late pateat*. Quæ inde ad confirmandam opinionem de animorum post mortem exsistentia colligi possunt. Nam.

7. *Physica*. Est sensu latiori, et complectebatur apud Veteres omnem, quam dicimus, philosophiam theoreticam. Sensus est: Antequam homines in causas rerum philosophice inquirerent, sæpe phantasmata nocturna defunctorum videre sibi sunt visi; et inde animos hominum post mortem perdurare concluserunt. Nam.

8. *Quantum natura admonente*. Ea tantum norant, quæ experientia docebat, nec penitus in causas rerum inquirebant. Nam.

9. *Hisque*. Schütz. cum Wolf. *iisque*, cur, aut unde, nescimus.

10. *Ut porro firmissimum*. Quum non sequitur vel *sic*, vel *ita*, vel ulla alia hujusmodi particula, Lambinus censuit scribendum fuisse: « at porro firmissimum ». Celeberrimus vero Buherius (cujus et acumini et doctrinæ multum debent hæ Tusculanæ disputationes, ut et libri de Natura Deorum) legit « et porro firmissimum ». Mihi quidem nihil mutandum videtur, si hæc possit esse constructio sententiæ: « hoc porro videtur afferri ut firmissimum », id est, tanquam

hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium[11] tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt[12]; id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum [13], aut consensus effecit; non institutis opinio[14] est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturæ putanda est. Quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitæ commodis arbitretur? Tolle hanc[15] opinionem:

firmissimum. PEARC. — Non possumus quin Pearcio dissentiamus: nam hic non agitur de probanda deorum exsistentia; nec aliter, quam comparationis gratia, hæc quæstio hunc in locum induci potest; ita ut nobis necesse videatur interpretari *ut* per *quemadmodum*. Sic erit hic locus inter adeo frequentia anacolutha reponendus: nam quæ sequuntur « multi... putanda est » quasi in parenthesi posita accipienda sunt: at Noster redit ad secundum comparationis membrum, quum dicit « quis est igitur, qui suorum mortem »: hoc sensu: ut firmissimum argumentum est deos esse, quod id omnes credunt; ita si omnes putant mortuos se vitæ commodis orbari adhuc sentire, necesse est re-ipsa eos adhuc sensu frui post mortem. — Ceterum hoc est secundum pro animi immortalite argumentum, depromptum a populorum consensu.

11. *Nemo omnium tam sit immanis.* MS Norvic. repræsentat *nemo hominum*, ac sic Terentius, Eun. act. IV, sc. VI, 19: « Nemo est hominum, qui vivat, minus »; nec aliter in multis codicibus, act. III, sc. V, 13. Vulgatam tamen lectionem non moveo, quam passim adhibent scriptores. DAV.

12. *Multi de diis prava sentiunt.* Hunc locum usque ad verba: *putanda est*, parenthesi inclusum velim. Cicero hac parenthesi objectioni occurrere velle videtur. Dicat forsan quispiam: si populorum consensus argumentum pro exsistentia deorum esset, sequeretur etiam, ut omnes populi in doctrina de natura deorum consentirent eademque omnes de diis statuerent. Hoc non necessario sequitur, inquit Cicero, nam esse deos in hoc quidem consentiunt, non autem in definienda eorum natura, hoc enim non efficit consensus. Sic expeditior sensus procedit in hoc loco difficiliori. NEID.

13. *Nec vero id collocutio hominum, aut consensus effecit.* Consensus ex collocutione. Ita *sentiunt* omnes, inquit Petrus Victorius, quamvis consensio nulla hominum intercesserit, neque ita inter se ipsi pepigerint. Itaque consensus hic est pactio, et ut jurisperiti vulgo loquuntur, conventio. ANONYM. — Alii, *efficit* pro *effecit*.

14. *Non institutis opinio.* Hæc conjungenda cum superioribus; hæc inquam opinio deos esse. NEID.

15. *Tolle hanc opinionem.* Dema-

luctum sustuleris. Nemo enim mœret suo incommodo[16]. Dolent fortasse, et anguntur; sed illa lugubris lamentatio, fletusque mœrens, ex eo est, quod eum, quem dileximus, vitæ commodis privatum arbitramur, idque sentire: atque hæc[17] ita sentimus natura duce, nulla ratione[18], nullaque doctrina.

31 XIV. Maximum vero[1] argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, et maximæ[2] quidem, quæ post mortem futura sint. « Serit arbores, quæ alteri sæculo prosint, » ut ait Statius[3] in Synephebis:

tur hominibus hæc opinio de exsistentia animorum post mortem, non amplius suos vita defunctos lugebunt. Neid.

16. *Suo incommodo.* Ob sibi allatum incommodum. Pulchre ibi sentit Cicero de natura humana: sed philosophi tamen esset conquirere utrum ob eorum causam quos amiserimus, an potius ob nostram, qui eorum convictu et societate orbemur, lugeamus.

17. *Atque hæc.* Davis. *hoc* ex uno cod.

18. *Nulla ratione.* Non ratiocinando; sed hæc opinio quasi nobis insita est atque innata. Neid.

XIV. 1. *Maximum vero... nomina inscribunt.* Tertium argumentum pro animorum immortalitate est: omnibus hominibus innatam esse summam curam eorum, quæ post mortem futura sint. Hoc exemplis agricolæ, patris, civis boni, viri domi militiæque præclari, poetarum, opificum, philosophorum, illustrat. Omnes hi, inquit, magis posteritatis causa agunt, quam coævorum. Neid.

2. *Curæ sunt, et maximæ quidem.* Vulgo *maxime:* sed edidi *maximæ*, jubente sensu; quod et Fr. Fabricium priorem vidisse video. Cicero ad Quintum fratrem, II, 14: « Maximæ vero mihi curæ erit ». Sic alibi passim. Vide de Amic. cap. 12, et Livium, X, 25. Dav.

3. *Ut ait Statius in Synephebis.* Cæcilium Statium dicit in comœdia clarum, cui palmam dedit Vulcatius Sedigitus apud Gellium, N. A. lib. XV, c. 24, de cujus etiam nomine videas licet lib. IV, cap. 20. Pall. quatuor et uterque Norvic. Ennii nomen præ se ferunt: Petrensis a prima manu, cum aliis nonnullis, exhibet « ut ait in Synephebis », quam veram esse scripturam contendit Janus Gebhardus, modo pronomen *ille* vel tale quid revocetur, ut subaudiri possit Agricola; cui equidem non assentior: nec iis etiam MSS fidem habeo, in quibus est « ut ait Ennius in Synephebis »; Ennium enim opus hoc titulo insignitum scripsisse non constat; at Cæcilium in Synephebis laudat Nonius Marcellus v. *Collum*, cap. 3. Præterea Cicero de Senect. c. 7, hunc ipsum versum ita profert: « Serit arbores quæ alteri sæculo prosint, ut ait Statius noster in Synephebis ». Ubi codices nihil variant, quod receptam

quid spectans, nisi etiam postera sæcula ad se pertinere? Ergo arbores seret diligens agricola, quarum adspiciet baccam[4] ipse nunquam: vir magnus leges, instituta, rempublicam non seret[5]? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones[6] filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant[7], nisi nos futura etiam cogitare? Quid illud? 32
num dubitas[8], quin specimen naturæ capi[9] debeat ex optima quaque natura? quæ est igitur melior in

lectionem abunde tuetur; nec Janum Gruterum sequor, qui N. D. lib. I, cap. 6, ubi eadem fabula citatur, Statii nomen exterminat, licet in nonnullis libris omittatur, in aliis *Plautus*, in aliis *Terentius* exaretur. Dav. — Addidit in secunda ed. Dav. in Reg. et aliis poetæ nomen prorsus omittitur. Hæc quum ita sint, repono, « ut ait in Synephebis ». Vide nos ad N. D. lib. I, cap. 6. Schützius cum Wolf. *ut ait ille*, quod Neid. sequutus est. — *In Synephebis*. Est comœdia Menandri a Cæcilio in latinam versa linguam. Naud.

4. *Baccam*, id est, fructum.

5. *Leges, instituta, remp. non seret?* Veteres editi, pluresque MSS neglecta interrogationis nota dant *conseret*. At Ursino placet, « ergo arbores seret diligens Agricola, quarum aspiciet baccam ipse nunquam: vir magnus leges, instituta, quæ deseret ». Qua quidem conjectura nihil vidi futilius, mirorque virum doctum tam coactam hariolationem, optimam judicasse; quum Lambinus vulgatam lectionem, quæ elegans est et Cicerone digna, ex suis codicibus jam protulerat; quibuscum faciunt Eliens. primus et Pall. tres. Quint. autem, El. sec. et Balliol. *Reip. non seret?* Dav.

6. *Adoptiones*. Davis. scribit *adoptationes*. Sic, inquit, Reg. Eliens. sec. tert. Bak. et a prima manu Petrensis. Sallustius Jugurth. c. 11: « Ipsum illum tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse ». A. Gellius, lib. V, cap. 19: « Quod per prætorem fit, adoptatio dicitur ». Sic etiam loquitur Tertullianus ad Nat. lib. II, cap. 1. Vulgo *adoptiones*: sed nos verbum, quod in usu rarius est, revocandum censuimus.

7. *Sepulcrorum monumenta, quid elogia significant*. Reg. et Eliens. tert. antepenultima voce prætermissa, dant « sepulcrorum monumenta elogia significant ». Forsan Cicero scripsit, « sepulcrorum monumenta et elogia significant ». Dav.

8. *Num dubitas*. Nonne putas, exemplum de natura alicujus rei sumendum esse ex ejusdem optima specie? Itaque hominum optimam speciem hic allegare animus, eorum nimirum, qui ad tutandum, adjuvandum et conservandum alios se natos arbitrantur. Naud.

9. *Capi debeat*. Ita Lambinus, quem, codicibus licet invitis, sum sequutus. Vulgo *deceat*, quod respuit latini sermonis ratio. Dav. — Schütz. et Neid. reposuerunt *deceat*.

hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? Abiit ad deos Hercules; numquam abiisset, nisi, quum inter homines esset, eam sibi viam[10] munivisset. Vetera jam ista[11], et religione omnium consecrata.

XV. Quid in hac republica tot, tantosque viros ob rempublicam interfectos, cogitasse arbitramur? iisdemne ut finibus[1] nomen suum, quibus vita, terminaretur? Nemo umquam sine magna spe immorta-
33 litatis se pro patria offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondæ; licuit, ne et vetera et externa quæram, mihi. Sed nescio quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis, altissimisque animis et exsistit maxime, et apparet facillime. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui
34 semper in laboribus et periculis viveret? Loquor de principibus. Quid poetæ? nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud,

Adspicite, o cives, senis Ennii imagini' formam.
Hic vestrum pinxit maxima facta patrum[2].

10. *Viam*. Ad cælum.

11. *Vetera jam ista*. Sc. quæ de Hercule narrantur. Hæc est transitio qua ad recentioris ætatis viros orationem adducit.

XV. 1. *Iisdemne ut finibus*. Gloriam, famam suam simul cum vita deposita finem habituram. Neid.

2. *Pinxit maxima facta patrum*. Alii *panxit*, quod passim de poetis dicitur. At cum MSS Gebhardianis faciunt Reg. Eliens. pr. tert. Bak. Med. et Petrens. quos sequendos arbitror; nam *pingere* μεταφορικῶς *describere* significat. Sulpicius Severus de Hieronymo, Dial. I, cap. 8: « Pinxisse mihi videtur vitia multorum ». Terentius, Phorm. act. II, sc. 1, 38: « Probe horum facta imprudens depinxit senex ». Simili translatione dixit Noster, Tusc. lib. V, cap. 39: « Ejus (Homeri) picturam, non poesin, videmus ». Accedit quod argutius sit epigramma, si petat Ennius, ut ejus *imaginem aspiciant* cives, quippe qui paterna eorum facta *pinxerat*, quam si modo legatur altero. Dav.—Adde quæ idem Dav. in prima ed. notaverat: Simonides etiam dixit ζωγραφίαν εἶναι φθεγγομένην, τὴν ποίησιν, ut refert Plutarchus

Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria; idemque,

> Nemo me lacrymis decoret, neu funera fletu
> Faxit [3]. Cur? volito vivu' per ora virum.

Sed quid poetas [4]? opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ [5], quum inscribere [6] non li-

quum alibi, tum de aud. Poet. p. 17. F. Hæc debemus eruditissimo viro Joan. Alb. Fabricio, Bibl. Græc. lib. III, esp. 20, 8. Forte tamen aspernanda non est illorum codicum lectio, qui repræsentant « Hic vestrum panxit maxima facta patrum ». Prudentius Cathem. Hymn. IX, 3: « Hunc Camœna nostra solum pangat, hunc laudet lyra ». Idem Perist. Hymn. VI, 156: « Et carmen freta ferista pangant ». Et apoth. v. 379: « Hebræus pangit stilus, Attica copia pangit, Pangit et Ausoniæ facundia tertia linguæ ». Unde factum ut hæc vox poetis tribuatur, docebit Festus v. *impages* et *pangere*. Dav.—Schütz. Bentl. jubente, qui hoc sensu metaphoram v. *pingere* male latinam dicit, cum Wolf. edidit *panxit;* eosque sequutus est Neid. qui notat: scripserat enim Ennius Annales poema historicum, in quo historiam romanam complexus erat. Ceterum versus hi inscripti erant statuæ Ennianæ.

3. *Decoret, neu funera fletu Faxit.* Has voces Davis. omisit, notavitque: Supplerunt librarii vel hujusce libri, cap. 49, vel ex libri de Senectute, c. 20. Nam Reg. ita dat ut edidimus, et Ciceroni dimidiatos versus, si modo noti fuerint, laudare non est inusitatum. — Schützius Davisium non sequutus est. Buherius restitui vellet quod est in cod. Leid. *nec funera lessum*, quam leet. eredit ob ignorationem librariorum mutatam, qui nesciebant *funeram* esse mulierem, quæ in exsequiis præeinebat ejulationem funebrem, id est, *lessum*. Al. *nec* pro *neu*.

4. *Sed quid poetas?* Reg. Eliens. tert. et Balliol. « Sed quid putas? » Recepta tamen lectio, quam servant Med. Bak. aliique codices, mibi potior videtur. Sic infra, II, 16: « Sed quid hos? quibus Olympiorum victoria consulatus, etc. » Dav.

5. *Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ.* Hanc historiam refert Aristoteles de Mundo, c. 6. Ejus verba sic latine reddit Apuleius, pag. 746: « Phidiam illum... vidi ipse in clypeo Minervæ... oris sui similitudinem colligasse, ita ut si quis olim artificis voluisset exinde imaginem separare, soluta compage, simulacri totius incolumitas interiret ». Eodem respiciunt Valerius Maximus, lib. VIII, cap. 14, pag. 6, et Noster, de Orat. II, 17. Dav.

6. *Quum inscribere non liceret.* Moris erat, ut fictores nomina sua statuis insculperent. Plinius, H. N. Præf. pag. 9. Pingendi fingendique conditores « invenies absoluta opera... pendenti titulo inscripsisse, ut Apelles faciebat aut Polycletus. » Cf. Basilius de Socrate, Hom. XXIV, p. 577. Vide sis etiam Tzetzem in epist. quam publici juris fecit Kusterus ad Suidam

ceret? Quid nostri philosophi[7]? nonne in his ipsis
libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua no-
35 mina inscribunt[8]? Quod si omnium[9] consensus, na-
turæ vox est; omnesque, qui ubique sunt, consen-
tiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita
cesserint[10]; nobis quoque idem existimandum est.
Et si, quorum aut ingenio, aut virtute animus excel-
lit, eos arbitramur[11], quia natura optima sunt, cernere
naturæ vim maxime; verisimile est, quum optimus
quisque maxime posteritati serviat[12], esse aliquid,
cujus is post mortem sensum sit habiturus.
36 XVI. Sed ut deos esse[1] natura opinamur, quales-

in Αὐχόρρων, ut et Chil. VIII, 930. Hæc sunt iis addenda, quæ congessit Marq. Gudius ad Phædri lib. V, Prol. 2. Dav. — Rathius cum quibusdam putat v. *nomen* ante *non liceret* excidisse. Idem quum profiteatur se nescire, an vetitum fuerit ne statuarii nomen suum inscriberent statuis deorum, quas finxerant, idque nullo modo compertum esse, legit *liberet* pro *liceret*.

7. *Quid nostri philosophi? nonne.* Schütz. interpungit: « quid? nostri philosophi nonne, etc. »

8. *Quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt.* Huc respicit Hieronymus, lib. III, Comm. in epist. ad Galat. ed. Victor. t. VI, pag. 155: « Videas plerosque (quod etiam Tullius ait) libros suos de contemnenda gloria inscribere et causa gloriæ proprii nominis titulos prænotare ». Idem notat Valerius Maximus, lib. VIII, cap. 14, 3, ext. « Gloria ne ab his quidem, qui contemptum ejus introducere conantur, negligitur; quoniam quidem ipsis voluminibus nomina sua diligenter adjiciunt, ut, quod professione elevant, usurpatione memoriæ consequantur ». Vide Ciceronem pro Archia, cap. 11, et Amm. Marcellinum, XXII, 7. Dav. — His ipsis libris scribendis gloriam ad posteros propagare cupiunt. Nein.

9. *Quod si omnium... habiturus.* Recapitulatio argumenti secundi ac tertii. Nein.

10. *Cesserint.* Davis. *cesserunt.* Ita, inquit, Reg. At Eliens. pr. sec. *qui vita excesserunt*; quod etiam probum. — Davisium Sch. et Neid. sequuntur.

11. *Arbitramur... sunt.* Davis. e cod. Reg. *arbitrabimur... sint.*

12. *Posteritati serviat.* Omni conatu laboret ut nomen suum in posteritatem transferat, quasi post mortem laude sua fruiturus.

XVI. 1. *Sed ut deos esse... immortalitatis relinquamus.* Deos esse, e natura scimus; naturam autem eorum nonnisi ratiocinantes extricamus; eodem modo e consensu populorum arbitramur animos permanere; de sede eorum ac natura ratiocinando tantummodo edocemur. Abusus rationis multas fabulas de statu animorum post mortem procreavit. Difficile est ratione iis in rebus, quæ nullibi in aliqua ex-

que sint, ratione cognoscimus; sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium: qua in sede maneant, qualesque sint, ratione discendum est. Cujus ignoratio[2] finxit inferos, easque[3] formidines, quas tu contemnere non sine causa videbare. In terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis, e quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. Quam eorum opinionem magni errores[4] consequuti sunt: quos auxerunt poetæ.

perientia dantur, sed modo intelligibilia sunt, recte uti; inde factum, ut antiquissimi philosophi nihil e conceptibus (acroamatice), sed per constructionem (mathematice) demonstrarent. Plato primus fuit, qui immortalitatem animorum e ratione (i. e. ratiocinando) demonstraret. Nair.

2. *Cujus ignoratio.* Ignoratio usus rationis. Nein.

3. *Easque formidines.* Hoc loco *formidines*, quod opinor esse hactenus observatum a nemine, haudquaquam timores sunt ac metus; sed eorum causæ. *Formido* Veterum superstitione consecrata, quam Hyginus, in aditu fabularum, natam ait ex Venere et Marte, fingebatur uti spectrum quoddam, cujus officium terrere mortales, unde etiam terricula dicebatur. Idem ille scriptor, fabul. 145, de vacca, in quam conversa Io fuerat « Juno formidinem ei misit, cujus timore exagitata, etc. » Virgilius Æneid. XII, 335, de Martis comitatu, « circumque atræ Formidinis ora, Iræque insidiæque, etc. » *Formidines* dixit Cicero ad emphasim, quemadmodum Lucilius in fragmento, quod servavit Lactantius « Terriculas, Lamias, Fauni quas, Pompiliique Instituere Numæ ». Buhar.

4. *Magni errores.* H. Stephanus ex nonnullis editt. quibus accedit MS Norv. reposuit *terrores*, et paulo post: « tantumque valuit error ». Nec forsan immerito; nam paulo ante *formidinum* meminit. Supra, c. 5: « Dic, quæso, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, etc. » Seneca Cons. ad Marciam, cap. 19: « Luserunt ista (de inferis) poetæ et vanis nos agitavere terroribus ». De suppliciis, quæ finxerunt poetæ, ad nostrum institutum optime Lucretius, lib. III, pag. 403: « Quæ tamen etsi absunt, at mens sibi conscia facti Præmetuens adhibet stimulos, torretque flagellis: Nec videt interea, qui terminus esse malorum Possit, nec quæ sit pœnarum denique finis: Atque eadem metuit magis hæc ne in morte gravescant, Hinc Acherusia fit stultorum denique vita ». Pœnarum in inferis descriptionem suppeditabunt Virgilius, Æn. VI, 566, seqq. et Tibullus, lib. I, El. III, 67. Dav. — Sed in secunda editione Davis. mutata sententia notavit: commodior est recepta lectio, quam præstant omnes MSS. Nec exinde stabilitur ejus emendatio, quod paulo ante *formidinum* meminit Tullius; error enim falsa est opinio, quæ terrores potest, non minus ac alios affectus procreare.—Vid. inf. § 37, *tantumque valuit error*, etc.

37 Frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculæ et pueri, movetur audiens tam grande carmen[5]:

> Adsum[6], atque advenio Acheronte, vix, via alta, atque ardua,
> Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
> Maximis; ubi rigida constat crassa caligo inferum.

Tantumque valuit error, qui mihi[7] quidem jam sublatus videtur, ut, corpora cremata quum scirent, tamen ea fieri[8] apud inferos fingerent, quæ sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi. Animos enim per se ipsos viventes non poterant mente[9] complecti: formam aliquam figuramque quærebant. Inde Homeri tota νεκυία[10]: inde ea, quæ[11] meus amicus Appius

5. *Tam grande carmen.* Tam sublime exordium dramatis. Nᴇɪᴜ. — Tragicum carmen, quod sequitur, cujuscumque tandem poetæ sit, grande dicitur, propter grandem sonum, quod necessario fit, dum litera *a* octies aperto ore pronuntianda est, et propter frequentem sibilum in pronuntiatione literæ *s* ad quartam vicem repetitæ: ita enim referuntur in ipso carmine, quæ maxime afficere possint auditores. A. Mᴀɴᴜᴛ.

6. *Adsum, atque advenio... caligo inferum.* Huic tristicho respondet initium Hecubes Euripideæ: Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας Λιπὼν, ἵν' ᾅδης χωρὶς ᾤκισται Θεῶν. Priorem versum sic παρῳδεῖ Aristophanes apud Athenæum, lib. XII, pag. 451: Καί τις νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας Ἔτλη κατελθεῖν. Hinc, ut id obiter dicam, memoriæ falsum esse Tzetzem liquet, qui hoc modo locum expressit, Chil. X, 162: Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνά τε καὶ πύλας ἀφεὶς σκότου... Quin et receptam lectionem servat Lucianus Necyom. tom. I, pag. 325. Dᴀᴠ.

7. *Qui mihi.* Rathius vult scribi, *qui tibi* vel libris invitis.

8. *Ea fieri.* Fingebant in inferorum domicilio a Manibus ea effici, quæ nonnisi ope corporis effici possunt.

9. *Non poterant mente complecti.* Puræ rationis ope intelligere non poterant, qui animi sine corpore esse possint, omnemque animi cognitionem ad intuitum referre volebant. Nᴇɪᴅ.

10. *Homeri tota* νεκυία. Ita vocatur Odyss. Λ, quod in eo libro Ulysses inferos adiisse, et cum umbris colloquutus esse fingitur. Vide Eustathium. Dᴀᴠ.

11. *Inde ea, quæ*, etc. Dav. scribit νεκυομαντεία, notatque: Vulgo « quam meus amicus... faciebat ». Lectionem vero, quam sequimur, repræsentant optimi codices scripti non minus ac editi. Nec tamen vitio caret hæc scriptura; non enim νεκυομαντεία, seu locos ubi responsa dant manes evocati, *facere*, sed iis *uti* solebat Appius. Vide lib. I de Divin. cap. 58. Forsan igitur, quum nonnulli libri νεκρομαντεῖα, alii ψυχομαντεία, reliqui νεκυο-

νεκρομαντεία faciebat : inde in vicinia nostra[12] Averni lacus[13],

> Unde animæ excitantur obscura umbra[14], aperto ostio
> Alti Acheronis, falso sanguine[15], mortuorum imagines[16].

μαντεία dent ; eæ varietates librarii produnt additamentum, meritoque Petr. Ciacconius illud verbum, quodcumque sit, abundare statuit ; aut, quod probabilius videtur, cum sentissimo Bentleio legendum, νεκυομαντεία *consulebat*. Non absurde tamen legeris, νεκυομαντεία *adhibeat*. — Rathius legit : « inde ea, quam meus amicus Appius faciebat, νεκυομαντεία ».

12. *In vicinia nostra*. In Campania prope Cumas, Baias et Puteolos erat Avernus lacus Proserpinæ sacer, cujus aquæ inter densas silvas adeo putentes erant, ut supervolitantes aves deciderent mortuæ. Nair.

13. *Averni lacus*, *Unde animæ*. Ibi νεκυομαντεῖον erat, quod descripsit Maximus Tyrius, Diss. XIV, § 2. Νεκυομαντείου etiam τοῦ ἐν τῷ Ἀόρνῳ meminit, lib. I, pag. 46. Dav. — De Averno lacu vid. Æneid. lib. VI; Sil. Ital. XII, 21, seqq.

14. *Obscura umbra*, *aperto ostio*. Dav. scribit : « obscura umbra opertæ, ostio », notatque : Reg. et Vatic. *apertæ* : unde manum Ciceronis eruit Cl. Bentleii solertia. Procop. in Regum I, pag. 86 : Εἰώθεσαν ἐν ταῖς νεκυομαντείαις, δαιμόνων ἀπάταις, ΣΚΙΟΕΙΔΗ βλέπειν φαντάσματα. Nimirum veteribus σκιὰ videbantur οἱ νεκροί, prout loquitur Scholiast. ad Æschyli Choeph. vs. 155. — Schütz. cum Wolf. *apertoque ostio*.

15. *Falso sanguine*. Sic erat in prima ed. Dav. et sic edi voluit Vossius ; *falso* quia non sunt id quod videntur, quippe exsangues umbræ duntaxat : sic Ern. ex edd. vett. MS Guelf. idque nuper defendit Doderlein in specimine novæ edit. tragœd. Sophocl. quem Schütz. sequitur. Alii, ut Neid. *salso sanguine*. Cf. not. seq. fin.

16. *Mortuorum imagines*. Sic habet Davis. in prima ed. in secunda transp. *imagines mort.* notatque : Jano Gulielmio placet *mortuorum imagines*, uti quidem dant Eliens. tert. et Petrens. eaque mutatio (si modo versus esset trochaicus, quod illi videbatur) prorsus est necessaria. Has autem imagines εἴδωλα καμόντων Homerus vocat, « simulacra luce carentum », Lucretius et Virgilius : non quod animas imaginibus speculorum similes posuerint, quæ, quamvis nostram referant speciem, corporeæ naturæ expertes omnino sunt, ut perperam Hier. Columna in Ennii Fragm. pag. 246, cui præivit Porphyrius de Styge apud Stobæum, Eclog. Phys. pag. 129, sed quoniam « definierunt esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum inferos petat », ut loquitur Servius in Æn. IV, 654. Vide sis et eumdem ad Æn. VI, 134 ; Plutarchum de facie in orbe Lunæ, tom. II, pag. 944 ; Scriptorem vitæ Homericæ inter Opusc. Galeana, pag. 342 ; Horatium Od. lib. I, 24 ; Gisb. Cuperum in Apoth. Homer. pag. 20, et nos ad lib. III Nat. Deor. c. 16. — Schütz. et Wolf. *mortuorum imagines* metri causa præposuerunt. Bentleius totum hunc locum sic legi vult : « Unde animæ excitantur, obscuræ umbræ, aperto ostio Alti Acherontis, fuso san-

Has tamen imagines loqui volunt : quod fieri nec sine
lingua, nec sine palato, nec sine faucium laterumve
et pulmonum[17] vi, et figura potest. Nihil enim animo
38 videre[18] poterant : ad oculos omnia referebant. Magni
autem est ingenii, sevocare[19] mentem a sensibus, et
cogitationem a consuetudine abducere. Itaque credo
equidem etiam alios tot sæculis[20]; sed, quod litteris
exstet proditum[21], Pherecydes Syrius[22] primum dixit,

guine, mortuorum imagines », et sic *fuso sanguine* refert ad v. *excitantur*.

17. *Laterumve et pulm.* Davis. auctoritate plurium libb. voculam *ve* omisit, eumque Wolf. et Schütz. secuti sunt. Rathius conj. « laterumve aut pulm. »

18. *Animo videre.* Nihil remotum a sensibus sibi cogitare poterant. Nain.

19. *Sevocare mentem a sensibus.* Alii *revocare*. Sed laudat hunc locum Augustinus ad Volus. ep. 3, et habet *sevocare*, quod etiam repræsentasse videtur Eliens. tert. a prima manu. Noster, Nat. Deor. lib. III, cap. 8 : « Non quod difficile sit mentem ab oculis sevocare ; sed quo magis sevoco, eo minus, quod tu vis, possum mente comprehendere ». Infra, c. 30 : « Quibus fuisset minima cum corporibus contagio, seque ab his semper sevocassent ». Vide et cap. 31. Dav.

20. *Tot sæculis.* Olim vulgg. edd. addebant *disputasse de animis*, quod auctoritate MSS rejectum est.

21. *Quod litteris exstet proditum.* Multos alios credo fuisse, qui putarent, animum esse immortalem; sed Pherecydem primum id docuisse, memoriæ proditum est. Suidas refert eum πρῶτον τὸν περὶ τῆς μετεμψυχώσεως λόγον εἰσηγήσασθαι. Neid.

22. *Pherecydes Syrius primum dixit animos hominum esse sempiternos.* In vulgatis male *Syrus primum :* nam Syri insulæ τὸ ἐθνικὸν est Σύριος, quod nec Ursinum latuit. Eadem macula tamen in non paucis restat Veterum locis. Sic Luciano Macrob. tom. II, pag. 474, et Achilli Tatio Isag. ad Arati Phæn. cap. 3, pag. 125, Φερεκύδης dicitur ὁ ΣΥΡΟΣ. Leg. Σύριος ; immania enim est error Tzetzis et Augustini, quorum illi, Chil. II, 869, huic contra Acad. lib. III, cap. 17, et ad Volusianum, ep. 3. *Assyrius* est noster Pherecydes. In iis tamen literis recte tradit episcopus Hipponensis, Pherecyden animorum immortalitatem docuisse; falliturque Tatianus, qui Orat. ad Græcos, cap. 41, sic loquitur : Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης τοῦ Φερεκύδους δόγματος κληρονόμος ἐστὶ, καὶ τῆς ψυχῆς διαβάλλει τὴν ἀθανασίαν. Vide Lactantium, Div. Instit. lib. VII, cap. 7, 8. At non est dissimulandum scriptoribus inter se non convenire, qui primi dogma de animorum æternitate tradiderint. Pausanias Messen. c. 32 : Ἐγὼ Χαλδαίους καὶ Ἰνδῶν τοὺς μάγους πρώτους οἶδα εἰπόντας, ὡς ἀθάνατός ἐστιν ἀνθρώπου ψυχή. Ægyptios autem hac laude mactant Herodotus, lib. II, cap. 123, et Clemens Strom. lib. VI, pag. 752. Athenæo si credimus, lib. XI, p. 507. Ἡ ψυχὴ ἀθάνατος... παρὰ πρώτῳ εἴρηται Ὁμήρῳ. Vide et scriptorem vitæ Homericæ inter Opusc. Galeana, p. 341.

animos hominum esse sempiternos : antiquus sane ; fuit enim meo regnante gentili[23]. Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit : qui quum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Græciam quum honore[24] disciplinæ, tum etiam auctoritate : multaque sæcula[25] postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur.

XVII. Sed redeo ad antiquos. Rationem illi sententiæ suæ non fere reddebant, nisi quid erat numeris
aut descriptionibus[1] explicandum. Platonem ferunt, 39
ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse[2], et
didicisse Pythagorea omnia, primumque de animo-

Id a nonnullis Pythagoræ, ab aliis Thaleti tribuitur. Adi Diogenem Laertium, I, 24 ; Maximum Tyrium, Diss. XVI, § 2 ; Porphyrium vit. Pythag. p. 188, et Hieron. in Rufin. lib. III, cap. 10, pag. 537. Dav. — Bentleius pro *primum* legi vult *primus*.

23. *Meo regnante gentili.* Servio Tullio. Cicero enim erat e gente Tullia. Neid. — J.V. L. contendit v. *gentili* non significare Ciceronem eadem gente ortum esse ac Tullium regem, sed solum idem gentis nomen habere ; adhibetque locum Brut. cap. 16, in quo Cic. se negat ab hoc Tullio ortum esse. Conferri jubet Brisciolam Horar. subsec. IX, 17.

24. *Quum honore disciplinæ.* Davis. scribit, « quum honore et disciplina ». Reg. inquit, Eliens. tert. et Mediol. « quum honore disciplina ». Cl. Bentleius reponit *quum more et disciplina.* Dav. — Pearcius profitetur se malle sequi Warburtoni conj. « quum honore ex disciplina », adhibetque pro Sext. Roscio, c. 50 : « Quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur ».

24. *Multaque sæcula postea sic viguit.* Nonius in *Nominativus pro Dativo:* « Cicero Tusc. lib. I, multaque sæcula post illa *reviguit* Pythagoreorum nomen ». Leg. *sic viguit*, ut apud Nostrum. Dav.

XVII. 1. *Descriptionibus.* Constructione mathematica. Neid.

2. *In Italiam venisse.* In vett. editis post hæc verba legitur « et in illa (vel *ea*) quum alios multos, tum Archytam, Timæumque cognovisse » ; quæ, quum ab optimis Pall. abessent, Jano Gebhardo non esse Ciceronis videbantur. Exsulant etiam a Reg. Bodleian. et Balliol. nec quin hoc jure merito fiat ullus dubito ; siquidem codices illi, qui hoc agnoscunt emblema, fere repræsentant, « et in illa quum alios multos tum Archytam Timæumque cognovit » ; unde ea docto cuidam scholiastæ deberi satis apparet. Vide Nostrum de Fin. lib. V, cap. 29 ; Valerium Maximum, lib. VIII, cap. 7, 3 ext. Apuleium de Habit. Doct. Plat. pag. 569, et Hieronymum in Rufin. lib. III, pag. 537. Dav.

rum æternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoram[3], sed rationem etiam attulisse. Quam, nisi quid dicis, prætermittamus, et hanc totam spem immortalitatis[4] relinquamus. — AUD. An tu[5], quum me in summam exspectationem adduxeris, deseris? Errare mehercule malo cum Platone, quem tu quanti facias, scio, et quem ex tuo ore[6] admiror, quam cum istis vera sentire. — CIC. Macte virtute. Ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim. Num igitur dubitamus[7], an, sicut pleraque, sic et hoc (quamquam hoc quidem minime[8]: persuadent enim mathematici)? terram in medio mundo sitam ad uni-

3. *Quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse. Quam.* Davis. scribit *Pythagoran* et *rationes... quas.* Vulgo, inquit, « Pythagoras, sed rationem etiam adtulisse quam, etc. » Lectionem vero quam dedimus exhibet Bak. Et recte quidem, ut vidit Cl. Bentleius: nam Plato « multas rationes » attulit cur immortales putandi sint animi. Vide cap. 21. Quod autem *Pythagoran* legamus, id fide Reg. Eliens. tert. aliorumque codicum nititur. Censorinus de die Natali, cap. 15: « Isocratem rhetorem ferunt prope ad id ætatis pervenisse, quo Gorgian Leontinum ». Quintilianus, Declam. II, pag. 18: « Idem vos putatis efficere noctium merita... quod natalium pignorumque reverentias ». Sic et alii.

4. *Spem immortalitatis.* Omnem doctrinam de spe immortalitatis. NAUD.

5. *An tu.* Wolf. edidit *ain' tu?* Eum sequuti sunt Schütz. et Neid. qui observat: Simulat Cicero se totam disquisitionem relinquere velle, sed rogatus ab auditore continuat eam. Sequitur jam expositio metaphysica immortalitatis animorum. A § 40-42 recensentur denuo illæ philosophorum de natura animi in superioribus (§ 19-22) allatæ sententiæ, quarum eæ a veritate proxime abesse videntur, quæ animum vel igneæ vel aeriæ naturæ esse perhibent. Ceteræ sententiæ rejiciuntur tamquam non admittendæ in hac disquisitione.

6. *Ex tuo ore.* Tuo de eo testimonio adductus. NAUD.

7. *Num igitur dubitamus, an, sicut pleraque, sic et hoc?* Davisius delet *an*, suasu Bentleii, et seqq. *sic et hoc* auctoritate Reg. Eliens. tert. Back. Petr. et Cantabr.—*Sicut pleraque.* Nos academici dubitare solemus; academici enim de omnibus rebus dubitabant, nihilque certum esse statuebant. Vid. supra ad § 17. — *Sic et hoc.* Sc. dubitamus, sive dubitandum esset. Ceterum ego sensum expeditiorem procedere putaverim, si pro *num* legatur *non*, et verba *an sicut* usque ad *mathematici* parenthesi includantur. NAUD.

8. *Quamquam hoc quidem minime.* Dubitare licet, quia mathematici sunt, qui persuadent (ἀποδεικτικῶς, demonstrationibus) quique nulli dubitationi locum relinquunt. NAUD. — Bentleius *quamquam* interp. *immo.*

versi cæli complexum quasi puncti instar[9] obtinere, quod κέντρον illi vocant; eam porro naturam esse quatuor omnia gignentium[10] corporum, ut quasi partita habeant inter se, et divisa momenta[11]; terrena et humida suopte nutu, et suo pondere ad pares[12] angulos in terram, et in mare ferantur; reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis, ut illæ superiores[13] in medium locum mundi gravitate ferantur et pondere, sic hæ rursum rectis lineis in cælestem locum subvolent, sive ipsa natura superiora appetente[14], sive quod a gravioribus leviora natura repellantur. Quæ quum constent, perspicuum debet esse, animos, quum e corpore excesserint, sive illi sint animales, id est, spirabiles[15], sive ignei, in sublime ferri. Si 41

9. *Puncti instar.* Punctum tantummodo esse in comparatione cum universo. Neid.

10. *Quatuor omnia gignentium corporum.* Quatuor elementorum e quibus omnia oriuntur. Neid.

11. *Divisa momenta.* Momenta esse videntur *leges motus.* Sensus itaque esset : Horum elementorum alia aliis motus legibus moventur, alia deorsum, ut terra et aqua, alia sursum, ut ignis et aer. Neid.

12. *Ad pares angulos.* Ad angulos rectos, ad perpendiculum. Neid.

13. *Illæ superiores.* Terra et aqua. *Hæ :* ignis et aer. Neid.

14. *Sive ipsa natura superiora appetente.* Ubi primum hæc legeram, continuo subodoratus sum mendum subesse. Quid enim illud, « ipsa natura ? » nihil profecto aliud, quam « natura rerum communis » : atqui illa haud magis *superiora* appetit, quam inferiora sive media. Ergo falsum hoc et absurdum, ideo ignem et aerem cælum versus subvolare, quod *ipsa natura* superiora appetat. Legebam igitur, « sive ipsæ natura superiora appetentes ». Ubi *natura* perinde est ac *natura sua.* Postea vero inspecta Lambini editione, animadverti virum doctissimum τὸ *appetentes* ex veteri codice protulisse, *ipsæ* autem ex conjectura. Bentl. — Davisius Bentleium sequitur ; addit tamen : legi etiam queat « sive ipsarum natura superiora adpetente ». Dav. — Neid. quoque cum Bentleio facit, sicque ejus lect. interpr. Sive quod secundum legem attractionis a superioribus attrahantur, sive repulsionis repellantur ab inferioribus. Sed Schützius a vulgata lectione non recessit.

15. *Animales ; id est, spirabiles.* Reg. et Vatic. *spiritabiles ;* Pal. quart. *spiritales ;* Petrens. *spirituales ;* ac ita legendum conjecerat Janus Gulielm. Frustra quidem et immerito. Noster cap. 29 : « Fac igneam, fac spirabilem ». Sic et alibi. Servius ad Æn. III, vers. 600 : « Spirabile, vitale, quo spiramus, et est sermo Ciceronis,

vero aut numerus quidam sit animus, quod subtiliter magis, quam dilucide dicitur, aut quinta illa non nominata magis, quam non intellecta[16] natura: multo etiam integriora[17], ac puriora sunt, ut a terra longissime se efferant. Horum igitur[18] aliquid animus est, nec tam[19] vegeta mens aut in corde, cerebrove, aut in Empedocleo sanguine demersa jaceat[20].

XVIII. Dicæarchum vero cum Aristoxeno æquali et condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus: quorum alter ne condoluisse[1] quidem umquam

quamquam ille spiritabile dixerit in libris de Deorum natura». Empedocles ex versione Chalcidii in Timæum, § 11: «Humorem liquido, nostro spirabile flatu». Eumdem versum nonnihil immutatum profert, § 216. Aberravit vero P. Manutius, qui tres ultimas voces glossematis damnavit. Dav. — Rathius tamen cum P. Manut. vv. «id est, spirabiles» spurias putavit. — *Animales*. I. e. naturæ seriæ. Neid. — Paullo post pro *in sublime* olim legebatur *sublime* sine *in*, quam lect. Neid. secutus est.

16. *Non nominata magis, quam non intellecta*. Utrobique *non* deleto, belle procedit oratio. Sic infr. c. 22, vulgo legitur, «si... intelligere non possumus; ...complecti non possumus». Si utrobique negandi particulam induxeris, nihil erit, quod te offendere possit. Rerum criticarum periti non ignorant, infinitis in locis voculam hanc perperam esse additam, contraque in aliis perperam omissam. Prout cujusque loci mens postulat, ita emendari solet. Rath. — Certe *non* ante *intell.* abest a MS Petr. Idque Davis. in prima ed. probaverat.—Non opus est notari agi de Aristotelis ἐντελεχείᾳ, de qua vide ad calcem hujus libri. — *Non nominata magis.* Quam æque minus nostra Romanorum lingua adæquato vocabulo nominare ac vim ejus intelligere possumus. Neid. — Hæc Neide, qui *non* ante *intellecta* cum Wolfio delevit.

17. *Integriora*. Ex homogeneis partibus constantia, non alienis mixta. Neid.

18. *Horum ig. al. animus est*, etc. Hoc ita reponitur, quasi consequens ex iis quæ antecessere. Atqui aliter res habet, neque phrasis sententiam explicare nisi absurdam potest. Proinde opinor Ciceronem scripsisse «horum igitur aliquid animus esto, ne, etc.» Explicato quam felix animorum sit futura conditio, si aut aere constent, aut igne, etc. hoc subjungit: Optemus igitur horum aliquid animum esse, ne indigne cum corpore pereat: periret autem, si vel cor esset, vel cerebrum, vel sanguis. Bacher.

19. *Nec tam*. Davis. Schütz. *ne tam*. Davis. notat: Forte «ne tam vegeta res aut in corde, etc.» Prout etiam Clar. Thomas Bentl. reponendum conjecit.

20. *Jaceat*. Edd. vett. *jacet*, quas Neid. sequitur.

XVIII. 1. *Ne condoluisse*. Nullo umquam dolore animi afflictum fuisse: nam qui v. g. defunctum amicum vel parentem luget, ob ejus exitum nullam

videtur, qui animum se habere non sentiat[2]; alter ita delectatur suis cantibus[3], ut eos etiam ad hæc transferre conetur. Harmoniam autem ex intervallis sonorum nosse[4] possumus, quorum varia compositio etiam harmonias efficit plures : membrorum vero situs, et figura corporis, vacans animo[5], quam possit harmoniam efficere, non video : sed hic quidem, quamvis eruditus sit, sicut est, hæc magistro[6] concedat Aristoteli; canere ipse doceat. Bene enim illo proverbio Græcorum præcipitur,

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat [7].

Illam vero funditus ejiciamus individuorum corpo- 42
rum lævium et rotundorum concursionem fortuitam: quam tamen Democritus concalefactam et spirabilem, id est, animalem esse voluit[8].

corporis sensit læsionem; ita ut, si tamen doleat, necesse sit confiteri, aliquid in eo læsum fuisse, quod non corpus sit. —Aliud de hoc loco sensit Pearcius; vid. not. seq.

2. *Qui animum se habere non sentiat.* In hac lectione Cicero non dicit, cur Dicæarchus « non videtur condoluisse » : poterat ille et sensisse « se animum non habere », et tamen condoluisse. Quapropter mihi in mentem venit Ciceronem scripsisse, « quia animum se habere non sentiat », ut hæc sint ratio cur Dicæarchus non videatur *condoluisse*. Sensus est : Dicæarchus ita acerrime disseruit, se animum non habere, ut ne condoluisse quidem quod eum non haberet, videretur. Pearc.

3. *Suis cantibus.* Harmonis. Nein.

4. *Nosse.* Intelligere, explicare possumus. Nain.

5. *Vacans animo.* Animum hic vertere velim *Lebens prinzip*. Nain.

6. *Hæc magistro.* Philosophiam Aristoteli concedat, ipse potius artem musicam tractet et alios doceat. Nain.— Sic Horatius, « quæ medicorum Sunt, tractant medici, tractant fabrilia fabri ».

7. *Quam quisque... exerceat.* Hoc modo Græci, Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. Exstat apud Aristophanem in Vespis vs. 1422, et Suidam in ἔρδοι. Similia Veterum loca congessit Th. Gatakerus V. C. de Stylo N. T. cap. 25. Dav.

8. *Quam tamen Democritus concalefactam et spirabilem, id est, animalem esse voluit.* Sic Davis. nisi quod *vult* pro *voluit* scribit. Vulgo, inquit, *voluit*, contra MSS fidem. Scilicet philosophus illa corpuscula σφαιροειδῆ πῦρ καὶ ψυχὴν λέγει, prout auctor est Aristoteles, de Anima, lib. I, cap. 2. Portenti vero simile videri possit, quod Noster hoc in loco « spirabilem, id est, animalem » dicit, quum supra

Is autem animus[9], qui, si est horum[10] quatuor generum, ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammata anima constat, ut potissimum videri video Panætio, superiora capessat necesse est. Nihil enim habent hæc duo genera proni[11], et supera semper petunt. Ita, sive dissipantur, procul a terris id evenit[12]; sive permanent, et conservant habitum suum, hoc etiam magis necesse est ferantur ad cælum, et ab his perrumpatur et dividatur crassus hic et concretus aer, qui est terræ proximus. Calidior est enim, vel potius ardentior animus, quam est hic aer, quem modo dixi crassum atque concretum. Quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra, terreno principiorum genere confecta, ardore animi concalescunt.

43 XIX. Accedit, ut eo facilius animus evadat ex hoc aere, quem sæpe jam appello, eumque perrumpat, quod nihil est animo velocius; nulla est[1] celeritas, quæ possit cum animi celeritate contendere. Qui si

cap. 17, legatur, « sive illi sint animales, id est, spirabiles ». Hinc certe dubitari non potest, quin *animale spirabili* censuerit obscurius. Eodem igitur modo sumendus est hicce locus hic il de quibus egimus lib. III, c. 27. — Schützius et Neid. cum Wolf. vv. (*id est, animalem*) uncis incluserunt. Idque supra vidimus Rathio placere. — *Concalefactam et spirabilem*. Igneis et et aeriis partibus mixtam. Neid.

9. *Is autem animus... sustentantur et aluntur*. Docere jam incipit Cicero, quæ ipsi de natura animi placeant. Neid.

10. *Qui, si est harum quatuor generum, ex quibus omnia*. Lambinus edidit « horum quatuor generum ex aliquo, ex quibus omnia ». Sed eas voces adjici non patiuntur MSS simul ac Nonius in *constat*. Dav. — *Si est horum*. Si natura animi ex uno horum elementorum constat, nihil aliud esse potest quam *inflammata anima*, i. e. igni et aere compositum. Neid. — Neid. addere debuisset : Et si animus ex igne et aere constat, necesse est ut in sublime semper feratur.

11. *Nihil enim habent hæc dua genera proni*. Nec ignis, nec aer deorsum ad terram gravitate sua deprimuntur. Neid.

12. *Ita, sive dissipantur, procul a terris id evenit*. Vulgo, « Ita, sive dissipantur procul a terris, id evenit ». Nos ex ipsa re, simul ac MSS Eliens. tert. et Petr. vitiosam distinctionem sustulimus, quæ cunctas, quas vidimus, editiones maculaverat. Dav.

XIX. 1. *Nulla est celeritas... contendere*. Hæc uncis Neid. includit, sed tum hæc inepta sunt.

permanet incorruptus, suique similis: necesse est ita feratur, ut penetret et dividat omne cælum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur[2]; quod et humidum, et caliginosum est, propter exhalationes terræ. Quam regionem quum superavit animus, naturamque sui similem contigit, et agnovit; junctis[3] ex anima tenui[4], et ex ardore solis temperato, ignibus[5] insistit, et finem altius se efferendi facit. Quum enim sui similem et levitatem, et calorem adeptus est, tamquam paribus examinatus ponderibus[6], nullam in partem movetur; eaque ei demum naturalis est sedes, quum ad sui similem penetravit, in quo nulla re egens aletur, et sustentabitur[7] iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur.

2. *Nubes, imbres, ventique coguntur.* Oriuntur, efficiuntur. Cogi enim dicuntur, quæ in unum congregantur, ex dissipatis partibus. Simili modo dicit Lucretius, lib. VI, vers. 734: «ad altos denique montes Contrusæ nubes coguntur vique premuntur». Neid.

3. *Junctis... facit. Quum enim... adeptus est.* Davis. scribit *tum enim... adeptus*, notatque: Vulgo, «junctus... facit. Quum enim adeptus est». At Reg. ultimam vocem nescit, idemque codex *junctis* dat a prima manu. Nos igitur emendationem Cl. Bentleii merito recepimus. Vide Hieroclem in Aur. Carm. LIV, p. 186 seq. Dav. — Sch. et Neid. Davisium sequuntur.

4. *Ex anima tenui.* Quæ nobis vocatur æther. Neid.

5. *Ignibus. Ignes* hic idem ac *stellæ* significare videntur, quamvis non meminerim hanc significationem in oratione prosa sæpissime obviam esse. Ceterum conf. ad h. l. Cic. Nat. Deor. II, 46. Neid.

6. *Tamquam paribus examinatus ponderibus.* Tamquam ad æquilibrium redactus, materia, quæ ejusdem est gravitatis specificæ, circumfusus. Neid.

7. *Sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur.* Veteres stellas animatas esse terreisque et aqueis vaporibus ali censuere. Cic. Nat. Deor. lib. II, cap. 46: «Sunt autem stellæ natura flammeæ: quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur iis qui a sole ex agris tepefactis et ex aquis excitantur; quibus altæ renovatæque stellæ atque omnis æther refundunt eadem et rursus trahunt indidem, nihil ut fere intereat, aut admodum paullulum, quod astrorum ignis et ætheris flamma consumat». Servius ad Æn. I, 612: «Physici pasci aquis marinis sidera, id est, ignes cælestes dicunt». Vide et Lucianum in Icaromen. tom. II, pag. 190, 191. Plura Veterum loca suppeditabunt Lipsius Phys. Stoic. II, 14, et Menagius ad Laertii VII, 145. Dav.

44 Quumque corporis[8] facibus inflammari soleamus
ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod
iis æmulemur, qui ea habeant, quæ nos habere cu-
piamus : profecto beati erimus[9], quum, corporibus
relictis, et cupiditatum, et æmulationum erimus ex-
pertes; quodque nunc facimus, quum laxati curis
sumus, ut spectare aliquid velimus, et visere, id
multo tum faciemus liberius, totosque nos in con-
templandis rebus perspiciendisque ponemus, propter-
ea quod et natura inest mentibus[10] nostris insatia-
bilis quædam cupiditas veri videndi[11], et oræ[12] ipsæ
locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem
nobis cognitionem rerum cælestium, eo majorem co-
45 gnoscendi cupiditatem dabunt. Hæc enim pulchritudo
etiam in terris patriam[13] illam et avitam (ut ait Theo-
phrastus) philosophiam, cognitionis cupiditate[14] in-

8. *Quumque corporis...quale quidque sit.* Quæ de statu animorum post discessum ab hac terra ex antecedentibus colligi possunt. Futura conditio nostra erit beatior, quia tunc cupiditatum, quæ e corpore oriuntur, expertes erimus, cognoscendi ac vera videndi cupido major erit, altiusque, sensibus acutioribus instructi, indagabimus virtutem. Neid.

9. *Profecto beati erimus.* Sch. cum Wolfio, « profectu tunc erimus beati »; idemque Neid. edidit.

10. *Inest mentibus.* Davis. « inest in mentibus ». Sic, inquit, Lambini vetus codex, nostrique MSS : in vulgatis enim deest præpositio.

11. *Cupiditas veri videndi.* Clariss. Wolfius dedit « cupiditas veri visendi », an de suo, nescio ; hoc scio, quod Cicero *videndi* scripserit. Offic. I, 4 : « Huic veri videndi cupiditati adjuncta est appetitio quædam principatus ». De Fin. II, 14 : « Natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi », et sic Noster ubique. Rath.—Neid. *visendi* edidit.

12. *Oræ.* Regiones. Neid.

13. *Patriam illam et avitam.* Sic omnes MSS. *Patritam* tamen legit Nonius, quem sequuti sunt P. Manutius, D. Lambinus, ceterique recentiores. Mihi sane tanti non est Marcellus, ut ejus libros cunctis Ciceronis exemplaribus præferam, quum pravas et vitiosas passim det lectiones. Accedit, quod Tullius « patria bona, patrias fortunas », et reliqua generis ejusdem, singulis fere paginis adhibeat, voce vero *patrita* nullus utatur. Quin et Act. prima in Verrem, cap. 5, « rem patriam et avitam », ut hic « patriam et avitam philosophiam » dixit.—Neid. tamen *patritam* retinuit.

14. *Cognitionis cupiditate incensam.* Assequi non possum. Melius for-

censam, excitavit. Præcipue vero fruentur ea, qui tum etiam, quum, has terras incolentes, circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant.

XX. Etenim si nunc aliquid assequi[1] se putant, qui ostium Ponti viderunt[2], et eas angustias[3], per quas penetravit ea, quæ est nominata Argo[4], quia

san *incensa*. Naud. — Sic *incensa* esset, ablativo casu; sed nobis *incensam* ferri posse videtur. Isque sensus est loci: Si pulchritudo rerum cælestium, quas in terris nos tam e longinquo videmus, tamen veteres philosophos tanta cognitionis cupiditate incendit, ut philosophiam (quæ primum erat rebus fere physicis intenta) invenirent et crearent, quanto magis tum scientiæ cupiditate incendemur, et cognitione rerum fruemur, quum regionem his rebus cælestibus proximam incolemus?

XX. 1. *Aliquid assequi*. Uberiorem cognitionem nimirum terrarum. Naud. — Vid. not. seq.

2. *Etenim si nunc aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti viderunt... aut ii, qui Oceani freta illa viderunt.* Attende, obsecro, ad seriem orationis: et videbis, admisso illo *viderunt*, necessario requiri, ut dixerit, « aliquid assequutos se putant »; alioqui temporum ratio non sibi constabit. Sed tamen alia via tentanda curatio est. Lege enim: « Etenim si nunc aliquid assequi se putant, qui ostium Ponti viderint... aut ii qui Oceani freta illa viderint ». Res ipsa per se manifesta est. Bentl. — Davisius in ed. sec. et ter. ex conjectura Bentleii *viderint* bis edidit. At ed. pr. et omnino omnes ante Davisium habent « qui viderunt... viderunt ». Bentleius loci difficultatem in *temporum ratione* quærit. Ego autem, si qua est, in notione τοῦ *assequi* positam puto. Quid est enim, quod, qui Pontum viderint, nunc adsequi se putent? *Aliquid magni*, ait Aldus Nepos, vel is, quem exscripsit, iste enim homo non fere suus est: « aliquid voluptatis », Olivetus et nescio quid aliud alii. Equidem arbitror, Ciceronem dicere, eos, qui ostium Ponti aliquando viderint, et jam redierint, putare, « satis longinquas se terras animo intueri posse », id est enim *adsequi*. Quod ut verum sit, faciunt, quæ proxime sequuntur. Unde antiqua lectio retinenda est. Rath. — *Ponti*. Ponti Euxini ad quem Colchis sita erat, unde Jason navi Argo vectus petebat aureum vellus. Naud.

3. *Angustias*. Per freta, sc. Hellespontum et Bosporum Thracium, ut Veteres appellabant. Naud.

4. *Argo... arietis*. Ennii sunt versus ex Euripidis Medea, vers. 4, translati: Μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας Ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρας Πελίᾳ μετῆλθον. Sed Cicero vel data opera vel vacillante memoria nonnihil eos videtur immutasse; scriptor enim ad Herennium, lib. II, cap. 22, et Priscianus de Metr. Com. col. 1325, ita laudat: « Argo, qua vecti Argivi, delecti viri, Petebant illam pellem inauratam arietis »; ubi pronomen ἐμφατικῶς est accipiendum, ut frustra sint, quibus placuit, « petebant villo pellem inaurato arietis ». Inter eos numerandi sunt D. Lambinus et Hieron. Columna ad Ennii Fragm. pag. 200. Dav.

. . . . Argivi in ea, delecti viri,
Vecti, petebant pellem inauratam arietis;

aut ii, qui Oceani freta[5] illa viderunt,

Europam, Libyamque rapax ubi dividit unda[6];

quod tandem spectaculum fore putamus, quum totam terram contueri licebit, ejusque quum situm, formam, circumscriptionem, tum et habitabiles regiones, et rursum omni cultu, propter vim frigoris 46 aut caloris, vacantes? Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus[7] ea, quæ videmus; neque enim est ullus sensus in corpore: sed, ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt[8], viæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatæ. Itaque sæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis, et auribus, nec videmus, nec audimus[9]: ut facile intelligi possit, animum[10]

5. *Oceani freta.* Fretum Herculeum inter Hispaniam et Africam. Concludit a minori ad majus. Mirantur homines, quæ nova atque non audita, peregrinantes in remotas terras, cognoverunt; quanto magis mirabuntur, quum in altiores regiones sublati totum terrarum orbem uno quasi intuitu ipsis conspicere licuerit? Nain.

6. *Europam... unda.* Hunc versum profert etiam Noster, lib. III, N. D. cap. 10, et intelligitur fretum Herculeum, sive Gaditanum. Davis.

7. *Oculis cernimus.* Scilicet oculis corporis. Proprie enim oculi corporis non vident, sed sunt tantummodo quasi instrumenta videndi. Animus est, qui videt. Νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει, inquit Epicharmus. N.

8. *Aperta et patefacta viderunt.* Qui anatomice corpus humanum perscrutati sunt. Nain.

9. *Nec audimus.* Plinius in hanc sententiam sic scribit in lib. II Nat. Histor. « animo videmus; animo cernimus; oculi, seu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt atque transmittunt: sic magna cogitatio obcæcat abducto intus visu: sic in morbo comitiali aperti nihil cernunt animo caligante ».

10. *Animum et videre et audire.* Theodoretus Therap. I, p. 15: Κατὰ γὰρ δὴ τὸν Ἐπίχαρμον, τὸν Πυθαγόρειον λέγω, Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει· τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά: ut frustra sit Ursinus, hunc Menandro versum tribuens. Idem patet ex Tzetze, Chil. V, 52, XII, 440, et ad Lycophronis vers. 17, ut eos præteream, quos laudarunt Intt. ad Clementis Alexandrini Strom. II, p. 442; Conr. Rittershusius ad Porphyrii vit. Pyth. n. 46, aliique ne plures colligamus. Davis.

et videre, et audire, non eas[11] partes, quæ quasi fenestræ[12] sunt animi; quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat[13], et adsit. Quid, quod eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quæ numquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium[14] judex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, quum, quo natura fert, liber
animus pervenerit. Nam nunc quidem, quamquam 47
foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est[15], tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersepta quodam modo. Quum autem nihil erit præter animum: nulla res objecta impediet, quo minus percipiat, quale quidque sit.

XXI. Quamvis copiose hæc diceremus[1], si res po-

11. *Non eas... animi.* Laudat Nonius in *Fenestræ*. Dav.

12. *Quasi fenestræ.* Mens videt, mens audit, ut philosophi asserunt, quæ per oculos et aures, quasi per fenestras, transmittit vim videndi et audiendi: hinc ait Lactantius in libro de Opificio: « Verius et manifestius est mentem esse, quæ per oculos transpiciat, quasi per fenestras, lucente vitro aut speculari lapide obductas ». Plin. oppido quam decenter fingit, usurpat, sive novat verbum *fenestrare*, quasi per fenestras aperire; sic enim inquit: « media oculorum carnea fenestravit pupilla ». Hieronymus, scribens contra Jovinianum, « per quinque sensus, inquit, quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad animam introitus est. Hinc illud propheticum: *mors intravit per fenestras vestras* ». Beroald.

13. *Nisi id agat.* Nisi attentus sit ad eam rem. Locutio deprompta e sacrificiis, ubi, qui sacris præerat, victimario roganti: Agon'? (i. e. feriam victimam?) respondebat: Hoc age. Hinc factum, ut formula esset attentionem et aliis in rebus rogantium. Naid.

14. *Et is omnium.* Wolf. quem Schütz. at Naid. sequuntur, *ut idem omnium.*

15. *Nam nunc quidem... fabricata est.* Hæc habet Nonius in *Foramina*. Sed apud eum nonnihil depravantur. Davis.

XXI. 1. *Quamvis copiose hæc diceremus, si res*, etc. Menti Ciceronis aptior videtur alia loci interpunctio, « Quamvis copiose hæc, diceremus, si res, etc. » Quasi dixisset Noster, Quamvis hæc copiose diximus, tamen diceremus, etc. Pearc.— Nobis videtur Pearcius non sensisse vim v. *quam-*

stularet, quam multa, quam varia, quanta spectacula
48 animus in locis cælestibus esset habiturus. Quæ quidem cogitans, soleo sæpe mirari nonnullorum insolentiam philosophorum, qui naturæ cognitionem admirantur, ejusque inventori[2] et principi gratias exsultantes agunt, eumque venerantur, ut deum : liberatos enim se per eum dicunt gravissimis dominis, terrore[3] sempiterno, et diurno, ac nocturno metu.

vis. Non separari debet a præcedd. *quale quidque sit.* Addit auctor, « et certe quam multa, quam varia spectacula animus esset habiturus, copiose dici posset; sed, quamvis copiose hæc dici possent, ea omittenda sunt, quum res et locus non postulent ». Sic nobis hæc sententia melius adjungi debere præcedenti capiti videtur; ita ut seqq. « quæ quidem cogitans », non solum ad hæc mirabilia spectacula, sed ad totam hanc de animorum immortalitate disputationem referri debeatur. — *Quamvis copiose... persuasisse videatur.* Invehitur in philosophos illos (Epicureos puta), qui gloriantur se per studium naturæ liberatos esse ab omni superstitione et præceptis opinionibus, de statu futuro, seque ultra plebem sapere putant. Liberati quidem estis, inquit, a præjudiciis et superstitione, de Acheronte, fluvio Lethe, Cerbero, etc. (cf. Lucr. III, 25): sed hic non opus erat tanta philosophia, vel indoctissimi hæc falsa esse putant. Philosophia vestra plus vobis obfuit quam profuit, eo enim vos adduxit, ut omnem de immortalitate animi doctrinam abjiceretis, et quid est, quod in hoc gloriemini? Neid. — Idem Neid. *quamvis* interp. *quantumvis*, quod nobis minus verum videtur.

2. *Ejusque inventori et principi gratias exsultantes agunt.* Ridet Epicureos, qui maxima quæque de suo duce prædicabant. Præcipue vero respicere videtur ad Lucretii lib. V, 8, ubi sic ille de Epicuro: « Deus ille fuit, deus, inclute Memmi, Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ Nunc appellatur sapientia; quique per artem Fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris In tam tranquilla, et tam clara luce locavit ». Adi sis et vss. 18, 51. Nam quod recte notavit Tan. Faber, falsus est Lactantius, qui Div. Instit. lib. III. cap. 14, de Pythagora vel Thale hæc esse dicta pronuntiat. Non dissimilia sunt quæ jactat poeta, quum alibi sæpe, tum lib. VI initio. Hinc σεβάσεις et ἐπιθειάσεις, quibus magistrum suum καθυμνοῦσιν Epicurei, memorat Plutarchus adv. Colot. p. 117. Adi sis et lib. I de N. D. c. 16. Quin et Epicurus ipse statuit οὐκ εἶναι ἄνευ φυσιολογίας ἀκεραίας τὰς ἡδονὰς ἀπολαμβάνειν. Vide Laertium lib. X, § 143, et Plutarchum tom. II, p. 1092. Davis.

3. *Terrore.* Bentleius, quia præcedit « gravissimis dominis » plurali numero, et quia « metus et terror » unus et idem dominus sunt, corrigit *errore.* Hinc, inquit, illa Ciceronis, quæ mox sequuntur : « Non pudet philosophum in eo gloriari, quod hæc non timeat, et quod falsa esse cognoverit ? » Ubi *timeat* ad metum retulit, *falsa* ad errorem. Noti sunt Lucretii versus, quos ter quaterque inculcat, « Hunc

Quo terrore? quo metu? quæ est anus tam delira, quæ timeat ista, quæ vos videlicet, si physica non didicissetis, timeretis,

> Acherusia templa, alta Orci, pallida
> Leti, obnubila, obsita tenebris loca [4]?

Non pudet philosophum in eo gloriari [5], quod hæc non timeat, et quod falsa esse cognoverit? ex quo in-

igitur terrorem animi tenebrasque necesse est, Non radii solis, neque lucida tela diei Discutiant, sed naturæ species ratioque ». *Terrorem et tenebras* hic vocavit Lucretius, quæ Cicero « metum et errorem ». BENTL. — Neid. Bentleium sequutus est, eique J. V. L. assentitur, addens auctoritatem unius MS Reg.

4. *Acherusia... loca.* Olim legebatur *Acherontia*. Davisius omisit v. *obsita*, qui notat : Si, quod eruditis credibile videtur, hi versus sunt ex Ennii Andromacha desumpti, quorum priorem laudavit Varro de L. L. lib. VI, p. 47 : « Acherusia templa alta Orci salvete infera »; poetam reliquisse crediderim, « Acherusia templa, alta Orci salvete infera, Pallida, Lethæa, nubila tenebris loca ». Nunc singula videamus, quo melius emendationis nostræ ratio constet. Et *Acherusia* quidem legimus, Varronis et MSStorum Vatic. et Eliens. sec. fida nixi, eamque formam quum Lucretius adhibet, tum alii. Verum, inquies, unde factum, ut binæ voces in omnibus Ciceronis exemplaribus omittantur? Non id arbitror librariorum vitio contigisse, sed ipse Tullius eas, utpote quæ nihil ad rem suam facerent, sciens ac volens prætermisit. Igitur apud eum sic distingue : « Acherusia templa, alta Orci... Pallida, Lethæa, nubila tenebris loca ». *Lethæa* vero legerim G. I. Vossium sequutus, et hanc sane conjecturam tantum non ratam facit Eliens. sec. qui *Lethes* repræsentat. *Nubila*, non *obnubila*, dant Gebhardiani nostrique codices (nisi quod Reg. *onubila*), iidemque *obsita* nesciunt. DAV. — Victorius et Gebhardus tuiti sunt v. *obsita*. Vatican. habet « leto nubila tenebris loco », teste Gebhard. Schützius cum Wolfio locum sic constituit : « Acherusia templa, alta Orci... pallida leti Obnubila tenebris loca ».

5. *In eo gloriari.* Et certe pulcherrimis versibus Lucretius Epicuri laudem celebrat lib. I, p. 15 : « Humana ante oculos fœde quum vita jaceret In terris, oppressa gravi sub relligione, Quæ caput a cæli regionibus ostendebat, Horribili super adspectu mortalibus instans; Primum Graius homo mortales tollere contra Est oculos ausus primusque obsistere contra : Quem nec fama deum, nec fulmina, nec minitanti Murmure compressit cælum; sed eo magis acrem Virtutem irritat animi, confringere ut arcta Naturæ primus portarum claustra cupiret », et quæ sequuntur hanc in rem plura. Sic iterum lib. III, p. 406 : Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ, Qui genus humanum ingenio superavit, et omnes Restinxit stellas, exortus uti ætherius sol ». Vide porro lib. III, p. 189, lib. VI, pag. 734, ac Lactantium, Divin. Inst. lib. III, cap. 17. DAV.

telligi potest, quam acuti[6] natura sint, qui hæc[7] sine
49 doctrina credituri fuerint. Præclarum autem nescio quid adepti sunt, quod didicerunt, se, quum tempus mortis venisset, totos esse perituros. Quod ut ita sit[8] (nihil enim pugno), quid habet ista res aut lætabile, aut gloriosum?

Nec tamen mihi sane quidquam occurrit, cur non Pythagoræ sit et Platonis vera sententia. Ut enim rationem Plato nullam afferret (vide, quid homini tribuam), ipsa auctoritate me frangeret[9]. Tot autem rationes attulit, ut velle ceteris[10], sibi certe persuasisse videatur.

50 XXII. Sed plurimi contra nituntur[1], animosque, quasi capite damnatos, morte multant[2]: neque aliud est quidquam, cur incredibilis his animorum videatur æternitas, nisi quod nequeunt, qualis animus sit vacans corpore, intelligere, et cogitatione comprehendere. Quasi vero intelligant, qualis sit in ipso corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus: ut[3],

6. *Quam acuti.* Cum ironia. Ergone, dicit Cicero, opus erat philosophia, ne crederetis ea, quæ vel indoctissimus quisque, sensus communis ope, tamquam falsa rejicit. NEID.

7. *Qui hæc.* Davis. e cod. Reg. *quoniam hæc.*

8. *Quod ut ita sit.* V. *ita* in prima ed. Davis. deleverat auct. MSS Norv. et Petrens. — Int. fac verum esse.

9. *Me frangeret.* Me convinceret, a mea sententia abduceret, et in suam adduceret. ERN.

10. *Ut velle ceteris.* Plenius fuisset: ut persuadere velle cæteris, sibi certe persuasisse videretur. NEID.

XXII. 1. *Sed plurimi contra nituntur... animum esse dixerunt.* Multi philosophi inveniuntur, qui negent animorum immortalitatem hanc solam ob causam, quia nequeunt intelligere et cogitatione comprehendere qualis sit animus sine corpore et qua ratione sine corpore esse possit? His respondet Cicero: Quasi intelligere possint, qualis sit animus in corpore, qua ratione in corpore esse possit? NEID.

2. *Morte multant.* Eos mortales esse volunt. NEID.

3. *Ut, si jam possent... casurusne in conspectum videatur animus; an tanta sit... ut fugiat aciem.* Ne possit istud *ut* ferri, facit vocula interrogativa *ne* et *an* in posteriore parte sententiæ. Lambinus pro *ut* legit *aut*: quod sequendum videtur, nisi malit lector reponere, « at, si jam possent, etc. » Utraque lectio cum sequentibus

si jam possent in homine vivo[4] cerni omnia, quæ nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus; an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem. Hæc reputent isti, qui negant, animum sine cor- 51
pore se intelligere posse. Videbunt, quem in ipso corpore intelligant. Mihi quidem naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tamquam alienæ domi[5], quam qualis, quum exierit, et in liberum cælum, quasi domum suam venerit. Nisi[6] enim,

verbis bene conveniet. PEARC. — Locum sic restituo : « Qui locus. Haud scio, si jam possint... cerni omnia... casurusne in conspectum videatur animus ». Est vero, ut mihi videtur, istud *scio* propter *si*, quod proxime sequitur, a librariis neglectum. *Possint* autem ut scribatur, latinitas flagitat. RATH. — Neid. dedit *aut* pro *ut*.

4. *In homine vivo.* Hanc emendationem, eleganter prorsus et necessariam, sagacissimo Bentleio debemus. Vulgo *uno*. DAV. — Davisium Wolf. Schütz. Neid. sequuntur; Olivetus dicit se non ausum esse sequi renitentibus ceteris editionibus.

5. *Alienæ domi.* In prima ed. Davisius dederat *domui*, notaveratque : Nonnullæ edd. *domi*, ut scilicet latinitati consulatur; quamque ut tueri posset Aldus Manut. subaudit *insidens*. Sed hoc durum est. Lego « tamquam alienæ domuis ». Nonius, cap. 8, p. 760, *domuis* pro *domus*. Varro ταφῇ Μενίππου : « Perrexit in interiores partes domuis ». A. Gellius, N. A. IV, cap. 16 : « M. Varronem et P. Nigidium, viros romani generis disertissimos, comperimus non aliter loquutos esse et scripsisse, quam senatuis, et domuis, et fluctuis; qui est patrius casus ab eo quod est senatus, domus et fluctus ». Vides homines doctissimos Ciceroni coævos ita dixisse; ac proinde nullus dubito, quin lib. III Offic. cap. 2, legendum sit « esse domuis suæ cum uxore », ubi vulgg. « esse domi suæ », codices autem « esse domui suæ », ut testatur Car. Langius et D. Lambinus, nemo enim patrio casu *domui* vocem usurpavit. DAV. — Edit. pr. *domui*, i. e. *domuis* (vid. A. Gell. IV, 16), seu *domui'*. Literam enim *s* modo eliserunt Veteres, modo non. Hinc *Piso frugi'*, hinc *tribunus plebi'*, hinc *Ulyxi'*, *Herculi'*, etc. hinc *qui'*, *aliqui'* et infinita alia : late enim patet hæc observatio. RATH.

6. *Nisi enim... int. non possumus... complecti non possumus.* Oliv. scribit *si enim*. Buherius post intelligere *non* tollit, Davisius post *complecti*, qui notat : Vulgo, « cogitatione complecti non possumus »; quæ quidem lectio menti Ciceronis prorsus est contraria : si enim, quod numquam vidimus intelligere possumus; qui fit, ut animum corpore liberatum cogitatione complecti non possimus? Immo, concessa hypothesi, nihil impedit, quo minus animum sine corpore possimus mente comprehendere. Nos igitur particulam negantem exturbavimus, eamque prætermittunt Reg. Med. Elleus. pr. tert.

quod numquam vidimus, id quale sit, intelligere non possumus, certe et deum ipsum, et divinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti non possumus. Dicæarchus quidem et Aristoxenus, quia difficilis erat animi, quid, aut qualis esset[7], intelligentia,
52 nullum omnino animum esse dixerunt. Est illud quidem[8] vel maximum, animo ipso animum videre : et nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis[9], quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus. Neque nos corpora sumus[10] : neque ego, tibi dicens hoc[11], corpori tuo dico. Quum igitur, « Nosce te, » dicit, hoc dicit, « Nosce animum tuum[12] ».

Bak. Cantab. et Petr. a prima manu. — Davisium Schützius sequitur, et Neid. qui hanc lect. sic intpr. Cicero hoc fere modo argumentari videtur : Ego animum cum corpore conjunctum difficilius cogitare possum, quam eumdem a corpore liberatum; nisi furte dicat quis, nos, quæ in sensus non incurrunt, etiam cogitatione complecti non posse. Jam vero deum, qui, liberatus corpore, numquam sub sensus cadit, cogitatione complecti possumus, quod secus foret, si prius sensibus opus esset ad rem aliquam cogitandam.

7. *Quid aut qualis esset.* Forte « quid aut quale esset ». Dav.

8. *Est illud quidem.* Sane difficilis res est, ipso animo animum videre et cognoscere velle. Nern.

9. *Præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat.* Hoc ἀπόφθεγμα Thaleti, Soloni, Chiloni, aliisque multis adscriptum fuisse docebunt Erasmus Adag. pag. 306, ed. Hanov. et Menagius ad Laertii I, 40. Iis, quæ laudarunt viri illi doctissimi, plurima possent adjici; sed id nunc non agimus. Monebo dumtaxat Apollini tribuisse non modo Platonem Nostrumque lib. I de Legg. cap. 22, 23, ac Fin. V, 16; sed etiam Plutarchum tom. II, p. 49, 116; Philostratum vit. Apoll. VII, 14; Julianum Orat. VI, p. 183, 188; scriptorem vit. Pythag. ap. Photium, cod. CCXLIX, denique plures apud Stobæum Serm. XXI. Dav.

10. *Neque nos corpora sumus.* Quum dicimus *nos*, loquimur non de corpore, sed animo. Nern.

11. *Neque ego, tibi dicens hoc.* Davis. scribit « nec ego tibi hæc dicens », notatque : Pronomen *tibi* nesciunt Victor. Balliol. et Baker. In aliis est : « tibi dicens hoc ». Nos autem Reg. Eliens. pr. sec. tert. et Petrens. nostræ lectionis auctores habemus. Dav. — Davisium Schütz. sequitur et Neid. nisi quod servant *neque*.

12. *Quum igitur, Nosce te, dicit, hoc dicit, Nosce animum tuum.* Ex Platonis Alcib. I, pag. 36, ψυχὴν, inquit, ἄρα ἡμᾶς κελεύει γνωρίσαι ὁ ἐπιτάττων γνῶναι ἑαυτόν. Vide Stobæum Serm. XXI. Et animam quidem ipsum esse hominem dictitant auctores. Æschines

Nam corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic, ut tributum deo sit [13].

Sed si, qualis [14] sit animus, ipse animus nesciat, 53
dic, quæso, ne esse quidem se sciet? ne moveri quidem se? ex quo illa ratio [15] nata est Platonis, quæ a Socrate est in Phædro [16] explicata, a me autem posita est in sexto libro de Republica [17].

XXIII. « Quod semper movetur, æternum est [1].

Axiocho, cap. 5 : Ἡμεῖς μὲν γάρ ἐσμεν ψυχὴ, ζῶον ἀθάνατον ἐν θνητῷ κατειργμένον φρουρίῳ, etc. quæ profert etiam Stobæus Serm. CXX, pag. 612. Arnobius lib. II, pag. 51 : « Audetis ridere nos, quod animarum nostrarum provideamus saluti, id est, ipsi nobis? Quid enim sumus homines, nisi animæ corporibus clausæ? » Vide et p. 76. Philonem de Prof. pag. 360, B; Nonnum ad Gregorii Naz. Stelit. I, Hist. 14, eaque, quæ congessit Joan. Schefferus in Æliani Var. Hist. I, 16. Dav.

13. *Ut tributum deo sit.* Vulgo olim addebatur « hoc est, se ipsum cognoscere », quas voces Davis. uncis inclusit. Has, inquit, glossematis merito damnarunt P. Manutius et D. Lambinus; licet enim refragetur Janus Gebhardus, naso tamen careat necesse est qui glossam non olfacit. Simili fere ratione Plutarchus in Demosth. tom. I, pag. 847 : Ἀλλὰ γὰρ ἴσως, inquit, εἰ παντὸς ἦν τὸ Γνῶθι σεαυτὸν ἔχειν πρόχειρον, οὐκ ἂν ἐδόκει πρόσταγμα θεῖον εἶναι. Vide sis et Platonem in Alcib. primo, pag. 35. — Schütz. Wolf. Neid. omnino hoc glossema delevere.

14. *Sed si, qualis.* At, si omnes qualitates animi explicare non possumus, liquet tamen eum et esse et moveri per se et inde æternum esse. Probatur hoc loco aliquo ex Platonis Phædro. Neid.

15. *Ex quo illa ratio.* Plato æternitatem animi demonstrat inde, quod animus exsistat et moveatur. Neid.

16. *In Phædro explicata.* MS Petr. et ed. Ven. A. D. 1491 : « in Phædrone explicata ». Librarii voluerunt *Phædone;* sed perperam : hæc enim e Platonis Phædro, p. 344, ed. Lugd. sunt conversa. — Quintilianus, V, 14 : « Anima immortalis est : nam quidquid ex seipso movetur, immortale est : anima autem ex seipso movetur, etc. » Hanc in rem nonnulla dabit Athanasius contra Gentes, § XXXIII. Davis.

17. *Sexto libro de Republica.* Restat nobis ex his libris locus ille integer, qui inscribitur *Somnium Scipionis*, in quo leguntur hæc eadem verba. N.

XXIII. 1. *Quod semper movetur æternum est.* Huc respicit Servius ad Virgilii Æn. VI, 727 : « Ut Cicero dicit in Tusculanis, æternum est, quidquid in æterno motu est ». Memoriæ vitio sensum potius, quam verba laudavit, id quod optimis auctoribus non raro contigit. Sic Lactantius Divin. Inst. lib. VII, cap. 11 : « Nihil enim

Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem [2] habeat necesse est. Solum igitur quod se ipsum movet, quia numquam deseritur a se[3], numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris, quæ mo-
54 ventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principii autem nulla est origo[4]. Nam e principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium exstinctum nec ipsum ab alio[5] renascetur, nec a se aliud creabit[6], siquidem necesse est a prin-

Tollius ait esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuria hominum vel ipsa confectrice rerum omnium vetustate ». At verba Ciceronis ita se habent orat. pro M. Marcello cap. 4: « Nihil est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas ». Eodem modo Patres S. Scripturam passim in testimonium vocant, ut multia exemplis ostendit Jo. Croius Observ. ad N. T. cap. 18 seqq. Totam vero ῥῆσιν videre licet apud Macrobium in Somn. Scip. lib. II, cap. 13. Dav. — *Quod semper movetur*. Vide Mureti Var. Lect. VIII, 3, ubi collatio loci hujus e Phædro Platonis cum ejusdem loci interpretatione Ciceroniana. Et Somn. Scipionis, cap. 8. Oliv.

2. *Vivendi fidem habeat necesse est*. Volgo vocula prætermissa dant, « vivendi habeat necesse est ». Lectioem quam e MSS Reg. Med. Eliens. pr. sec. tert. Bak. et Petrens. recepimus, confirmant ipsa Platonis verba: ΠΑΥΛΑΝ, inquit, ἔχον κινήσεως, ΠΑΥΛΑΝ ἔχει ζωῆς. Quin et ita legitur apud Macrobium. Dav. — Alii olim « vivendi quoque finem hab. n. est ».

3. *Quia numquam deseritur a se*. Lambino placet *desinitur*. Quid autem fuerit in causa, cur vulgatam lectionem loco movendam censuerit, equidem comminisci non possum. Eam certe servant Macrobius, et omnia Ciceronis exemplaria; eamque postulant verba Platonis, ἅτε οὐκ ΑΠΟΛΕΙΠΟΝ ἑαυτὸ, quæ Lactantius ita reddit, « quia deseri a semet ipso non potest ». Vide lib. VII Div. Inst. cap. 8. Pari modo Noster animum negat « finem motus habiturum, quia numquam se ipse sit relicturus ». De Senect. cap. 21. Dav.

4. *Principii a. n. est origo*. Prima causa, qua talis, non rursus effectus prioris causæ esse potest, quod esset contradictorium. Nein.

5. *Ab alio renascetur*. Macrobius in S. S. lib. II, cap. 13, « ab alia renascetur ». Tam ibi, quam apud Ciceronem legendum videtur, « ab alia re nascetur », quæ optime Græcis congruunt, αὐτή ποτε ἔκ του... γενήσεται. Dav. in prima ed.

6. *Nec a se aliud creabit*. Sic Macrobius. Item Plato Οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκεί-

cipio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur. Id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne cælum, omnisque natura[7] consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua primo impulsa moveatur[8]. Quum pateat[9] igitur, æternum id esse, quod se ipsum moveat; quis est, qui hanc naturam[10] animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal[11], id motu cietur interiore, et suo. Nam hæc est propria natura animi atque vis. Quæ si est una ex omnibus, quæ se

νης ΓΕΝΗΣΕΤΑΙ. Non erat igitur cur Lambinus rescribendum conjiceret *recreabit*, nullis libris addicentibus. D.

7. *Vel concidat omne cælum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua primo impulsa moveatur.* Ita vulgo. Græca vero sic se habent: Ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ μήποτε αὖθις ἔχειν ΣΤΗΝΑΙ, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. Secundum illud στῆναι delet M. A. Muretus Var. Lect. lib. VIII, cap. 3: at pro eo reponendum videtur ἴσχαι: aliter enim mutila restabit sententia. Ad verbum sic vertes: « Vel omne cælum omnemque terram in unum locum concidentia stare, neque rursus habere continget, unde moveantur ». Cicero sane paullo liberius; ita tamen ut a sensu non erraverit; si modo cum Mureto, Lambino, ac Fabricio rescribas « vel concidat omne cælum omnisque terra, et consistat necesse est ». Eo certe ducunt ipsa Platonis verba; nec mihi dubium videtur, quin ita scripserit Tullius. Dav. — Davisium Schütz. et Neid. sequuntur, nisi quod *et* ante *consistat* omittunt.

8. *Qua primo impulsa moveatur.* Sic Vatic. Pall. pr. tert. quintus; nam quart. *impulso*. Fabr. vulgo « qua primo impulsu mov. » Alii ex conj. « qua primo impulsa moveantur ». Gaas. — Neid. scrib. « qua a primo ».

9. *Quum pateat.* Lambinus e græco ἀθανάτου δὴ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, legi vult *pareat*: frustra, ut nobis videtur.

10. *Quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget?* Plato pag. 344. D. Ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτο αὐτό τις λέγων οὐκ αἰσχυνεῖται. Legisse videtur Cicero: ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτο αὐτό τις οὐ λέγων, οὐκ αἰσχυνεῖται. Hoc observasse debuit Muretus Var. Lect. VIII, 3. Ita vero loquitur, quod ab ipsis philosophiæ primordiis animum se perpetuo movere statuerunt. Plutarch. de Plac. lib. IV, cap. 2: Θαλῆς ἀπεφήνατο πρῶτος τὴν ψυχὴν, φύσιν ἀεικίνητον ἢ αὐτοκίνητον. Hæc exhibet etiam Stobæus Eclog. Phys. pag. 93. Id tamen postea negavit Aristoteles, cujus rationes suppeditabit Macrobius in Somn. Scipion. lib. II, cap. 14. Vide Eusebium P. E. lib. XV, cap. 11. Dav.

11. *Quod autem est animal.* In prima ed. Davisius dederat *animale*,

ipsa [12] semper moveat : neque nata certe est, et æterna est. »

55 Licet concurrant [13] plebeii omnes philosophi (sic enim ii, qui a Platone, et Socrate, et ab ea familia dissident, appellandi videntur), non modo nihil umquam tam eleganter [14] explicabunt [15], sed ne hoc quidem ipsum, quam subtiliter conclusum sit, intelligent. Sentit igitur animus se moveri : quod quum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri; nec accidere posse, ut ipse umquam a se deseratur. Ex quo efficitur æternitas : nisi quid habes ad hæc. — AUD. Ego vero facile sum passus [16], ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire : ita isti faveo sententiæ.

56 XXIV. CIC. Quid illa tandem [1]? num leviora censes? quæ declarant, inesse in animis hominum divina quædam : quæ si cernerem, quemadmodum nasci possent, etiam, quemadmodum interirent, viderem. Nam sanguinem, bilem [2], pituitam, ossa, nervos,

nota veratque : Vulgg. *animatum*. Gebhardus ex codd. *animal*, et sic e nostris Petr. nam Cantab. hanc verborum quadrigam prorsus omittit. Macr. in Somn. Scip. lib. II, c. 13 : « Quod autem est anima ». Perperam. MS autem Norvic. lectionem sequimur, quæ Platonis ἐμψύχῳ apte respondet.

12. *Quæ se ipsa*. Quum in prima ed. Davis. *se ipsam* dedisset, jubente Bentleio correxit.

13. *Licet concurrant... faveo sententiæ*. Ea, quæ in loco illo Platonis dicebantur, brevi syllogismo concluduntur. NEIN.

14. *Tam eleganter*. Id est, acute. *Elegans* enim opponitur minus acuto ac subtili, e. g. de Fin. IV, 10; cf. infr. IV, 3. NEIN.

15. *Explicabunt*. Argumentis demonstrabunt. NEIN.

16. *Sum passus*. Davis. edidit *suis passus* e Reg. Med. Balliol. sed eum ceteri non sequuti sunt.

XXIV. 1. *Quid illa tandem?.. e natura est humana mens*. Recenset jam Cicero aliquot animi facultates, memoriam (57-61) inveniendi facultatem (61-65), e quarum effectu ostendit animum esse divinæ originis. — *Quid illa tandem*. Sens. quid tibi videtur, de his quæ nunc afferam? Sunt in homine quædam, quæ, unde nascantur dici nequit, ergo dici quoque non potest quemadmodum interire possint. NEIN.

2. *Nam sanguinem, bilem*, etc. Dionys. Lambino legendum videtur,

venas, omnem denique membrorum et totius corporis figuram videor posse dicere, unde concreta, et quo modo facta sint. Per animum ipsum[3], si nihil esset in eo, nisi id, ut per eum viveremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari, quam vitis, quam arboris : hæc enim etiam dicimus vivere. Item si nihil haberet animus hominis, nisi ut appeteret, aut refugeret[4], id quoque esset ei commune cum be-

« nam sanguis, bilis, pituita, ossa, nervi, venæ, omnis denique membrorum et totius corporis figura ». Illi equidem non adsentior, quum tales constructiones in optimis quibusque scriptoribus inveniri probe norim. Plautus Captiv. Prol. vs. 1 : « Hos quos videtis stare hic captivos duos, Illi qui adstant, hi stant ambo, non sedent ». Idem act. I, sc. 2, 1 : « Istos captivos duos, Here, quos emi de præda, de quæstoribus, his indito catenas singularias ». Nihil apud eum frequentius. Virgilius, Æn. I, 573 : « Urbem quam statuo, vestra est ». Ubi Servius, postquam nonnulla loco explicando parum idonea congessit, ita pergit : « Hoc schema de antiquioribus sumptum possumus accipere : ait enim Cato in legem Voconiam : Agrum quem vir habet, tollitur. Et Terent. Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit ». Vide J. F. Gronov. ad Senecæ Benef. lib. IV, cap. 32. Vide et Rudent. act. IV, sc. 3, 23. Petronius Sat. c. 134 : Hunc adolescentem, « quem vides, malo astro natus est ». Pari modo loquitur Herodotus lib. V, c. 103. Seneca Cons. ad Marciam, cap. 24 : « Hæc, quæ vides, ossa circumvoluta nervis, et obductam cutem, vultumque, et ministras manus, et cetera, quibus involuti sumus, vincula animorum tenebræque sunt ». Xenophon Cyrop. lib. II, p. 39 : ΤΟΥΣ μέντοι ΕΛΛΗΝΑΣ ΤΟΥΣ ἐν τῇ Ἀσίᾳ ΟΙΚΟΥΝΤΑΣ, οὐδὲν σαφὲς λέγεται εἰ ἕπονται. Paulus 1 Cor. X, 16 : Τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν; Hujusmodi multa congessere Γραμματικῶν παῖδες, Dav. — Vide nos ad lib. I de Nat. Deorum, cap. 26.

3. *Per animum ipsum*. Davis. delet *per*, notatque : Veterum codicum lectionem reduxi. Gebhardus edidit « per animum ipsum », quod Hadr. Turneb. Advers. lib. X, cap. 24, jurantis et sancte affirmantis esse falso credit. Joach. Camerarius emendat « præterea animum ipsum ». D. Lambinus, quoniam in libris antiquis non erat præpositio, rescripsit « animo ipso ». Perperam : eadem enim est hic, quæ proxime fuit, ellipsis, idemque valet ac « quod ad animum ipsum attinet ». Multa hanc in rem exempla collegit V. C. Jac. Perizonius ad Sanctii Min. lib. II, cap. 5, pag. 204, et cap. 9, pag. 227. — Wolf. Ernest. Schütz. Neid. Davisium sequuntur. Int. videmus unde corpus concretum sit. Sed animus noster non is est, ut putare possimus nostram vitam vi naturæ ipsius sustentari, sicuti stirpium vitam (quod si esset, ejus origo quærenda non esset), vel ut bestiis communis esse videatur. Nam habet memoriam, inventionem, etc.

4. *Aut refugeret*. Davisius scribit

57 stiis. Habet primum[5] memoriam, et eam infinitam, rerum innumerabilium. Quam quidem Plato recordationem esse vult superioris vitæ. Nam in illo libro, qui inscribitúr Menon[6], pusionem quemdam Socrates interrogat quædam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer : et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo si[7] geometrica didicisset. Ex quo effici vult Socrates, ut discere, nihil aliud sit, nisi recordari.

Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone[8], quem habuit eo ipso die, quo excessit e

fugeret, qui notat : Contra volgatum stant codices, quantum constat, omnes. Cur autem iis « credulitatem suam », prout loquitur, *addicere* non ausus sit Gebhardus, plane nescio. Scio tamen ita passim dixisse tam Ciceronem, quam alios probi commatis auctores. Quintilianus, III, 6 : « Aristoteles in Rhetoricis etiam sic omne opus dividit ; in veritatem, et petenda ac fugienda, quod, etc. » Et paullo post : « De appetendis et fugiendis, quæ est pars deliberativa ». Seneca Epist. 71 : « Quoties quid fugiendum sit aut petendum voles scire ». Idem Epist. 82 : « Quæ sit illa ratio, quæ appetenda ac fugienda discernat ». Vide sis etiam Epp. 89, 92, 94, 104. Pari modo φεύγειν adhibent Græci. Adeatur Arrianus Epict. lib. I, cap. 3, 11, et Enchir. cap. 20, 38. — Wolf. et Schützius Davisium sequuntur, nec aliter Neid.

5. *Habet primum... possit effingere.* Prima animi facultas est memoria. — Duplici sensu hic Cicero memoriam sumpsisse videtur; altero, ut significet illam discendi facultatem, quæque secundum Platonem nonnisi in reminiscendo earum rerum est, quæ jam in vita priori didicimus; altero, ut sit illa animi facultas, qua tenere olim in hac vita percepta ac revocare, quandocumque lubet, possumus. Neid. — Ante *habet* oppositionis causa *sed* subaudiendum est.

6. *Qui inscribitur Menon.* In priscis editt. est *Memnon*. MS Norvic. Μέμνων ἢ περὶ ἀρετῆς. Lege Μένων ἢ περὶ ἀρετῆς. In reliquis codicibus græca propter imperitiam librariorum sunt omissa. Vide Platonem, p. 12, et Diogenem Laertium, lib. III, p. 83. Dav.

7. *Eodem perveniat, quo si geometrica didicisset.* Vulgo *quasi*, quod quum sit importunum, Lambini conjecturam sequor, quam diserte repræsentat Reg. et pro varia lectione dat Eliens. sec. Dav. — Davisium Schütz. et Neid. sequuti sunt.

8. *In eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita.* Platonis Phædonem dicit; is enim sermones, quos emortuali die habuit philosophus, Echecrati refert. Ac de recordatione quidem agitur illius dialogi pag. 382 seqq. eamdemque rem eleganter disputat Maximus Tyrius Diss.

vita. Docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere : nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. Quumque nihil[9] esset, 58
ut omnibus locis a Platone disseritur (nihil enim ille putat esse[10], quod oriatur et intereat, idque solum

XVI. Boetius Cons. Phil. lib. III, Metr. XI : « Hæret profecto semen introrsum veri, Quod excitatur ventilante doctrina. Nam cur rogati, sponte recta censetis, Ni mersus alto viveret fomes corde? Quod si Platonis Musa personat verum, Quod quisque discit, immemor recordatur ». Sed hanc sententiam refellunt Tertullianus de Anim. cap. 24, ac Arnobius contra Gentes lib. II, p. 71, ed. Herald. Quin et « vir sapiens ineptissime poetis credidisse » videtur Lactantio Divin. Inst. lib. VII, cap. 22. Is tamen a Pythagoricis dogma, non a poetis hausit. Vide modo Lucianum βίων πράσει, tom. I, pag. 371, et Hieronymum in Rufin. lib. III, p. 537. Dav.

9. *Quumque nihil esset*, etc. Hoc loco *esse* debet intelligi non sensu populari, sed Platonico et sublimi; aut, si quis mavult, metaphysico : nimirum quo sensu aiebat Plato, id unum posse dici *esse*, quod semper est : quod autem oritur et interit, id vere et proprie non esse. Quod Cicero statim ponit. Non ergo de corpore, multo minus de animo dicitur, quod *nihil esset*; sed de re quavis alia, præter ideas. His enim unice convenit *esse*. Vide Timæum, c. 2. Oliv. — *Quumque nihil esset*. Plato negabat ulli rei mutabili, quales essent in experientia obviæ, exsistentiam tribui posse, et modo ideas, quæ solæ essent immutabiles, exsistere, indeque colligebat, animum corpori inclusum nullam rerum, quæ vere non exsisterent, cognitionem sibi comparare posse, sed antea jam cognita secum in hoc corpus attulisse, et hæc esse ideas quæ insitæ atque innatæ, prioresque omni experientia essent. Nais.

10. *Nihil enim ille putat esse*. Davisius parenthesin incipit ante v. *ut omnibus*, deletque vv. *ille* auctoritate cod. Reg. præterea notat : Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypot. lib. III, c. 5 : Πλάτων γινόμενα μὲν, ὄντα δὲ οὐδέποτε, καλεῖ τὰ σώματα. Ex Platonis mente Diogenes Laertius, lib. III, § 10 : Ταῦτα δ' (αἰσθητὰ) ἐστὶν, ὧν ἀεὶ γένεσις, οὐσία δὲ μηδέποτε πέφυκε· νοητὸν δὲ ἐξ οὗ μηδὲν ἀπογίνεται μηδὲ προσγίνεται. Vide et § 64. Hoc autem clarissime docuit ipse Plato in Timæo, pag. 526 : Τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον; καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν, ὂν δὲ οὐδέποτε; Τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν· τὸ δὲ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου δοξαστὸν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν. Ea laudant Justinus M. Cohort. ad Græc. cap. 22; Eusebius

esse, quod semper tale sit, qualem ideam [11] appellat ille, nos speciem), non potuit animus hæc in corpore inclusus agnoscere: cognita attulit. Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea plane videt animus, quum tam repente in [12] insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit; sed quum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. Ita nihil aliud est discere, nisi recordari.

59 Ego autem majore [13] etiam quodam modo memo-

Præp. Evang. lib. XI, cap. 9; Theodoretus Therap. II, pag. 26; Sextus Empiricus adv. Mathem. VII, 142; et Zacharias Scholasticus de Opif. mundi, p. 501. Adducit etiam Cyrillus in Julianum, lib. I, pag. 23, ubi pro γνώσει μετὰ λόγου lege νοήσει μετὰ λόγου περιληπτόν. In iis vocibus peccatur apud Suidam in Πλάτων, tom. III, p. 125: habet enim νοήσει τοῦ λόγου περιληπτόν. Rescribendum νοήσει ΜΕΤΑ λόγου περιληπτόν. Hoc quum non observasset Kusterus, locum prorsus incommode vertit. Vide sis et Apuleium de Hab. Doct Platon. p. 574. Dav.

11. *Qualem ideam.* Davis. scribit *quale* ἰδέαν. Vulgo, inquit, *qualem*: nos vero Reg. Med. Pal. et Eliens. tertium sequimur. Porro ideæ secundum Platonem sunt æterna quædam et νοητὰ rerum corporearum exemplaria. Vide Ciceronem Acad. I, 8; Tertullianum de Anim. cap. 18; Apuleium de Habit. Doct. Plat. lib. I, pag. 573, et Diogenem Laertium, III, 13, 77. Alcinous cap. 9: Ὁρίζονται δὲ τὴν ἰδέαν, παράδειγμα τῶν κατὰ φύσιν αἰώνιον. Stobæus Eclog. Phys. cap. 15, p. 30: Ἰδέα ἐστὶν οὐσία σώματος (leg. ἀσώματος)... αὐτὴ μὲν ὑφεστῶσα καθ' ἑαυτὴν, ἐνεικονίζουσα δὲ τὰς ἀμόρφους ὕλας καὶ αἰτία γιγνομένη τῆς τούτων διατάξεως (scribendum δείξεως) πατρὸς ἐπέχουσιν (forsan ἐπέχουσα) τοῖς αἰσθητοῖς τάξιν. Adi Plutarchum Plac. Philos. lib. I, cap. 10. Origenes Philos. cap. 19, pag. 110: Τὸ δὲ παράδειγμα τὴν διάνοιαν τοῦ Θεοῦ εἶναι, ὃ καὶ ἰδέαν καλεῖ, οἱονεὶ κονίσματι (leg. ᾧ οἷον εἰκονίσματι) προσέχων ἐν τῇ ψυχῇ ὁ θεὸς τὰ πάντα ἐδημιούργει. Ubi mirandum non est si diversus a Stobæo et aliis quampluribus abeat Origenes, quum ipse Plato ἰδέας ποτὲ μὲν οὐσίας καὶ ὑφεστάναι καθ' ἑαυτὰς διϊσχυρίζεται, ποτὲ δὲ καὶ ἐννοίας εἶναι θεοῦ διορίζεται, ut ait Cyrillus in Julian. lib. II, p. 66. Si plura cupias, adeatur vir doctissimus Joan. Clericus Art. Crit. P. II, S. II, cap. V, 4 seqq. Dav. — Neid. scribit *quale* ἰδέαν.

12. *Quum tam repente in insol.* Sic Lambin. Cantab. Gebh. aliique ante Davis. qui cum Victorio e suis MSS reposuit « quum repente in tam insol. » eumque Schütz. et Neid. sequuntur. — Confer ea quæ Plato in hanc rem disputat in Phædone, p. 171-173, edit. Bipont. Neid.

13. *Ego autem majore.* Ego memoriam non solum admiror, quatenus est τὸ *discere*, sed multo magis, quatenus est facultas, qua tenemus et renovamus olim in experientia percepta. N.

riam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus? aut quam habet vim? aut unde natam[14]? non quæro[15], quanta memoria Simonides[16] fuisse dicatur, quanta Theodectes[17], quanta is, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cineas[18], quanta nuper Charmadas[19], quanta, qui modo fuit, Scepsius[20] Metrodorus,

14. *Aut unde natam?* Dav. qoi servata volg. leg. « aut unde naturam », notavit : Mendum suspicatns P. Manntius reponit, « aut undenam ». Felicior D. Lambini medicioa, qui corrigendom censuit, « aut unde natam »; sic enim dant Eliens. tert. et Petrens. a prima mauu. Quum tamen *vim* et *naturam* passim conjungat Cicero, vetnstissimusque Reg. vulgatam lectionem teneat, ab ea non recedo. Vide sopra cap. 23; de Orat. I, 38; denique Fin. I, 16. — Schützius scripsit « aut unde natam »; Wolfius et Neid. v. *natam* uncis incluserunt.

15. *Non quæro.* Ceterum noo curo illa exempla stupendæ memoriæ; de communi memoria loqoor. Neid.

16. *Quanta memoria Simonides.* Is artem memoriæ primus ostendisse dicitur. Vide Quintilianum Inst. Orat. lib. XI, cap. 2; Plinium H. N. VII, 24; et Ælianum H. A. VI, 10. Dav.

17. *Quanta Theodectes.* D. Lambino placet *Themistocles*, et sic ex MS Fr. Fabricius. At si ullus cxstat ejusmodi codex, a sciolo quodam foit emendatus; nam licet Themistoclis memoriam celebrent plurimi, se recta tamen habet vulgata lectio, quum « semel auditos quamlibet multos versus protinus dicatur reddidisse Theodectes », ut auctor est Quintilianus Inst. Orat. lib. XI, cap. 2, cique artem memoriæ fuisse tradit Ælianus H. A. lib. VI, cap. 10. Discipulus erat Aristotelis. Dav.

18. *Cineas.* Vulgo *Cyneas.* Male. Græcis enim Κινέας, non Κυνέας dicitur. Vide Cl. Salmasium Exerc. Plin. pag. 49. Ejus memoriam bisce verbis celebrat Seneca Controvers. Proœm. « Cineas... missus a Pyrrbo legatus ad Romanos, postero die novus bomo et senatum et omnem urbanam circumfusam plebem nominibus suis persalutavit ». Adi sis et Plinium H. N. VII, 24, ac Hist. Misc. lib. II, p. 11. Dav.

19. *Quanta nuper Charmadas... Scepsius Metrodorus.* In vulgatis est *Carmadas*, ac ita quoque Turnebus Advers. X, 16. Quum vero Græcis Χαρμάδας, non Καρμάδας, dicatur; proborum codicum lectionem recipiendam putavimus. Vide Cl. Salmasium Exerc. Plin. p. 50, Fak. et ex editis multi hic, ut et lib. II de Orat. c. 88, *Carneaden* repræsentant, sed iis ratio temporum repugnat, ut fuse docet Joan. Jonsius Hist. Phil. lib. II, c. 14. Ei sane placet *Charmides*, quod eodem redit. Quintilianus tamen Inst. Orat. lib. XI, cap. 2 : « Quare et Carneades, et Scepsius, de quo modo dixi, Metrodorus, quos Cicero dicit usos hac exercitatione (lib. II de Orat. extr.) sibi habeant sua ». Legendum *Charmadas* vel *Charmides*, jubente Chronologia. Vide Plin. VII, 24. Dav.

20. *Scepsius Metrodorus.* Ars memoriæ consummata est a Metrodoro Scepsio, ut nihil non eisdem verbis redderet auditum. Est autem Scepsis

quanta noster Hortensius[21] : de communi[22] hominum memoria loquor, et eorum maxime, qui in aliquo majore studio, et arte versantur : quorum quanta mens sit, difficile est existimare; ita multa meminerunt.

60 XXV. Quorsum igitur hæc spectat[1] oratio? quæ sit illa vis, et unde[2], intelligendum puto. Non est certe nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum. Anima sit animus[3], ignisve, nescio : nec me pu-

civitas Phrygiæ, quam quidem Æneæ regiam fuisse tradunt. Et Scepsi fuerant Demetrius grammaticus et hic Metrodorus, qui novo quodam dicendi genere usus multos deterruit : propter famam varo, quamquam pauper erat, clarum tamen conjugium apud Carthaginienses est assequutus. Mox apud Mithridatem fuit in honore maximo et existimatione. BEROALD.

21. *Noster Hortensius.* Hujus excellentem memoriam deprædicat Cicero in Bruto, cap. 88. Seneca Controvers. Procem. « Hortensius a Sisenna provocatus, in auctione persedit diem totum, et omnes res, et pretia, et emptores ordine suo recensuit, argentariis recognoscentibus, ita ut in nullo falleretur ». Adi sis Latinum Pacatum Pan. XII, cap. 18, ac Quintilianum Inst. Orat. lib. X, cap. 6, et lib. XI, cap. 2. DAV.

22. *De communi hominum memoria.* Vulgo *omnium*. Sed editos veteres sequendos duximus. DAV.

XXV. 1. *Quorsum igitur hæc spectat.* Davis. scripsit *Quorsus*, notavitque : Vulgg. « Quorsum igitur »: alteram vero lectionem ex MSS Norvic. Petr. Cantab. restitui, quam in sex suis invenit et Gebhardus. Cicero in Bruto. fol. 195, B. «Quorsus, inquam, istuc? non enim intelligo ». Idem de Legg. lib. I, cap. 24 : « Sed quorsus hæc pertinent? » Ita diserte MS Norv. et uterque Manutius. Turnebus ac Victorius habent « sed quorsus hoc pertinet ». Perperam autem Gruterus cum recentioribus *quorsum* substituere. Sic a vett. dicuntur *prorsum* et *prorsus*, *rursum* et *rursus*, *versus* et *versum*; unde compositum est *quorsum*, ut docet Priscianus lib. XVIII, col. 1060, proin hujusce vocis probitas nequit in dubium revocari. Adi Sen. de Ira, lib. II, cap. 2, et lib. III, cap. 5. — Rathius sic legi et distingui vult : «Quorsum... oratio? quæ sit illa vis et unde sit. — Intelligendum puto non esse certe, etc.»

2. *Et unde.* Davis. « et unde sit ». Vulgo, inquit, deest vox ultima, quam nos ex Victor. Reg. Balliol. Eliens. tert. et Bak. recipiendam censuimus, nec aliter Cicero loqui solet. — Wolfius quem Schütz. et Neid. sequuntur : « et unde, sic intell. p. »

3. *Anima sit animus, ignisve.* Dav. delevit v. *animus*. Abest, inquit, a quinque Pall. Vatic. Fabric. Pith. Norvic. et Petr. non agnoscitur, ac e sequentibus videtur adjecta; quapropter eam duximus expungendam. DAVIS.—Illud « anima sit ignisve nescio», ne latinum quidem est. Siquidem post *nescio* aut *an* aut *ne* omnino hic requiritur. Et quidem olim Lambinus conjiciebat, « anima sit ignisne, nescio »; ego nunc legendum existimo, « An anima sit ignisve nescio ». Qua-

det, ut istos, fateri nescire, quod nesciam. Illud[4], si
ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima,
sive ignis sit animus, eum jurarem esse divinum. Quid
enim? obsecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloso[5] et
caliginoso cælo aut sata, aut concreta videtur tanta
vis memoriæ? Si, quid sit hoc, non vides; at, quale
sit, vides. Si ne id quidem; at, quantum sit, profecto
vides. Quid igitur? utrum capacitatem[6] aliquam in 61
animo putamus esse, quo, tamquam in aliquod vas,
ea quæ meminimus, infunduntur? Absurdum id quidem.
Qui enim fundus, aut quæ talis animi figura
intelligi potest? aut quæ tanta omnino capacitas? An
imprimi quasi ceram, animum putamus, et memoriam
esse signatarum rerum in mente vestigia? quæ
possunt verborum, quæ rerum ipsarum esse vestigia?
quæ porro tam immensa magnitudo, quæ illa tam
multa possit effingere[7]?

rum lectionum illa hoc significabit, « Utrum ex duobus sit »; nostra, « Utrumne ex duobus sit ». Quid inter hæc intersit, si probe intelligis: posteriorem dumtaxat sensum huic loco convenire intelliges. Ita enim mox inferius: « sive anima, sive ignis sit animus »; et cap. 26: « si deus aut anima aut ignis est ». Sed nondum etiam emaculatus est hic locus. Non enim hic quærit « quid sit animus », sed « quæ vis memoriæ et unde? » Lege ergo totum locum, meo periculo: « Non est certe nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum: an animæ sit ignisve, nescio ». Et jam opinor, nova ratio nata est, cur illud *animus*, quod vulgatas editiones male obsedit, vel furcillis ejiciendum sit. BENTLEIUS. — Schützius, Wolf. Neid. « anima sit ignisne ».

4. *Illud, si ulla alia.* Est climax in verbis affirmare et jurare. Sensus totius loci esse videtur: Non me pudet, ut istos philosophos pudet, fateri me nescire, quid sit animus, anima (aer) an ignis. Sed utut res se habeat, jurare possum illud, sc. esse divinum animum, quum e contrario de ulla alia re obscura, quid sentiam, tantummodo affirmare audeam. Nam fieri non potest, ut tanta vis sit memoriæ, si constet animus e terrenis et humidis partibus, utpote quæ satis ostendit, animum esse sublimioris originis. N.

5. *Aut hoc nebuloso.* Primam vocem prætermittunt Reg. Gryph. et Med. quos Davisius sequitur.

6. *Utrum capacitatem.* Utrum putamus animum vas aliquod capax esse, quo etc. Nsm.

7. *Quæ porro tam immensa magnitudo, quæ illa tam multa possit effingere?* Suspecta est vox ultima;

Quid? illa vis[8], quæ tandem est, quæ investigat occulta, quæ inventio atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena, mortalique natura et caduca, con-
62 creta ea videtur[9]? aut qui primus, quod summæ sapientiæ[10] Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina? aut qui dissipatos homines congregavit, et ad societatem vitæ convocavit? aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminavit? aut qui errantium stellarum cursus, regres-

non enim *magnitudo* res ullas *effingit*, sed in illa hæ effinguntur. Lego « quæ illa tam multa possit excipere ». Dav. — *Tam immensa magnitudo.* Scilicet animi, ut in illo tot res memoria tenendæ effingi queant. Nrin.

8. *Quid? illa vis... quæ investigat occulta, quæ inventio..... dicitur?* Altera animi facultas est in inveniendo et perscrutando occulta, in excolendis literis atque disciplinis, e. g. astronomia, musica, mechanica, poesi, eloquentia, philosophia. Nrin.

9. *Concreta ea videtur? aut qui primus.* Bentleius quum diceret se non videre quo referrentur illa toties repetita *aut qui*, correxit « concretus is videtur, aut qui primus... aut qui, etc. » quem sequutus Davis. edidit « concretus esse videtur, aut qui primus ». Pearcius inutilem censuit Bentleii correctionem, quia facile in vv. « aut qui primus » suppleri potest : « aut ex illa natura concretus is videtur, qui primus ». — Schütz. correxit « quid? qui primus ». Neid. *aut qui* retinuit. Rathius locum defendit eodem modo, quo Pearcius. Idemque visum erat Ernestio.

10. *Quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est.* Theodotus in Eclog. ex Script. Proph. cap. 32 : Πυθαγόρας ἠξίου, μὴ μόνον λογιώτατον, ἀλλὰ καὶ πρεσβύτατον ἡγεῖσθαι τῶν σοφῶν τὸν θέμενον τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασιν. Et hanc Pythagoræ fuisse sententiam patet ex Iamblicho, § 56. Idem § 82, secundas tantum partes huic sapientiæ tribuit : Τί, inquit, τὸ σοφώτατον; ἀριθμός· δεύτερον δὲ, τὸ τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα τιθέμενον. Vide et Ælianum V. H. IV, 17, ac Hieroclem in Aur. Carm. LXI, p. 200. Ut ut sit, inde nata est hæc opinio, quod nomina vim cuique rei insitam declarare censuerint, adeoque non hominum institutione, sed natura significare decreverint. Vide Philonem de Opif. Mundi, p. 25, 26. A. Gell. N. A. l. X, cap. 4 : « Nomina verbaque non positu fortuito, sed quadam vi ratione naturæ facta esse P. Nigidius... docet, rem sane in philosophiæ dissertationibus celebrem; quæri enim solitum apud philosophos, φύσει τὰ ὀνόματα sint an θέσει ». Et priores quidem partes late tuetur Plato in Cratylo, p. 257. Adeantur Eusebius Pr. Evang. lib. XI, cap. 6, et Alcinous, cap. 6. Sic etiam Stoici; nec valde dissimilis erat Epicuri sententia, ut patet ex Origene contra Cels. p. 18, et Diogene Laertio, X, 75. Ex hoc dogmate factum est, ut Theophilus ad Autol. lib. II, p. 98, τὴν ὀνοματοθεσίαν Dei solius esse crediderit; nec aliunde

siones, institiones[11] notavit? Omnes magni: etiam superiores[12], qui fruges, qui vestitum, qui tecta, qui cultum vitæ, qui præsidia contra feras invenerunt; a quibus mansuefacti et exculti, a necessariis[13] artificiis ad elegantiora[14] defluximus. Nam et auribus oblectatio magna parta est, inventa et temperata varietate, et natura sonorum; et astra suspeximus, tum ea, quæ sunt infixa certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia[15]. Quorum conversiones, omnesque motus qui animus vidit[16], is docuit, similem animum suum ejus esse, qui ea fabricatus esset in cælo. Nam 63

manavit, quod alia verba aliis videbantur efficaciora. DAV.

11. *Regressiones, institiones.* Quum alii scriberent *progressiones, institutiones*, Davisius notavit: *institiones* reponunt Manutius, Lambinus, alii, nec, ut videtur, immerito: licet enim codices nihil varient, minime capio, quem locum habere possint *institutiones*. Alteram vocem sicco pede prætereunt interpretes; eamdem tamen potestatem obtinent ac *cursus*, nec ταυτολόγος putandus est Cicero. Reg. et Eliens. sec. *prægressiones*. Scribo *regressiones;* nam planetas nunc stare, nunc regredi, nunc præcurrere videri, notissimum. — Buherius conj. *insecutiones*. — Wolf. Schütz. Neid. cum edd. vett. *progressiones*. — *Institiones*. Quia planetæ non solum progredi ac regredi, sed etiam stare interdum videntur. NEID.

12. *Superiores*. Sc. ætate, qui multis ante sæculis venerunt.

13. *A necessariis artificiis*. Ab artificiis, opificiis, quæ necessariis vitæ producendis inserviunt. NEID.

14. *Ad elegantiora*. Quæ magis ad sensum pulchri pertinent, ut musica, etc. NEID.

15. *Tum ea, quæ sunt infixa certis locis..., non re, sed vocabulo errantia.* Platonicorum fuit sententia, stellas erraticas non vago motu, sed certis legibus agitari, uti etiam recentioribus astronomis videtur, qui diversa illa φαινόμενα variu planetarum et telluris inter se situi adscribunt. Cicero Nat. D. lib. II, cap. 20: « Maxime vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quæ falso vocantur errantes; nihil enim errat, quod in omni æternitate conservat progressus et regressus, reliquosque motus constantes et ratos ». Apuleius Dogm. Plat. p. 40: « Solis quippe et lunæ globum hoc facere, ceterasque stellas, quas nos non recte erroneas et vagas dicimus... Ille rerum ordinator ita reversiones earum, ortus, obitus, recessus, moras, progressusque constituit, ut ne modico quidem errori locus esset ». Vide et eumdem de Deo Socr. p. 70. DAVIS.

16. *Qui animus vidit*. Ob seq. « similem animum » Bentleius cum Lambino corrigit « qui animo vidit », quos Davis. secutus est. Wolf. et Neid. v. *animus* uncis includunt. Schützius *primus* substituit.

quum Archimedes[17] lunæ, solis, quinque errantium motus in sphæram illigavit, effecit idem quod[18] ille, qui in Timæo mundum ædificavit, Platonis deus, ut tarditate et celeritate[19] dissimillimos motus una regeret conversio. Quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest, ne in sphæra quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari.

64 XXVI. Mihi vero ne hæc quidem notiora, et illustriora[1] carere vi divina videntur, ut ego aut[2] poetam grave plenumque carmen sine cælesti aliquo mentis instinctu putem fundere, aut eloquentiam sine quadam vi majore fluere, abundantem sonantibus verbis, uberibusque sententiis. Philosophia vero, omnium

17. *Quum Archimedes lunæ, solis... motus in sphæram illigavit.* Ovidius Fast. VI, 277 : « Arte Syracosia suspensus in aere clauso Stat globus, immensi parva figura poli ». Cicero, Nat. Deor. II, 35 : « Archimeden arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis ». Ad quem locum nos plura congessimus. Dav. — Vide Lactant. II, 5; Claudiani epigram. 18, in hanc sphæram.

18. *Quod ille.* Ordo verborum : quod ille Platonis deus in Timæo, qui mundum ædificavit. Nein.

19. *Ut tarditate et celebritate.* Respicit ad Timæum, p. 529, 530, edit. Lugd. Nein.

XXVI. 1. *Illustriora.* Buherius mallet « illis tristiora »; nos probamus. J. V. L.

2. *Ut ego aut poetam.* Davisius scribit *haud poetam*, notatque : Vulgo *aut poetam*, quod sensum parit menti Ciceronianæ repugnantem; quapropter nos Eliens. secundi fidem sequimur. Sin hoc displicet, saltem legas oportet « ut ego aut poetam... non putem fundere ». Ad rem ipsam quod attinet, sic Seneca de Tranq. cap. 15 : « Si credimus Platoni, frustra poeticas fores compos sui pepulit ». Lucianus in Demosth. Encom. tom. II, pag. 687 : Πολλῆς δεῖ τῆς μανίας ἐπὶ τὰς ποιητικὰς ἰοῦσι θύρας. Noster pro Archia, c. 8 : « A summis hominibus eruditissimisque accepimus... poetam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari ». Huc facientia quidem Platonis dicta nos indicavimus ad lib. I de Divin. c. 37. Eadem fuit aliorum sententia. Hinc enim Pindarus Olymp. III, 18, ἀοιδὰς dixit θεομόρους. Nimirum ἀγαθοὶ καὶ σοφοὶ κατὰ Δαίμον' ἄνδρες, ut ait idem Olymp. IX, 41. Vide sis et XI, 20. Dav. — Schützius et Neid. Davisium non sequuti sunt. Rathius, quum Davisio concedat vulgatam ferri non posse, conjicit « et ego aut poetam... fundere? aut... sententiis? » quæ conj. quum nobis inelegans videatur, ita vulgata videtur optima : nam negatio quam Davisius desiderat, latet in præcedd. *ne hæc quidem;* et certe optime sic sententia procedit : « notiores etiam

mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait[3], donum, ut ego, inventum deorum? Hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudivit; eademque ab animo, tamquam ab oculis, caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus.

Prorsus hæc divina[4] mihi videtur vis, quæ tot res 65
efficiat, et tantas. Quid est enim memoria rerum, et verborum? quid porro inventio? profecto id, quo nec in deo quidquam majus intelligi potest. Non enim ambrosia deos, aut nectare, aut Juventate[5] pocula ministrante, lætari arbitror; nec Homerum audio[6], qui Ganymedem a diis raptum ait propter for-

artes non ita carent vi divina, ut possim credere poetam sine cælesti instinctu carmen fundere ».

3. *Ut Plato ait.* Davis. delevit *ait.* Hanc, inquit, vocem nesciunt Reg. Med. et Balliol. Respicit ad verba Platonis in Timæo, pag. 533, D: Ἐξ ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος· οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν, οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει ΔΩΡΗΘΕΝ ἐκ Θεῶν. Ea latine reddiderunt Chalcidius p. 56, et Noster de Univ. cap. 14.

4. *Prorsus hæc divina... est humana mens.* Ex his omnibus sequitur animum humanum esse divinæ originis. N.

5. *Aut nectare, aut Juventate.* Davisius simpliciter *aut nectare, Juventate.* Vocem *aut*, inquit, monitu præstantissimi Bentleii neglexirnus, qui interrogat: Quid cibusne, obsecro, est Juventas, an potio? Præter Juventatem, Vulcanum et Ganymedem, Harmonia et Mercurius a nonnullis deorum habiti sunt οἰνοχόοι. Vide Athenæum lib. XI, pag. 425, et Lucian. tom. I, pag. 233, 342. — Ceteri tamen Bentleium non sequuti sunt, et merito, ut nobis videtur. Nam Noster enumerat gaudia quibus dii in conviviis suis fruantur: ideo, postquam cibi et potionis exquisitissimam rationem habuit, non omittit pulchritudinem pocula ministrantis, qua certe convivarum augetur lætitia; quæ vult Bentl per transitionem dici, auctor per enumerationem addidit. — *Juventate.* Juventas est nimirum illa Ἥβη, quæ ante Ganymedem in cælum raptum diis pocula ministraret. NauD.

6. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem*, etc. Versus hi sunt Il. Υ, 234: Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διῒ οἰνοχοεύειν Κάλλεος εἵνεκα οἷο... Dicebatur enim Μήρους ὑπαίθειν τὴν Διὸς τυραννίδα, ut ait Æschylus ἐν Κολχίσιν apud Athen. lib. XIII, p. 602. F. Poetæ fere Catamitum ab aquila raptum tradunt, quod non incommode Lactantius Div. Inst. lib. I, cap. 11, videtur interpretatus. Herodianus lib. I, c. 35,

mam, ut Jovi bibere ministraret[7]. Non justa causa, cur Laomedonti tanta fieret injuria[8]. Fingebat hæc Homerus, et humana ad deos transferebat. Divina mallem ad nos[9]. Quæ autem divina? vigere, sapere, invenire, meminisse. Ergo animus, qui[10], ut ego dico,

aliique nonnulli hoc Tantalo facinus adscribunt; ejus tamen auctorem facit Minoem Echemenes apud Athenæum, lib. XIII, p. 601. Videatur Suidas in Ἴλιον et Μίνως. Dav.

7. *Ut Jovi bibere ministraret.* In anterioribus editis legebatur « pocula ministraret »; alteram vero scripturam Janus Gebhardus ex decem codicibus recepit, quibus accedunt octo nostri. Et merito quidem. Servius in Æn. I, 32: « Remota Hebe filia Junonis, quæ Jovi bibere ministrabat ». Vide Donatum ad Terentii Andr. act. III, sc. 2, 4. Antiquitus hac in re *biber* usurpabant, ut ostendit Charisius Inst. Gram. lib. I, col. 99. Dav.

8. *Cur Laomedonti tanta fieret injuria.* In hoc memoria falsus fuisse Cicero videtur, quod Laomedonti injuriam factam hoc raptu esse putat. Non enim Laomedon pater Ganymedis fuit, sed Tros. Tros secundum Homerum tres habuit filios: Ilum, Assaracum et Ganymedem. Ili filius erat Laomedon et itaque Ganymedi ex fratre nepos. Nein. — Nostro σφάλμα μνημονικὸν impingunt Joach. Camerarius, Aldus nepos et Fulv. Ursinus: quasi *Troi*, non *Laomedonti*, fuisset scribendum. Verum ut de raptore, sic de patre Ganymedis magnæ sunt inter auctores discrepantiæ. Plerisque Trois est filius; Hygino Fab. CCXXIV, Assaraci; ut Fab. CCLXXI Erichthonii natus dicitur. Lucianus autem in Charidemo, tom. II, p. 784, eum Dardani filium vocat. Laomedonte genitum confirmat Cycli scriptor apud Scholiasten in Euripidis Orest. vs. 1392. Quo loco Ciceronem tuetur Tan. Faber lib. II, Ep. 58. Quin et Ganymeden ab Euripide Troad. vs. 822, Λαομεδόντιον παῖδα nominari video. Tzetzes sane ad Lycophronis vs. 34, Laomedontem narrat equos immortales Herculi promisisse, οἳ ἐδόθησαν αὐτῷ ἀντίποινον παρὰ τοῦ Διὸς τὸν Γανυμήδην ἁρπάσαντος, ἀδελφὸν ὄντα τοῦ Λαομέδοντος. Satis quidem commode; non enim Ganymeden Laomedonte prognatum fuisse, ῥητῶς asserit Noster; patreque mortuo, fratrem contingit injuria. D.

9. *Fingebat... Divina mallem ad nos.* Hæc laudat Augustinus C. D. IV, 26, et Confess. I, 16. Vide sis et Aristidem tom. I, pagg. 46, 47. Optime Longinus περὶ ὕψους, § 9. Dav. — Vide P. Victorius Varr. Lect. XXXV, 10.

10. *Ergo animus, qui, ut ego dico... deus.* Sic Davis. nisi quod vv. *qui ut ego dico divinus* parenthesi includit. Ita, inquit MSS. Manutius autem et Lambinus vocem *qui* delent. Hac tamen emendatione nihil opus, si verbum substantivum, quod sæpe fit intelligas. Eliens. pr. Euripidis loco dat Empedoclem. Male. Theon Progymn. cap. 5, p. 79: Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς τὸν νοῦν ἡμῶν ἑκάστου εἶναι θεόν. Iamblichus tamen in Protrept. cap. 8, pag. 53: Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός· εἴτε Ἑρμότιμος εἴτε Ἀναξαγόρας τοῦτο εἶπε. Similiter alii. Plato apud Fulgentium Virgil. Contin. p. 144: Νοῦς ἀνθρώπινος; Θεός. « Sensus hominis deus est ». Xenocrates apud Aristotelem, Topic. lib. II, cap. 2: Ψυχὴν ἑκάστῳ εἶναι di-

divinus est, ut Euripides audet dicere, deus: et quidem si deus aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura cælestis et terra vacat, et humore: sic utriusque harum rerum humanus animus est expers. Sin autem est quinta quædam natura ab Aristotele inducta primum [11]; hæc et deorum est, et animorum.

XXVII. Hanc nos sententiam sequuti, his ipsis ver- 66
bis in Consolatione hæc expressimus: « Animorum nulla in terris [1] origo inveniri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim

xit δαίμονα. Seneca Epist. 31: « Quid aliud voces hunc (animum), quam deum in humano corpore hospitantem ». Noster apud Macrobium in Somn. Scip. lib. II, cap. 12: « Mens cujusque is est quisque... deum te igitur scito esse, siquidem est deus, qui viget, qui sentit, qui meminit, etc. » Macrobius ipse paullo post: « Animam deum et prisci philosophorum et Tullius dixit ». Sic et plures; quorum nonnullos laudavit Th. Gatakerus ad Antonini lib. XII, § 26. Iis insuper addes hæc Plotini verba; qui dixit se πειρᾶσθαι τὸν ἐν ἡμῖν θεὸν ἀνάγειν πρὸς τὸ ἐν τῷ παντὶ θεῖον. Exstant apud Porphyrium vit. Plotin. cap. 2. Dav. — Delent *qui* Lambin. Wolf. Schütz. Neid. qui *est* post *deus* rejiciunt. Buherius conj. « ut Eur. dicere audet, est deus ». — *Ut Euripides audet dicere*. Forsan ad illum locum Euripidis, Fragm. CLXXXVIII, Θεὸς γάρ τις ἐν ἡμῖν, respexit; forsan quoque ad alium quemdam, qui interiit. Neid.

11. *Inducta primum; hæc et deorum*. Alii olim cum Gebbardo « inducta: primum hæc et », de qua lect. Bentleius: Quo, inquit, pertinet « primum? primum hæc est deorum et animorum »; quid secundum? nihil. Tu vero labantem sententiam distinctione hac sustenta: « sin autem est quinta quædam natura ab Aristotele inducta primum: hæc et deorum est et animorum ». Quid clarius? sic alibi Noster de Oratore: « Qui hoc primus in nostros mores induxit ». Jam autem sic plane interpunctum video ab Aldo nepote: et in ora sui libri posuerat Lambinus; sed ærugo et fatuitas Gebbardi noluit hunc ducem sequi. — Bentleium Davis. et ceteri sequuti sunt.

XXVII. 1. *Animorum nulla in terris*, etc. Hicce locus a Lactantio citatur de Ira Dei cap. 10. Sed partim memoriæ, partim librariorum vitio, apud illum haud ita bene se habet. Ad idem argumentum pertinent, quæ ex Porphyrii Gradibus servavit Stobæus Eclog. Phys. p. 91. Cum primis autem egregia sunt, quæ disputat Longinus apud Eusebium Præpar. Evang. lib. XV, cap. 21. Dav.

in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod et præterita[2] teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia : quæ sola divina[3] sunt. Nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi, sejuncta ab his usitatis[4] notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget[5], cæleste et divinum est[6], ob eamque rem æternum sit, necesse est. Nec vero Deus[7] ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab[8] omni concretione mortali, omniaque sentiens, et movens, ipsaque prædita motu
67 sempiterno. » Hoc e genere, atque eadem e natura est humana mens.

2. *Quod et præterita... unde ad hominem.* Verba Ciceronis hoc ordine repræsentat Lactantius de Ira Dei, cap. 10 : « Quo futura provideat, et præterita teneat et complecti possit præsentia, quæ sola divina sunt. Nec enim inveniuntur umquam, unde ad hominem, etc. » Sed apud Nostrum melius et leguntur et disponuntur. MS quidem Norvic. vocem ultimam cum penultima male prætermittit, eas enim præstant quum reliqui libri, tum ipse Firmianus. Dav.

3. *Quæ sola divina.* Non opus est mutatione Ernest. *sola* in *tota*; si enim *sola* non cum *quæ*, sed *divina*, conjungas, omnia sana videntur. Neid.

4. *Usitatis notisque naturis.* Legendum *visitatis*, ut monuimus ad lib. II de Divin. cap. 22. Dav.—Non mirum quod ceteri editores nihil moverint.

5. *Quod vivit, quod viget.* In Pall. aliisque cod. duplex hujus loci fertur lectio; dant enim, « quod vult vivit ». At Reg. Vatic. Med. aliique plures repræsentant, *quod vivit*; et eam scripturam, quum recta videretur, recepi; nam *vivere* et *vigere* passim jungit Cicero. Vide Tertullianum de Anim. cap. 19. Dav. — In prima ed. Davis. conjecerat legendum : « quod vult, quod vivit, quod viget ».

6. *Cæleste et divinum est.* Davisius *cæleste et divinum* deleto *est*, auctor. Reg. Med. Balliol. *Est* post eum Ern. Wolf. Schütz. Neid. ejecerunt; et Wolf. præterea habet « et cæleste et div. »

7. *Nec vero deus... sentiens et movens.* Hæc profert Lactantius Instit. Div. lib. I, cap. 5, et ex eo Salvianus Gub. Dei lib. I, cap. 1. Dav.

8. *Segregata ab omni concretione mortali.* Copulam præmittunt ed. Ven. 1491, et Norvic. unus. Alter « ab omni congregatione mortali ». Vulgata lectio non est movenda, quam retinent alii codices, et Lactantius, qui hæc laudat Div. Instit. lib. I, cap. 5. Davis.

XXVIII. Ubi igitur[1], aut qualis est ista mens? Ubi tua, aut qualis? potesne dicere? an, si omnia[2] ad intelligendum non habeo, quæ habere vellem, ne iis quidem, quæ habeo, mihi per te uti licebit? Non valet tantum animus, ut se ipse[3] videat. At, ut oculus, sic animus se non videns, alia cernit. Non videt autem, quod minimum est, formam suam. Fortasse: quamquam[4] id quoque; sed relinquamus: vim certe, sagacitatem, memoriam, motum[5], celeritatem videt. Hæc magna, hæc divina, hæc sempiterna sunt. Qua facie quidem sit, aut ubi habitet, ne quærendum quidem est.

Ut, quum videmus[6] speciem primum, candorem- 68
que cæli; deinde conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus; tum vicissitudines dierum, atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas[7], ad maturitatem[8] frugum, et ad

XXVIII. 1. *Ubi igit...potesne dicere.* Hæc Rathius interloquenti tribui vult; et nostrum respondere «an si omnia, etc.» Idem cum Ern. pro seq. *vellem*, legi vult *velim*. — *Ubi igitur aut qualis... certe quidem in te est.* Quæstiones de loco et qualitate animi prorsus inanes sunt. Videre animus se ipsum quidem non potest, at intelligi possunt ejus affectiones ex effectu, sicuti deus non conspici oculis quidem, at ex operibus tamen cognosci potest. NEID.

2. *An, si omnia.* Sensus: Quamvis non omnia, quæ scire velim de animo humano, sciam, iis, quæ cognita habeo contentus sim atque utar. NEID.

3. *Ut se ipse videat.* Sic correxit Bentleius. Davisius eo invito retinuit lectionem Victorii et Gebhardi, «ut se ipsum ipse videat». Wolf. Schütz. Neid. «ut sese ipse vid.»

4. *Fortasse: quamquam id quoque.* Wolf. quem Sch. sequitur, «quamquam fortasse id quoque», probante J. V. L. Neid. vulgatum retinuit. Rathius hæc verba glossatori tribuit.

5. *Motum, celeritatem.* Davisius, «motus celeritatem». Ita, inquit, recte Cl. Bentleius. Infra cap. 28: «Ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoscito».

6. *Ut, quum videmus*, etc. Incipit hic periodus satis longa, cujus apodosis est in § 70. NEID.

7. *Quadripartitus.* Quatuor anni tempora. NEID.

8. *Ad maturitatem frugum.* Rectius opinor MS Norvic. quo usus est Davisius, «ad maturationem frugum et ad temperationem corporum aptas», id est, ad faciendas fruges maturas.

temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem, lunamque accretione, et deminutione luminis, quasi fastorum notis[9] signantem dies; tum in eodem orbe in XII partes distributo, quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime servantes, disparibus inter se motibus, nocturnamque cæli formam undique sideribus ornatam; tum globum terræ eminentem e mari, fixum in medio mundi[10] universi loco, duabus oris distantibus[11] habitabilem, et cultum; quarum altera, quam nos incolimus,

> Sub axe posita ad stellas septem[12], unde horrifer
> Aquilonis stridor gelidas molitur nives;

altera Australis, ignota nobis, quam vocant Græci

Sic ab aliis latinis scriptoribus *poma* et *uvæ* maturari dicuntur. *Maturitas* significat tempus maturum : hic vero locus postulat potius vocem, qua aetas maturandi exprimatur. Vix aliter Noster loquutus est in lib. I de Nat. Deor. cap. 2 : «Cælique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubescant». Peare.— Pearcium Sch. et J. V. L. non probant.

9. *Fastorum notis signantem dies.* Sic Ern. Wolf. Sch. Neid. Vulgo «notantem et significantem». Davisius, «notantem et signantem». Nos, inquit in prima edit. e MS Norvic. ram et elegantem scripturam Ciceroni restituimus. Nonius Marcellus, cap. 4, «signare est designare, ostendere». Virgilius, Æneid. II, 697, de stella : «Cernimus Idæa claram se condere silva Signantemque vias». Manilius, lib. I, 594 : «Et per quinque notat signantes tempora fines». Ac lib. II, 794 : «Tertius excelsi signat fastigia cæli». Vide etiam lib. IV, 712. — Seneca Cons. ad Marciam, cap. 18 : «Miraberis... solem quotidiano cursu diei noctisque spatia signantem». Quæ loca lectionem, quam recepimus, abunde stabiliunt. Dav.

10. *In medio mundi.* Secundum astronomiam Veterum, quod hodie vel pueri melius sciunt. Neid.

11. *Duabus oris distantibus.* Zonis nimirum temperatis. Neid.

12. *Sub axe posita ad stellas septem, unde.* Hæc verba olim Ciceroni tribuebant, quæ Bentleius, quum vidisset minime ejus elegantiæ convenire, poetæ adscripsit; eumque ceteri sequuti sunt. Jam medelam in prima ed. loco Davis. attulerat : nam antequam a Bentleio admonitus fuisset vv. «sub axe... unde» Ciceronis non esse, tamen viderat ex vv. «horrifer... nives» unum versum debere non confici, ut male in ceteris edd. legebatur, sed in senarios dispertitus erat has voces, auctore Censorino, v. *horrifer* præcedenti versui tribuens, cujus finis erat.

ἀντίχθονα [13]; ceteras partes incultas, quod aut frigore rigeant, aut urantur calore : hic autem, ubi habitamus, non intermittit suo tempore 69

> Cælum nitescere [14], arbores frondescere,
> Vites lætificæ pampinis pubescere,
> Rami baccarum ubertate incurviscere,
> Segetes largiri fruges, florere omnia,
> Fontes scatere, herbis prata convestirier ;

tum multitudinem pecudum, partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda; hominemque ipsum quasi contemplatorem cæli ac deorum, ipsorumque cultorem; atque hominis utilitati agros omnes et maria

13. *Quam vocant Græci* ἀντίχθονα. Sic recte Gebhardus post Erasmum et Ciacconium. Nam plures editi præ se ferunt ἀντάξονα, quæ vox est nihili. Ad veram lectionem quasi manu ducunt quum alii MSS, tum maxime Reg. et Bak. qui repræsentant *antixoona*. Verbo græce scripto lineolaque addita, habes ANTIXΘONA. Hinc *Antichthones* dicti sunt, qui eam terræ partem incolunt. Vid. Melam, lib. I, cap. 1 et 9. DAV.

14. *Cælum nitescere... vites lætificæ*. Ex libris scriptis hi *nitescere* exhibent, illi *mitescere*. Prius in vetustis editionibus insederat, posterius arripit Gebhardus. Quo tamen jure de loco suo dejicitur illud prius? quum et versum numerosiorem efficiat et ποιητικώτερον sit, et placere debeat vel ob illud Lucretii de eodem tempore verno : « ... tibi suaves Dædala tellus Submittit flores; tibi rident æquora ponti, Placatumque nitet diffuso lumine cælum ». Illud vero adhuc pejus, quod quum priores edidissent, « Vites lætificæ pampinis pubescere » : Gebhardus ex unico quidem codice admittit in textum, « Vites lætiscere, pampinis pubescere ». Perperam profecto. Quum enim in vulgata lectione, de rebus illis singulis, « cælo, arboribus, vitibus, ramis, segetibus, fontibus, pratis » unum dumtaxat habeatur pronuntiatum : hic inconcinne duo adhibet de vitibus, *lætiscere* et *pubescere* : quæ tamen vix aut ne vix quidem inter se differunt. Jam quod existimat eos codices, in quibus exstat *lætificare*, patrocinari lectioni a se inductæ : quam prave et nullo judicio? Quanto verisimilius ex divisa diphthongo *lætificæ*, more in vetustioribus exemplaribus solemni, profluxisse illud *lætificare*; unius dumtaxat literæ insertione? Accedat huc, quod jam olim Nonii codices *lætificæ* agnoverint. Illud sic colligo. Versiculum hunc tertium laudat in verbo *incurviscere*, ex hoc ipso loco : alibi autem ex alio auctore, Sisenna scilicet, citat *lætiscere*. Atqui, si hic ejus codices τὸ *lætiscere* habuissent, sine dubio etiam hac usus esset auctoritate, quæ sub manu, sub oculis versaretur. BENTL. — Quem ceteri editores sequuti sunt.

70 parentia[15] : hæc igitur[16], et alia[17] innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin his præsit aliquis vel effector[18], si hæc nata sunt, ut Platoni videtur; vel, si semper fuerint[19], ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris[20]? sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut deum non vides: tamen ut deum agnoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, et inventione, et celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam[21] mentis agnoscito.

XXIX. In quo igitur loco est? credo equidem in capite : et, cur credam, afferre possum; sed alias : nunc ubi[1] sit animus, certe quidem in te est[2]. Quæ

15. *Agros omnes et maria parentia.* Eliens. pr. et Cantab. habent *patentia :* hæc autem lectio minus arridet præ ea, quam vulgo repræsentant. Virgilius, Æneid. I, 3 : « Ut quamvis avido parerent arva colono ». Hinc « usus mortalium semper ancilla » terra dicitur Plinio Hist. Nat. lib. II, cap. 63. Dav.

16. *Hæc igitur.* Hic demum incipit apodosis protheseos illius a verbis « ut quam videmus » incipientis. Nem.

17. *Et alia.* Davisius recepit *et talia* e Gulielmi conjectura.

18. *Aliquis vel effector.* Victorius, « aliquis conditor vel effector ».

19. *Fuerint.* Sic Ern. Alii *fuerunt.*

20. *Muneris? sic mentem hominis.* Rathius legi malit : « muneris sit? mentem hominis, etc. » — *Et muneris.* Verbum ductum e spectaculis rom. quæ *munera* dicebantur. Nem.

21. *Vim divinam.* Lamb. *divinæ*, quod pessimum, quia per hoc viderentur mentes esse quasdam non divinas : atqui hoc Cicero probat hoc loco, mentem hominis non minus esse divinam, quam dei mentem.

XXIX. 1. *Sed alias : nunc ubi sit animus.* Davisius scribit : « sed alias ubi sit animus » cum Reg. Pall. tribus Eliens. tert. et Back. At idem Davisius in pr. ed. dederat : « nunc ubi ubi sit animus ». Hanc, inquit, scripturam ex Manut. et Victor. recepimus. Plautus, Asin. act. II, sc. 2, 21 : « Perii ego oppido, nisi Libanum invenio jam, ubi ubi est gentium ». Idem Casin. act. III, sc. 6, 3 : « Ubi ubi sunt, duplici damno dominos multant ». Terentius Eunuch. act. II, sc. III, 4 : « Ubi ubi est, diu celari non potest ». Sic iterum act. V, sc. IX, 12. — Hanc a Davisio postea relictam lection. Wolf. Schütz. et Neid. arripuerunt.

2. *Certe quidem in te est.* Molesta admodum videtur hæc collocatio : nam Nostro quidem nihil usitatius quam illud « quidem certe, quidem profecto, quidem utique », at « certe quidem » nullibi, quod sciam. Unde verba hæc transposita puto et sic repono : « in te quidem certe est ». Acad. Quæst. IV, 53 : « Hoc quidem certe ... tibi assentior ». Ad Attic.

est ei natura[3]? Propria puto, et sua. Sed fac igneam,
fac spirabilem : nihil ad id, de quo agimus. Illud modo
videto, ut deum noris, etsi ignores[4] et locum, et fa-
ciem, sic animum tibi tuum notum esse oportere,
etiam si ejus ignores et locum, et formam. In animi 71
autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane
in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis ad-
mixtum, nihil concretum[5], nihil copulatum, nihil
coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita sit,
certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec dis-
trahi potest : nec interire igitur. Est enim interitus
quasi discessus, et secretio ac diremptus[6] earum par-
tium, quæ ante interitum junctione aliqua tene-
bantur.

I, 1 : « Cupio quidem certe ». Verr. VI, 21 : « Illa quidem certe ». Pro Quint. 1 : « Temporis quidem certe », et ita sexcenties. RATH.

3. *Quæ est ei natura?... junctione aliqua tenebantur.* Animus est ens cui nihil materiæ admixtum, quod simplicissimum sit, itaque nec dividi nec interire queat. NEID.

4. *Etsi ignores.* Davisius dedit « etsi ejus ignores » fide MSS et edd. vett. et mox *ejus* eorumdem fide rejecit. Ern. Schütz. et Neid. sequuti sunt.

5. *Nihil concretum.* Donatus concretum id dici ait, quod ex minutiis multis in unam cogitur massam : quod simplex est, id individuum est, individui autem nulla est distractio, nulla separatio; alioqui individui nomen amitteret. Simplex est animus et consequenter individuus, et ob id ab interitu remotus, quum interitus sit separatio quædam, ex eo dictus, quod est medius inter animam et corpus. Merito dixit Servius ignem cælestem esse æternum, quia simplex est : omnia enim syntheta, id est, composita, exitum sortiuntur. « Si homo, ut inquit Galenus in lib. II de Elementis, simplex et unum foret, non doleret, et consequenter non interiret. Sequela enim doloris est mors, quoniam nullum sit corpus, quod deleri possit et mori non possit ». BEROALD. — Beroaldo non concedimus v. *interitus* ex eo dici quod est medius inter animam et corpus. *Interire* est ire inter res, misceri in universum, amissa exsistentia individuali : sic « perire, ire per »; incertum in *perire* sicut in *interire* quid substantivum post *inter* et *per* subaudiri debeat; et in hoc vis est verbi, quod vagum præbet sensum et incertum.

6. *Secretio ac diremptus.* Vulgo *direptus.* Lectionem, quam damus, exhibent Pall. duo nosterque Bak. nec aliter ediderunt Manutius et Lambinus. Merito quidem; non enim *diripiendi*, sed *dirimendi* potestas huc convenit. Gebhardus tamen errare, quam bonos duces sequi, maluit. DAV.

His, et talibus rationibus[7] adductus Socrates, nec patronum[8] quæsivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit; adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbia: et supremo vitæ die de hoc ipso multa disseruit, et paucis ante diebus, quum facile posset educi e custodia, noluit[9]; et quum pæne in manu jam mortiferum illud teneret poculum, loquutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in cælum videretur adscendere.

72 XXX. Ita enim censebat, itaque disseruit: « Duas esse vias[1], duplicesque cursus animorum a corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis[2] contaminavissent, et se totos libidinibus dedidissent, quibus

7. *His, et talibus rationibus ... quam lamentari possem, si liberet.* Exemplis et Socratis et Catonis probatur, hi de animo humano conceptus quantopere valeant ad contemnendam mortem. Sapiens jam in hac vita animum avocat a corpore, i. e. mori quotidie discit. Concludit his omnem de immortalitate disputationem. Nern.

8. *Nec patronum quæsivit ad judicium capitis.* MS Norvic. « nec patrocinium quæsivit. » Sic *ministeria* pro *ministris* Hyginus, Fab. cxx; *servitia* pro *servis*, Sallustius, Bell. Catil. cap. 24, aliique passim dixere. Plura sunt hujusmodi, de quibus ad Cæsaris lib. VII, Bell. Gall. cap. 78, et ad Hirtii lib. VIII Bell. Gall. cap. 19. — Quum Socrati scriptam Lysias attulisset orationem, quam edisceret, ut pro se in judicio uteretur, rejecit eam philosophus veluti parum fortem et virilem. Nostrum de Orat. lib. I, cap. 54, ac Valerium Maximum, lib. VI, cap. 4, 2, ext. hujusce rei testes jam laudavit Menagius ad Laertii II, 40. Nos alia Veterum loca proferemus. Cf. Stobæus, Serm. VII, pag. 90. Quintilianus Inst. Orat. lib. II, cap. 15: « Socrates inhonestam sibi credidit orationem, quam ei Lysias reo composuerat ». Id latius narrat lib. XI, cap. 1. Dav.

9. *Quum facile posset educi e custodia, noluit.* Quibus rationibus motus amicorum opera recusaverit, docebit Platonis Crito, pag. 370, seqq. Adi sis etiam Origenem in Cels. lib. II, pag. 71; Laertium, II, 60, III, 36, et Senecam Epist. 24. Dav.

XXX. 1. *Duas esse vias.* Vide Platonis Phædonem, p. 385 seq. et 398 seq. Ea laudat Stobæus, Eclog. Phys. pagg. 135-141. De duabus autem viis multa Lactantius Div. Inst. lib. VI, capp. 3, 4, et Epit. c. 59. Adeas etiam Clementina Hom. VII, cap. 7. Dav.

2. *Nam qui se humanis vitiis contaminavissent*, etc. Bentleius dicit se scribere *immanibus*, quia *humana vitia* sunt ea in quæ vulgo homines cadunt, et *dedidissent*, quod majorem vim habeat quam vulgatum *dedissent*, deinde *vel domesticis* pro *velut dom.* quod ineptum est; *dom. stupris* pro *dom. vitiis*, quia supra est *humanis*

cæcati, vel domesticis[3] vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel republica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium[4] quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum. Qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum : his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere. Itaque commemorat, ut cycni[5], qui 73

vitiis. — Agnosco sana, quod ait Bentleius, in usu esse et communi, et Ciceronis, ut *humana vitia* dicantur mediocria et excusabilia. At enim philosophi personam hic induit Cicero, atque hominibus e turba ac fæce mortalium, opponit sapientem diis admovendum. *Humana* quæ dicit *vitia*, illa ipsa sunt quæ Plato κατὰ ἀνθρώπεια, Phædon. pag. 81, edit. H. Steph. Quem locum videtur Latinus respexisse. Neque in his quidquam video mutandum, « et se totis libidinibus dedissent », quum *libido* genus omne contineat illicitarum cupiditatum. Vide, si vacat, Tusc. IV, 6. Bunesius. — *Humanis vitiis.* Ἐξ ἐναντίας *humana vitia* deorumque vitam ponit. Vult autem ea, quibus obnoxii sumus, quamdiu corporibus includimur. Sic ἀνθρώπινα πταίσματα dicit Æneas Gazæus in Theoph. pag. 380, D. ἀνθρώπινα παραπτώματα Clemens Hom. VII, cap. 7 : ἀνθρώπινα ἁμαρτήματα Origenes περὶ εὐχῆς, § 23. Augustinus C. D. lib. II, cap. 7 : « Mirum nimium, si ullus ibi erat pudor mortalium, quo humana flagitia non libere homines committerent quæ apud deos religiose discerent ». Vide et Terentium, Adelph. act. IV, sc. 5, v. 53, ad Senecam de Tranquil. cap. 15. Dav. — Schutz. dedit « qui se humanis corporibus cont. », ut apud Platonem, ἅτε τῷ σώματι ἀεὶ ξυνοῦσα, κ. τ. λ. idque probat J. V. L.

3. *Domesticis.* Vitiis in vita privata. Neid.

4. *Iis devium quoddam iter esse.* Sic plerique libb. vulgo olim « iis demum q. i. e. ». Unus Norvic « iis demum quoddam iter devium esse »; quod Davisio placebat.

5. *Ut cycni ... moriantur.* Lambino scribendum videtur *cygnis*. At Servius ad Æn. I, 397, vocem *cygni* tuetur. Med. vero, Bak. et Ven. 1494, *quia providentes*. Leg. « quasi providentes ... cum cantu et voluptate moriuntur ». Et *moriuntur* diserte quidem Balliol. Hic autem locus ex Platonis Phædon. pag. 387 est expressus. Verba, quæ etiam profert Stobæus, Serm. CXIX, pag. 607, sic se habent : Ἀλλὰ κύκνοι ἅτε, οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες (vide Synesium Dion. pag. 54, A.) μαντικοί τέ εἰσι, καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθὰ, ᾄδουσί τε καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως ἢ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ. Et cygnorum quidem in morte cantum testimoniis suis confirmant Veterum plurimi. Inter alios vide Themistium Orat. XVIII, pag. 223; Artemidorum Oneir. lib. II, pag. 108, et

non sine causa Apollini dicati sint[6], sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur : sic omnibus et bonis[7], et doctis esse faciendum. Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis sæpe usu venit[8], qui quum acriter oculis deficientem solem[9] intuerentur, ut adspectum omnino amitterent : sic mentis acies se ipsa[10] intuens, nonnumquam hebescit; ob eamque causam contem-

Tzetzem ad Lycophronis vs. 426. Quin et cygni moribundi cantum se plane exaudivisse nuper testatus est Fr. Hesselius in Epist. Dedic. Vibio Sequestri præmissa. Plinius tamen, Hist. Nat. X, 23 : « Olorum in morte narratur flebilis cantio : falso, ut arbitror aliquot experimentis ». Cum eo faciunt Alexander Myndius apud Athenæum, lib. IX, pag. 393; Ælian. Var. Hist. II, 14, et Lucianus de Electro, tom. II, pag. 371. Dav. — Nobis placet Dav. conj. *quasi providentes*, qua sine contructio claudicat. — Paullo ante Schütz. et Neid. *ita comm.* pro *itaque comm.* non admonito lectore.

6. *Qui non sine causa Apollini dicati sint.* Hinc cygni vocantur Callimacho τοῦ θεοῦ (sc. Apollinis) μέλποντες ἀοιδοὶ Hymn. in Del. 249; cf. Spanheim. ad Hymn. in Apollon. 5. Ceterum fabulosa esse, quæ de cygni morituri cantu narrantur ostendunt Ælianus, Var. Hist. I, 14. Lucianus in dialogo περὶ τοῦ ἠλέκτρου ἢ τῶν κύκνων, vol. VII, ed. Bip. pag. 322. Neid.

7. *Et bonis, et doctis.* Primum et Davis. delevit auctoritate Reg. Eliens. tert. Back. Med. et Balliol.

8. *Quod iis sæpe usu venit.* Quod iis sæpe accidere solet, qui, quum, etc.

9. *Qui quum acriter oculis deficientem solem*, etc. Lambinus contra librorum fidem dedit, *qui acribus oculis*. MSS vero Martin. Eliens. tert. et Petrens. habent *oculis deficientibus*, ac ita legit Janus Gulielmius. Ast oculos vel sanissimos diuturnior solis aspectus erueret. Hinc Democritus, « Clypeum constituit contra exortum Hyperionis Oculos effodere ut posset splendore æreo. Ita radiis solis aciem effodit luminis » ; ut ait Laberius apud A. Gellium, N. A. X, 17; Noster ad Platonis Phædon. § XXXIV, ed. Cantab. respexit : Μὴ πάθοιμι, ὅπερ οἱ τὸν ἥλιον ΕΚΛΕΙΠΟΝΤΑ θεωροῦντες καὶ σκοπούμενοι πάσχουσι· διαφθείρονται γάρ που ἔνιοι τὰ ὄμματα, ἐὰν μὴ ἐν ὕδατι ἢ ἔν τινι τοιούτῳ σκοπῶνται τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. Pariter Iamblichus vit. Pyth. § 67. Vide et Themistium, Orat. IV, pag. 51. Retineamus igitur *deficientem solem.* Nam facile fieri potest, ut oculis nimium fidentes solem laborantem diutius aspiciant, eorumque jacturam faciant. Davis. — Schützius delevit *quum* ante *acriter*.

10. *Ipsa intuens.* Vulgo *ipsam*; sed veteris codicis a Lambino citati, Reg. et Eliens. primi spernere non potuimus elegantiam. Dav.

plandi diligentiam amittimus. Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, multa adversa [11] reverens, tamquam in rate, in mari immenso, nostra vehitur oratio ». Sed hæc et vetera, et a Græcis. Cato[12] au- 74
tem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans[13] ille in nobis deus, injussu hinc nos suo demigrare. Quum vero causam justam deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: næ ille, medius fidius,

11. *Multa adversa reverens, tamquam in rate ... oratio.* Davisius, scribit *tamquam ratis.* Vulgo, inquit, « revertens tamquam in rate ». Sed in Eliens. tert. et Med. est *reverens*, eamque lectionem saniorem merito judicavit Ph. Beroaldus. *Ratis* manavit a Victorio, cui tantum non accedit MS Cantab. *Ratio* vero, non *oratio*, Camerario Lambinoque placuit. Male: hanc enim comparationem mutuatus est a Platonis Phædon. § XXIII: Δεῖ ... τὸν βέλτιστον τῶν ἀνθρωπίνων λόγων λαβόντα καὶ δυσεξελεγκτότατον, ἐπὶ τούτου ΟΧΟΥΜΕΝΟΝ, ΩΣΠΕΡ ΕΠΙ ΣΧΕΔΙΑΣ, κινδυνεύοντα διαπλεῦσαι τὸν βίον. Similiter Catull. Ep. XXV, vs. 12: « Et insolenter æstues, velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento ». Ovidius in Epist. Cydippes Acontio, vs. 41: « Ipsa, velut navis, jactor, quam certus in altum Propellit Boreas; æstus et unda refert ». Sedulius Epist. ad Macedonium: « Utpote qui ... tam immensum paschalis pelagus majestatis ... parva tiro lintre concurrerim ». Videatur et Gregorius Nazianzenus in Carminum a Jac. Tollio editorum, II, 51. — Schützius post Wolf. dedit « tamquam rate in mari immenso nostra vehitur ratio », idemque Neid. secutus est.

12. *Cato autem sic abiit a vita.* Vix necesse est moneamus Catonem hunc esse Uticensem.

13. *Vetat enim dominans.* Platonicorum aliorumque sapientium dogma, quod a Pythagoreis acceperunt. Vide nos ad Epit. Lactantii, cap. 39, pagg. 98, 99. Athenæus, lib. IV, pag. 157: Εὐξίθεος ὁ Πυθαγορικός ... ἔλεγεν ἐνδεδέσθαι τῷ σώματι καὶ τῷ δεῦρο βίῳ τὰς ἁπάντων ψυχὰς τιμωρίας χάριν, καὶ διειπάσθαι τὸν θεὸν, ὡς εἰ μὴ μενοῦσιν ἐπὶ τούτοις, ἕως ἂν ἑκὼν αὐτοὺς λύσῃ, πλέοσι καὶ μείζοσιν ἐμπεσοῦνται τότε λύμαις, etc. Ex hac sententia Virgilius de iis, qui sibi manus attulerunt, Æn. VI, 436: « ... quam vellent æthere in alto Nunc et pauperiem, et duros perferre labores! » Phavorinus apud Stobæum, Serm. CXVIII, pag. 601: Θεόδωρος μὲν γὰρ ὁ Κυρηναῖος οὐδεμίαν ἱκανὴν πρόφασιν ἔφασκεν εἶναι τῷ σοφῷ πρὸς τὴν τοῦ βίου κατάλυσιν. Seneca, Epist. LXX: « Invenies etiam professos sapientiam, qui vim afferendam vitæ suæ negent, et nefas judicent ipsum interemptorem sui fieri: exspectandum esse exitum, quem natura decrevit ». Stoicorum autem de spontanea morte decreta, quibus paruit Cato, vide sis apud Lipsium Manud. ad Phil. Stoic. lib. III, Diss. 22. DAVIS.

vir sapiens, lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit. Nec tamen illa vincla[14] carceris ruperit: leges enim vetant; sed tamquam a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus, atque emissus, exierit.

75 XXXI. Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est[1]. Nam quid aliud agimus, quum a voluptate, id est, a corpore, quum a re familiari, quæ est ministra et famula corporis, quum a republica, quum a negotio omni sevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum, nec quidquam aliud est, quam emori discere[2]? Quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et, dum erimus in terris, erit illi cælesti vitæ simile; et, quum illuc ex his vinculis emissi fe-

14. *Vincla carceris ruperit.* Forsan *vincla corporis*, ut etiam Cl. Th. Bentleius reponendum conjecit. Noster de Divin. I, 49: « Disjunguntque se a societate divina, vinclis corporis impediti ». Pariter *compedes corporis* memorat infra, cap. 31. Davis. — Nos nihil videmus cur, si vulgo *corporis* scriberetur, Bentleius et Davius non conjicerent *carceris*.

XXXI. 1. *Philosophorum vita ... commentatio mortis est.* Plato in Phædone, p. 379, G. Τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος. Pari modo pag. 386. Theodoretus Ther. VIII, pag. 118: Πλάτων τὴν φιλοσοφίαν θανάτου μελέτην ἐκάλεσεν. Hieronymus ad Heliod. de morte Nepot. pag. 23, *Platonis sententia est*, omnem sapientium vitam, meditationem esse mortis. Et in Epitaph. Marcellæ, pag. 172: « Plato philosophiam meditationem mortis esse dixit ». Adi sis et lib. III adv. Ruffin. pag. 537; Apuleium de Habit. Doctr. Plat. pag. 619, et Julianum Orat. VI, pag. 190. Ab eo hanc philosophiæ definitionem mutuarunt Græci recentiores. Vide Joan. Damascenum Dial. capp. 3, 68; Porphyr. ap. Stobæum Serm. CXVII, pag. 600. Vide et sententias ad Intell. ducentes, § 9; Clementem Strom. IV, pag. 569; Nemesium Nat. Hom. pag. 98, et Synesium Dion. pag. 50. Hæc fit quum « peregre est animus sine corpore velox », ut loquitur Horatius, lib. I, Epist. XII, 13. Davis.

2. *Nec quidquam aliud est, quam emori discere?* Davis. et Wolf. e con-

remur[3], minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo quum venerimus, tum denique vivemus. Nam hæc quidem vita mors est[4]; quam lamentari possem, si liberet.

Aud. Satis quidem tu in Consolatione es lamen- 76
tatus: quam quum lego, nihil malo, quam has res relinquere; his vero modo auditis, multo magis. — Cic. Veniet tempus, et quidem celeriter, et sive retractabis, sive properabis[5]: volat enim ætas. Tantum

jectura Bentleii « nec quidquam aliud, est mori discere ». Idem Schütz. et Neid. sequuti sunt.

3. *Emissi feremur.* Cod. Vindobon. « quum emissi fuerimus ».

4. *Nam hæc quidem vita mors est.* Laudat Augustinus Epist. LII, ad Macedonium, pag. 80. A quamplurimis profertur illud Euripideum: Τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μὲν ἔστι κατθανεῖν, Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν... Vide Menagium ad Laertii IX, 73, et Gatakeri Advers. Post. cap. 16, pag. 565. Ex poetæ Phryxo an ex Hippolyto sumatur, incertum. Adi Scholia in Aristophanis Ranas, vss. 1114, 1525. Junœus apud Stobæum Serm. CXX, pag. 611: ὁ θάνατος ἄδηλον μὲν εἰ φύσιν ἔχει τῆς ἀληθοῦς ζωῆς, τοῦ ζῆν ὑπό τινων ἀποτεθνηκέναι λεγομένου. Huc apprime faciunt verba Platonis, quæ vel ibidem legas, vel in Gorgia, pag. 300, A, ed. Lugd. Dav. — Mox pro *satis quidem tu* al. *satis tu quidem*. Delabitur sensim sermo ad quæstionem propositam, mortem non esse malum, postquam antea quædam de Stoicorum placito dicta sunt, qui putabant animos quidem diu post mortem vivere, sed non semper. Neid.

5. *Sive retractabis, sive properabis.* Recte quidem nunc vulgo editur *retractabis*: quum veteres editiones et codices aliquot scripti *retardabis* habuerint: quod natum videtur ex illo altero *properabis*, cui scilicet contrarium et ἀντίθετον ponendum videbatur *retardabis*. Ceterum uno verbo feliciter restituto, de altero erat cogitandum. Quid enim est *properabis* ad mortem? hoc certe est voluntariam mortem ante diem sibi arcessere: quod hoc ipso loco auctor tanquam illicitum et nefarium damnat. Quid ergo? equidem corrigendum puto, « sive retractabis, sive obtemperabis »: quod si compendiose et cum P *optep.* scripseris, more in veteribus libris recepto, minimum aberravit a vulgata lectione. *Retractare* autem et *obtemperare* sunt plane antitheta: et sententia exsurgit aptissima. Moriendum, inquit, erit; seu iniquo animo et ingratiis, sive æquo et libenter; seu renuas et tergiverseris, sive pareas et morem geras. Huc apposite accedunt illa græca Cleanthis, quæ latine eleganter vertebat Seneca, Epist. cvii: « Duo me, parens celsique dominator poli, Quocumque placuit: nulla parendi mora est; Adsum impiger: fac nolle: comitabor gemens; Malusque

autem abest [ab eo] [6], ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear, ne homini nihil sit, non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud [7], potius : si quidem vel dii ipsi, vel cum diis futuri sumus. — Aud. Quid refert? adsunt enim [8], qui hæc non probent. — Cic. Ego autem numquam ita te in hoc sermone [9] dimittam, ulla uti ratione mors tibi [10] videri

patiar, quod pati licuit bono. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt ». Bentleius. — *Retrectabis* habent editiones quædam, aliæ *retractabis* : quæ verba tantumdem differunt, quantum *lavare* et *lavere*, *impartio* et *impertio*. Qui recusant stare pactis, facere aliquid, ire quopiam, etc. revocant, retrahunt, retractant dicta, manum, pedem, etc. Quid sit, *sive retractabis*, intelligere videor ex hoc Ovidii, Trist. I, 3, 55 : « Ter limen tetigi; ter sum revocatus : et ipse Indulgens animo pes mihi tardus erat ». Anonymus. — *Retardabis* placuit Wopkensio et nuper Heurichio Observv. pag. 111. — Davis. malebat *parebis* pro *properabis*.

6. *Tantum aut. abest ab eo*. Ernest. deleri voluit *ab eo*, quod Schützius fecit : Neid. uncis inclusit.

7. *Ut verear, ne homini nihil sit, non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud, potius*. Cod. Cantabrig. « sed certe potius nihil aliud bonum ». Unde scribo : « ut verear, ne homini nihil sit, non malum aliud (i. e. non dicam, malum aliud), sed certe nihil bonum aliud ». Voculam *potius* ab aliena manu esse judico. Nam quum post negandi particulam *non*, modo *sed certe*, modo *sed potius* dicatur; aliquis *potius* superscripsit, quod sensim in textum irrepsit. Rath. — Schützius et Neid. cum Wolfio « ne homini nihil sit non malum aliud, certe nihil bonum aliud potius ». — *Non malum aliud certe*. Hoc non capio, inquit Ernesti. Sensus est : Tantum abest, ut malum mors sit, ut pæne putem, homines quamcumque aliam rem malum, certe nihil aliud bonum potius (i. e. majus) præter mortem habituros. Neid. — Nos intelligimus : ut verear ne aliud nihil sit præter mortem, quod malum non sit, vel potius ne præter illam aliud bonum sit.

8. *Quid refert ? adsunt enim*. Scribo *quid refertur ?* i. e. quid est, quod possit ad hæc *responderi ?* Sic Cic. pro P. Quint. cap. 13. Rath. — Wolfius, probante J. V. L. distinguit : « A. Quid refert ? M. Adsunt enim, etc. » Eum Neid. sequitur, notans : *Quid refert ?* Est interlocutio auditoris : ad quam proxime sequentia non pertinent. Dicere enim tantummodo vult : nihil refert, utrum sit, dii, an cum diis, futuri simus. *Adsunt enim*. Est continuatio prioris orationis. Neid. — Schützius mallet : « At sunt enim qui hæc non probent. A. Quid refert ? M. Ego autem ». Davisius nulla distinctione usus est. — J. V. L. cum Boherio mallet *absunt enim*, quia nemo huic adest disputationi : sed vv. *adsunt enim* valent idem quod gallice : *il ne manquera pas de gens*.

9. *In hoc sermone dimittam*. « Ex hoc sermone » scribit D. Lambinus conjectura fretus. Dav.

10. *Ulla uti ratione mors tibi*. Vol-

malum possit. — Aud. Qui potest, quum ista cognoverim? — Cic. Qui possit, rogas? catervæ veniunt 77
contra dicentium, non solum[11] epicureorum, quos equidem non despicio[12], sed nescio quo modo doctissimus quisque contemnit[13]; acerrime autem deliciæ meæ, Dicæarchus contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim tres libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mitylenis sermo habetur; in quibus vult efficere animos esse mortales. Stoici autem usuram nobis largiuntur[14], tamquam cornicibus[15]: diu mansuros aiunt animos; semper, negant[16].

go, « ulla uti ratione, *ut* mors tibi videri malum possit ». Nos autem Manutium sequuti delevimus *ut*; latinitati enim et sensui cedant oportet librarii. Dav.

11. *Non solum*. Davis. *nec solum* cum Reg. med. Back. et ed. Victorii.

12. *Non despicio*. Dictum civiliter atque dissimulatione academica: atque hoc nobis optimum videtur, nec locus erat ut ceteri mutare vellent. Nam post Buherium Volfius dedit *respicio*, deleto postea *contemnit*, sequentibus Sch. et Neid. qui post *doctissimus quisque*, subaudiunt respicit, i. e. magnifacit. Ceterum rem dirimit et locum hunc vindicat locus lib. II, cap. 3, init. ubi dicit Noster de iisdem Epic. « quos non contemno equidem ... sed, etc. »

13. *Doctissimus quisque contemnit.* In antiquo libro non fuisse vocem ultimam testatur Manutius, et, ut illi videtur, recte. Sed nostri codices eam vocem retinent, nec est cur, iis renitentibus, ablegetur. Dav.

14. *Usuram nobis largiuntur.* Concedunt, nos diu sed nulla præstituta die, vita nostra usuros, tamquam re aliqua, quæ nobis tantum sit commodata, neque propria. Neid.

15. *Usuram nobis largiuntur, tamquam cornicibus.* Cornicum vivacitatem celebrant auctores bene multi. Hesiodus apud Plutarchum de Orac. def. pag. 415: Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη. Laudat et Etymologici M. scriptor in ἀγροτέρας ἐλάφους, et Scholiastes ad Aristophanis Aves, vs. 610. Latine sic reddit Auson. Idyll. XVIII, 3: « Hos novies superat vivendo garrula cornix ». Vide Ovidium Amor lib. II, El. VI, 35, et Plinium H. N. VII, 48. Dav. — Hinc « cornicum sæcla vetusta » memorat Lucretius, lib. V, et cornix Horatio, lib. III, Od. 17, v. 13, *annosa* dicitur, quo respexit Isidorus, Orig. lib. XII, cap. 7. Plura suppeditabit vir Cl. Joan. Clericus ad Pedonis Albinovani Eleg. II, 117.

16. *Diu mansuros aiunt animos; semper, negant.* E Stoicis nonnulli cunctorum animos tantisper manere sunt arbitrati; sed reliqui, stultorum brevi, sapientium vero mentes cum mundo simul interire statuerunt; ut patet ex Laertii VII, 157, ad quem locum videndus Menagius. Adi sis et Just. Lipsium Phys. Stoic. lib. III, c. 11, ac Th. Gatakerum ad Antonini IV, 21. Nos paucula, quæ doctissimos

XXXII. Num[1] vis igitur audire, cur, etiam si ita sit[2], mors tamen non sit in malis? — Aud. Ut videtur; sed me nemo de immortalitate depellet. — Cic.
78 Laudo id quidem : etsi nihil nimis[3] oportet confidere. Movemur enim sæpe aliquo acute concluso : labamus, mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus[4]. In his est enim aliqua obscuritas. Id igitur si acciderit[5], simus armati. — Aud. Sane quidem; sed, ne accidat, providebo.

illos viros fugerunt, hic apponemus. Tertullianus de Anim. cap. 54 : « Qui aliquod illi tempus indulgent, ab excessu usque in conflagrationem universitatis, ut Stoici, suas solas, id est, sapientium animas, in supernis mansionibus collocant ... Quos equidem miror, quod imprudentes animas circa terram prosternant, quum illas a sapientibus multo superioribus eruditi affirment ». Theodoretus Therap. V, pag. 72 : Οἱ δὲ Στωϊκοὶ τὰς χωριζομένας τῶν σωμάτων ψυχὰς, διαρκεῖς μὲν καθ' ἑαυτὰς ζῆν ἔφασαν· ἀλλὰ τὴν μὲν ἀσθενεστέραν ἐπ' ὀλίγον, τὴν δέ γε ἰσχυρὰν μέχρι τῆς τοῦ παντὸς ἐκπυρώσεως. Vide sis et pagg. 73, 74. Falsus autem est Epiphanius, qui lib. I, Hær. 5, Stoicos ἀθάνατον τὴν ψυχὴν ἡγεῖσθαι docet. Ita tamen Origenes etiam Philos. cap. 21. Idem innuit et Lactantius Div. Inst. lib. III, cap. 18, 5. Davis.

XXXII. 1. *Num vis*. Reg. Bak. Med. et Balliol. *num non vis*; unde Cl. Bentleius fecit *numne vis*, eumque sequor. Dav.

2. *Etiam si ita sit*. Etiamsi animi diu quidem, sed non semper, maneant. Nath.

3. *Etsi nihil nimis oportet confidere*. Post Victorium edidit Gebhardus « etsi nihil animis o. c. » manuscriptis suis serviliter addictus, quantovis detrimento sententiæ. Quid enim? « nihilne oportet animis confidere? » hoccine ut Cicero dixerit? Quid igitur tam longa hac disputatione actum est? quorsum illa, nisi ut spem nobis et fiduciam faciat immortalitatis animorum? Quo pacto autem *laudat* fiduciam interlocutoris, si *nihil* jubet confidere? Hæc sunt pugnantia. Quare revoca veterem lectionem ab Erasmo, Manutio et Lambino traditam : « Sed nihil nimis oportet confidere ». Recte quidem. Hoc enim caventis est et spem alentis ac corroborantis; illud contra spem omnem præcidentis et abnegantis. Bentleius. — Bentleium ceteri secuti sunt, Ern. excepto, qui *animis* retinuit. — *Confidere*, sc. nobis. Nath. — Rathius, quum *nihil nimis* latinum esse neget, conj. *non ita nimis*.

4. *Mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus. In his est enim aliqua obsc.* P. Manut. conjiciebat « mutamusque sententiam : clarioribus etiam in rebus inest aliqua obs. » — Sententia academicorum est, in rebus omnibus, etiam clarioribus, esse obscuritatem aliquam.

5. *Id igitur si acciderit*. Ut veniant contra dicentes, ut moveamur aliquo acute concluso, ut labemus, simus armati : nihil itaque *nimis* confidamus; sed arma etiam paremus. Anon.

Cic. Num quid igitur est causæ [6], quin amicos nostros [7] stoicos dimittamus? eos dico, qui aiunt animos manere, e corpore quum excesserint, sed non semper. — Aud. Istos vero [8]: qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiant [9], posse animum manere corpore vacantem; illud autem, quod non modo facile ad credendum est, sed eo concesso, quod volunt, consequens, id certe non dant [10], ut, quum diu permanserit, ne intereat. — Cic. Bene [11] reprehendis; et se isto modo res habet. Credamus igitur [12] Panætio, 79

6. *Num quid igitur est causæ.* Nulla esse videur causa, cur non Stoicos dimittamus, i. e. negligamus, eorumque placita de statu animorum post mortem vilipendamus. Nein.

7. *Amicos nostros.* Quia in ceteris horum librorum partibus eos presse Cicero sequitur: nam ipse academicus erat.

8. *A. Istos vero.* Buberius, quem in contextu Oliv. sequitur, hæc cum præcedentibus usque ad vv. *Bene reprehendis* Ciceroni tribuebat, auditori vero vv. *bene repr... res habet*, ceteris Ciceroni addictis. Sed Oliv. in nota profitetur se malle eam distinctionem, quam nos cum ceteris sequuti sumus.

9. *Qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiant.* Mallem *suscipiunt;* sequitur enim, « illud autem ... non dant ». Davis. — Sensus est: Stoici id, quod difficillimum est in omni de immortalitate animi disputatione, animum posse remanere post mortem sine corpore, concedunt et admittunt; id autem quod sumpto illo, facile inde sequitur, animum tunc et semper manere, admittere nolunt, et putant animum, si aliquamdiu permanserit, interire. Nein.

10. *Id certe non dant.* Davisius legit *idcirco non dant.* Hanc, inquit, lectionem adferunt Reg. Pall. quinque, Vatic. Med. Bak. Eliens. tert. et Balliol. Dav.

11. *Bene reprehendis.* Laudat auditorem magister, quod tam bene intellexerit inconstantiam Stoicorum. Nein.

12. *Credamus igitur Panætio, a Platone suo dissentienti?* Panætius, licet Stoicus, animum cum corpore mori judicavit; id quod eleganter ostendit Auctor Epigrammatis Anthol. lib. I, cap. 44, cui titulus, εἰς τὸν Φαίδωνα διάλογον Πλάτωνος ΝΟΘΕΥΟΜΕΝΟΝ ὑπὸ Παναιτίου. Id sic se habet: Εἴ με Πλάτων οὐ γράψε, δύω ἐγένοντο Πλάτωνες· Σωκρατικῶν ὀάρων ἄνθεα ταῦτα φέρω· Ἀλλὰ ΝΟΘΟΝ μ' ἐτέλεσσε Παναίτιος· ὅς ῥ' ἐτάλασσε Καὶ ψυχὴν θνητὴν κάμὲ νόθον τελέσαι. Quid autem doctissimo Menagio facies, qui ad Laertii III, 62, hinc statuit fuisse, qui Phædonem, Panætii Stoici esse contenderunt? Scilicet eum ipsa res abunde refellit; ex eo vero natus est error, quod νοθευόμενον pro *supposito* vel *adulterato* sumpserit, quum *spurium habitum* denotet: ut apud Athenæum, lib. X, pag. 455, C: οἱ νοθεύοντες Λάσου τοῦ Ἑρμιονέως τὴν ἄσιγμον ᾠδήν, sunt ii, qui oden illam

a Platone suo dissentienti? quem enim omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, hujus hanc unam sententiam de immortalitate animorum non probat. Vult enim, quod nemo negat, quidquid natum sit, interire; nasci autem animos, quod declaret eorum similitudo [13], qui procreantur; quæ etiam in ingeniis, non solum in corporibus appareat. Alteram autem affert rationem : nihil esse, quod doleat, quin id ægrum esse quoque possit; quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum; dolere autem animos; ergo etiam interire.

80 XXXIII. Hæc refelli possunt [1]. Sunt enim ignorantis [2], quum de æternitate animorum dicatur, de mente dici, quæ omni turbido motu semper vacet, non de partibus iis, in quibus ægritudines, iræ, libidinesque versentur; quas is [3], contra quem hæc dicuntur, semotas a mente, et disclusas putat [4]. Jam [5] similitudo

nothum esse statuunt. Sic et alibi non raro. Dav.

13. *Eorum similitudo, qui procreantur.* Davis. *procreentur* e Reg. et Bak. ceteris eum non sequentibus. — Int. similitudo, quam habent ii qui procreantur, cum iis a quibus procreati sunt. Agitur autem de similitudine ingenii et indolis, quæ, si reipsa exstitit, argumentum dat, animum filii ex animo patris ortum esse; atqui si nascitur animus, interire debet.

XXXIII. 1. *Hæc refelli possunt.* Confutat ita jam Cicero illos Stoicorum syllogismos et quidem alterum prius. Falsum est, ægritudinem tribuere illi animi parti, quæ omni turbido motu semper vacat ac de cujus immortalitate proprie quæritur. Secundum Platonem (vide sup. § 20) sunt partes tres animi; in parte illa potiori non inveniuntur ægritudines: Ergo etiam, id quod Stoicus inde colligi posse putat, interire non possunt. Neid.

2. *Sunt enim ignorantis.* Talia is tantummodo dicere potest, qui ignorat, etc. Neid.

3. *Quas is*, sc. Plato, a quo Panætius recessit; *contra quem hæc*, sc. argumenta Panætii contra immortalitatem animorum.

4. *Semotas a mente, et disclusas putat.* Plato videlicet in capite rationem ponit; iram vero in pectore locat, cupiditatem subter præcordia. Vide supra cap. 10, et Diogenem Laertium, III, 67. Davis.

5. *Jam similitudo.* Schützius, suasu Ernestii, addidit *ingenii*, quod certe subaudiri debet, si non additur.

magis apparet in bestiis[6], quarum animi sunt rationis expertes[7]. Hominum autem similitudo in corporum figura magis exstat : et ipsi animi, magni refert, quali in corpore locati sint. Multa enim e corpore exsistunt, quæ acuant mentem; multa, quæ obtundant. Aristoteles quidem ait[8], « omnes ingeniosos melan« cholicos esse : » ut ego me tardiorem esse non moleste feram. Enumerat multos; idque quasi constet, rationem, cur ita fiat, affert. Quod si tanta vis est ad habitum mentis in iis, quæ gignuntur in corpore (ea sunt autem, quæcumque sunt, quæ similitudinem faciant[9]): nihil necessitatis affert, cur nascantur[10] animi, similitudo.

Omitto dissimilitudines[11]. Vellem adesse posset Pa- 81

Jam valet : quod pertinet ad similitudinem, ea magis, etc.

6. *Magis apparet in bestiis.* Quia quodque bestiarum genus peculiarem instinctum habeat, peculiaremque indolem, quæ in omnibus individuis ostendatur, et a qua nulla bestia recedat.

7. *Quarum animi sunt rationis expertes.* Hoc in loco Cicero negat bestiis esse mentem intelligentia præditam. Idem asserit Legg. lib. I, cap. 7; sed Nat. Deor. III, 9, utpote academicus, nulli opinioni assentiens, ait : « in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria ».

8. *Aristoteles quidem ait.* Hoc ponit et rationibus confirmat Stagirita Problem. XXX, quæst. 1. Seneca de Tranq. cap. 15 : « Aristoteli nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit ». Plutarchus in Lysandr. pag. 334: Ἀριστοτέλης δὲ τὰς μεγάλας φύσεις ἀποφαίνων μελαγχολικάς, ἱστορεῖ καὶ Λύσανδρον οὐκ εὐθύς, ἀλλὰ πρεσβύτερον ὄντα, τῇ μελαγχολίᾳ περιπεσεῖν. Phavorinus etiam Philosophus in eadem, ac Aristoteles, fuit hæresi. « Scitote, inquit, tamen intemperiem istam, quæ μελαγχολία dicitur, non parvis nec abjectis ingeniis accidere, ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωϊκόν ». Apud A. Gellium N. A. lib. XVIII, cap. 7. Dav.

9. *Faciant.* Wolf. Schütz. *faciunt.*

10. *Cur nascantur animi, similitudo.* Jactat D. Lambinus se restituisse « cur nascantur animi, similitudo »; sed non erat, cur ob eam emendationem superbiret vir doctissimus : ita enim jamdudum correxerat P. Manutius, quod verbulo notasse candidi fuit ingenii. Codices omnes quum nostri, tum aliorum, vulgatam lectionem « cur nascatur animi simil. » constanter exhibent; nec male quidem si modo, virgula immissa, legas « cur nascatur, animi similitudo ». Davis. — Et hoc Davis. in contextum intulit. Ceteri P. Manutium secuti sunt.

11. *Omitto dissimilitudines.* Hoc Bentleius invexit, quum vulgo scrib.

nætius. Vixit cum Africano [12]. Quærerem ex eo, cujus suorum similis fuisset Africani fratris nepos [13], facie vel patris; vita, omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus. Cujus etiam similis, P. Crassi, et sapientis, et eloquentis, et primi hominis, nepos, multorumque aliorum virorum clarorum, quos nihil attinet nominare, nepotes et filii. Sed quid [14] agimus? oblitine sumus, hoc nunc nobis esse propositum, quum satis de æternitate dixissemus, ne si [15] interirent quidem animi, quidquam mali esse in morte? —

similitudines, quam lect. damnavit; primo quod *similitudines* h. l. sunt argumenta Panætio, nec liceat disputanti dicere se omittere objectiones quibus lacessitur, quum eas debeat refellere; secundo quia pergit auctor in seqq. argumentum a similitudine ductum refellere. Sed h. l. *similitudines* bene stare possunt si intelligeres « sed quid de similitudinibus loquor? Vellem, etc. » Contra, admisso *dissimilitudines*, non potest exsistere sensus quem vindicat Bentleius, sc. *omitto dissimilitudines*, quales sunt Africani et Crassi cum suis filiis et nepotibus: nam nulla est h. l. forma prætermissionis, quæ hæc, aut simile quid, esse debuisset: omitto dissimilitudines: non quæram a Panætio cujus suorum similis fuerit, etc. Bentleium tamen fere omnes sequuti sunt.

12. *Vixit cum Africano.* Velleius Paterculus, I, 13: « Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ et auctor et admirator fuit, ut Polybium, Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit ». Vide Plutarchum, tom. II, pag. 777, et Menagium ad Laertii VII, 39. Parum suo generi respondere liberos, exemplis ostendunt Josephus Ant. Jud. VI, 3, § 2; Hieronymus ad Furiam Epist. X, pag. 81, et Spartianus in Severo, pag. 72, ed. Paris. Vide et Stobæum Serm. LXXXV. Davis.

13. *Africani fratris nepos.* Fabius Q. Fabii Allobrogici, nepos Q. Fabii Æmiliani, qui frater Africani fuit: uterque enim Pauli Æmilii filius; et alter ab Africani majoris filio, alter a Q. Fabio Maximo, Verrucosi filio est adoptatus. P. Manut. — *Africani fratris nepos.* Qui fuerit nescio. Africani frater Paullus aliquis fuit. Nec magis constat de P. Crassi nepote. Ernest.

14. *Sed quid agimus ... reperiemur.* Toto hoc capite Cicero ea quæ ad confirmandam propositionem, mortem esse malum, afferuntur, infringere atque refutare annititur. Dicunt nimirum adversarii: ipse discessus e vita et a tot bonis, quæ sunt in ea, est malum ... carendum est in morte vitæ bonis ... odiosum est, sine sensu esse ... miserum est ante tempus mori. Nein.

15. *Ne si interirent.* Ordo verborum grammaticus est: Ne quidem in morte, si interirent animi, quidquam esse mali. Neid.

Aud. Ego vero memineram : sed te de æternitate dicentem aberrare a proposito facile patiebar.

XXXIV. Cic. Video te alte spectare[1], et velle in cælum migrare. — Aud. Spero fore, ut contingat id nobis. 81
Sed fac, ut isti volunt, animos non remanere post mortem. Video nos, si ita sit, privari spe beatioris vitæ. — Cic. Mali vero quid affert[2] ista sententia? Fac enim sic animum interire, ut corpus. Num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem dicit; etsi Democritum insimulat Epicurus; Democritici negant[3]. Ne in animo quidem igitur sensus remanet. Ipse enim nusquam est. Ubi igitur malum est? quoniam nihil tertium[4] est. An, quoniam ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore? Ut credam[5] ita esse; quam est id exiguum! Et falsum[6] esse arbitror; et fit plerumque sine sensu; nonnumquam etiam cum voluptate : totumque hoc leve[7] est, qualecumque est. Fit enim ad punctum

XXXIV. 1. *Video te alte spectare.* Video te immortalitatis esse cupidissimum. Nein.

2. *Mali vero quid affert.* Confutat jam primam objectionem, ipsum discessum et e vita et ab omnibus, quæ quæ sunt in ea bona, malum esse. Quod ad prius attinet, inquit, discessus e vita quidem cum dolore conjunctus esse potest, sed is perquam exiguus est; fortasse vero fit sine sensu adeo cum voluptate, et ad punctum temporis. Quod vero ad discessum a bonis vitæ attinet, tantum abest, ut bonorum vitæ major sit pars, ut potius omnis vita hominis malis referta dici queat. Hoc exemplis illustratur eorum, quorum interfuit mori. Nein.

3. *Democritici negant.* In Eliensi sec. legitur, « statim Democritici negant »; sed is codex nimia est interpolatus, quam ut soli tuto credatur. Respexit autem, nisi fallor, Epicurus ad « reviviscendi promissam Democrito vanitatem »; de qua Plinius H. N. lib. VII, cap. 55. Davis.

4. *Nihil tertium.* Præter corpus et animum. Nein.

5. *Ut credam ita esse.* Malim, « ut cedam ita esse »; nam « cedere proprie dicitur, qui contra sententiam suam alteri consentit », ut ait Servius ad Æn. II, 704. Dav.

6. *Et falsum.* Buherius, Wolf. Schütz. Neid. *at falsum.*

7. *Totumque hoc leve est, qualecumque est. Fit enim ad punctum temporis.* Considera sodes illud *qualecumque.* Id eam enim vim in hoc loco habet, quasi diceret, « Tantum hoc leve est, quantumvis grave sit » : quo quid

83 temporis. — Aud. Illud angit, vel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quæ sunt bona in vita. — Cic. Vide, ne a malis dici verius possit. Quid ego nunc lugeam vitam hominum? Vere et jure possum[8]. Sed quid necesse est, quum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriorem? Fecimus hoc in eo libro[9], in quo nosmet ipsos, quantum potuimus, consolati sumus. A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quærimus. Hoc quidem[10] a cyrenaico Hegesia[11] sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemæo[12] prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod multi, his au-
84 ditis, mortem sibi ipsi consciscerent. Callimachi quidem epigramma[13] in Ambraciotam Cleombrotum est:

putidius et absurdius dici potest? Sine dubio scripsit Cicero, « Totum hoc breve est, qualecumque est ». Hoc est: Seu grave sit, ut illi contendunt, seu exiguum, ut ego quidem existimo; certe breve est: cur? quia fit ad punctum temporis. Bentleius. — *Breve* dant Bak. et Eliens. pr. pro varia lectione. Dav. — Schütz. et J. V. L. inutilem putant Bentleii conjecturam.

8. *Vere et jure possum*. Si humanæ conditionis incommoda depicta videre cupias, adi Plinium H. N. lib. VII, Procem. et Æschinis Axiochum, capp. 7, seqq. Huc spectant, quæ dicit Artabanus apud Herodotum, lib. VIII, cap. 46; Origenes in Cels. lib. II, pag. 85, et Stobæus Serm. CXIX. Davis.

9. *In eo libro*. In Consolatione, cujus jam antea mentionem fecit. Nein. — Mox Davis. *nosmet ipsi*.

10. *Hoc quidem*. Davisius *et hoc quidem*, e cod. Reg. et uno Lambini.

11. *A cyrenaico Hegesia*. Plutarch. περὶ φιλοστ. pag. 497, D. Ἡγησίας διαλεγόμενος πολλοὺς ἐποίησεν ἀποκαρτερῆσαι τῶν ἀκροωμένων. Valerius Maximus, lib. VII, cap. 9, 3 ext. « Hegesias Cyrenaicus sic mala vitæ repræsentabat, ut, eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret. Ideoque a rege Ptolemæo ulterius hac de re disserere prohibitus est ». Hinc πεισιθάνατος est dictus, uti docent Laertius, II, 86, et Suidas in Ἀρίστιππος. Dav.

12. *A rege Ptolemæo*. Vid. Excursus II.

13. *Callimachi quidem epigramma*. Vide Callimachi Epigr. XXIV, et ibi notata; non enim repetemus, quæ jampridem observarunt eruditi. Nonnus ad Gregorii Nazianzeni Stelit Hist. I, 16: Κλεόμβροτος Ἀμβρακιώτης ἐντυχὼν τῷ Φαίδωνι, τῷ περὶ ψυχῆς διαλόγῳ Πλάτωνος, καὶ μαθὼν, ὡς ἄμεινόν ἐστι τῇ ψυχῇ ὁ χωρισμὸς τοῦ σώματος, ἔῤῥιψεν ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ τείχους καὶ τέθνηκεν. Hinc Ovidius in

quem ait, quum nihil ei accidisset adversi, e muro se in mare abjecisse, lecto Platonis libro. Ejus autem, quem dixi, Hegesiæ liber est, Ἀποκαρτερῶν[14], quod a vita quidam per inediam discedens, revocatur ab amicis : quibus respondens, vitæ humanæ enumerat incommoda. Possem id facere; etsi minus, quam ille, qui omnino vivere expedire nemini putat. Mitto[15] alios. Etiamne nobis expedit, qui et domesticis[16], et foren-

Ibin, vs. 495 : « Vel de præcipiti venias in Tartara saxo, Ut qui Socraticum de nece legit opus ». Lactantius Div. Inst. lib. III, cap. 18 : « Quod Ambraciotes ille, qui quum eumdem librum (Phædonem) perlegisset, præcipitem se dedit nullam aliam ob causam nisi quod Platoni credidit ». Sed philosophi mentem nullus cepit iste Cleombrotus, quod etiam vidit Augustinus de C. D. lib. I, c. 22; nam Plato mortem tantum philosophicam intelligit, « quæ fit quum anima adhuc in corpore constituta corporeas illicebras, philosophia docente, contemnit », ut fuse docet Macrobius in Somn. Scip. lib. I, cap. 13. Adde quæ diximus ad hujusce libri cap. 30. Dav. — Legitur hoc epigramma apud Callimachum, Ep. XXIV, his verbis: Εἴπας, Ἥλιε χαῖρε, Κλεόμβροτος Ὡμβρακιώτης Ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀΐδην. Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ Πλάτωνος Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος. Ceterum Buberius ad h. l. docet e Scylacis Geographi Periplo, murum intelligi non urbis Ambraciæ, quippe quæ 80 stadiis a mari distaret, sed portus. Nain. — *Ambracia*, Epiri urbs est, Pyrrhi olim regia, ut inquit Livius.

14. Ἀποκαρτερῶν. Ante Victorium alii legebant ἀποκαρτερώτατος, unde Camer. faciebat ἀποκαρτερήσαντος. — Hac voce significatur is, qui cibo abstinet, ut a vita per inediam discedat; non *intolerantissimus*, ut imperite censuit Aldus nepos. Contrario prorsus vitio Metaphrastes Athenæi, lib. VI, cap. 5, pag. 234, ἀποθανεῖν ἀποκαρτερήσαντα, vertit « mortem æquo animo tulisse ». Debuit *inedia periisse*. Timocles in Canniis apud eumdem, pag. 240 : ... Οὐκ ἀπεκαρτέρησε γὰρ Ἐκεῖνος, ἀλλ' ἐκαρτέρησ', ὦ φίλτατε, Πίνων. Quem quidem locum recte cepit idem interpres. Tertullianus Apol. cap. 46 : « Lycurgus apocarteresin optavit, quod leges ejus Lacones emendassent ». Vide Quintilianum Inst. Orat. lib. VIII, cap. 5; Lucianum Macrob. tom. II, pag. 473; Arrianum Epict. lib. II, cap. 15, pag. 210, et Diogenem Laertium, lib. VI, § 94. Dav. — Pro *quod a vita*, quod sequitur, Davisius suadente Bentleio dedit *in quo a vita*.

15. *Mitto alios.* De aliis affirmare nequeo, an vivere iis expediat, necne, quæro modo, an mihi ? Nam si prius quam res meæ fractæ cecidissent, obiissem, mors a malis non a bonis me abstraxisset. Nain.

16. *Domesticis.* Propter filiam Tulliam morte amissam, qua occasione etiam librum de Consolatione scripsit. Qui liber est inter eos quos tempus nobis invidit. Nain.

sibus [17] solatiis ornamentisque privati, certe, si ante occidissemus, mors nos a malis, non a bonis abstraxisset?

85 XXXV. Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna vulnus acceperit. Metellus ille honoratis [1] quatuor filiis : at quinquaginta [2] Priamus; e quibus septem et decem [3], justa uxore nati. In utroque eamdem habuit fortuna potestatem; sed usa in altero est [4]. Metellum enim multi filii [5], filiæ, nepotes,

17. *Forensibus.* Quia republ. per Cæsarem oppressa nulla ei esset occasio, publice in foro dicendi. Neid.

XXXV. 1. *Honoratis quatuor filiis.* Vulgo *honoratus.* Nec aliter exhibent Codices. At hoc de Metelli filiis dici videtur : quapropter διόρθωσιν Bentleianam recipere non sum veritus. Cicero Fin. V, 27 : « Q. Metellus tres filios consules vidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem prætorem ». Adi sis etiam Velleium Paterculum, lib. I, cap. 11, 6; Valerium Maximum, lib. VII, cap. 1, 1; et Plinium H. N. lib. VII, § 45. De *honoratis* bene multa notavit Henr. Valesius ad Amm. Marcellini XV, 5, quibus adde Tacitum, Hist. I, 77. Dav. — Anonymus apud Oliv. defendit *honoratus* loco allato de Off. III, 16, « ut enim ceteri ex patribus, sic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus »; additque : « si pater non honorabatur filiis, cur inductum fuit jus trium liberorum ? » — *Quatuor filiis.* Dissentiunt scriptores in numero filiorum Metelli; alii quatuor, alii sex ei fuisse perhibent. Vid. H. N. 7, 13, coll. 44. Neid.

2. *At quinquaginta Priamus.* Sic Virgilius, Æneid. lib. II, vs. 205 : « Quinquaginta illi thalami spes tanta nepotum ». Cf. Iliad. Z, 243. Neid.

3. *E quibus septem et decem ... nati.* Davisius scribit *septemdecim.* Sic, inquit, recte Ven. 1491, et Erasmi Frobeniana, nec aliter edidit Lambinus. Vulgo, « quibus septem et decem ... natis »; ac ita fere MSS : sed parum, ut videtur, commode. Porro Noster memoria lapsus est, nisi forte librariis debeatur error; nam Hecuba Priamo XIX liberos peperit. Vide Homerum Il. Ω, 496; Scholiasten ad Euripidis Hecub. vs. 419, et Tzetzem Chil. VII, 344. Fatendum tamen inter auctores de numero filiorum non convenire. Theocritus Idyll. XV, 139 : Οὐδ' Ἕκτωρ Ἑκάβας ὁ γεραίτερος ΕΙΚΑΤΙ παίδων. Ubi vide Scholiasten. At Apollodorus, Bibl. lib. III, cap. 11, § 5, quatuordecim tantum memorat. Davis. — Davisium Wolf. Schutz. Neid. sequuntur.

4. *Sed usa in altero est.* Pall. tres *seclusa*, quam lectionem veritus est in textum recipere Janus Gebhardus. Et merito quidem; nam plane est inepta, licet eam quoque repræsentent Eliens. pr. tert. Balliol. Bak. et Petrens. a prima manu. Si enim fortuna in altero *seclusa* est, fieri nequit, ut in utroque eamdem habuerit potestatem. Dav.

5. *Metellum enim multi filii.* Hujus felicitatem commemorant Noster de

neptes in rogum imposuerunt: Priamum tanta progenie orbatum, quum in aram confugisset, hostilis[6] manus interemit. Hic si vivis filiis, incolumi regno occidisset;

Adstante ope barbarica [7],
Tectis cælatis, laqueatis [8]:

utrum tandem a bonis, an a malis discessisset? Tum profecto videretur a bonis. At certe ei melius evenisset, nec tam flebiliter illa canerentur,

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari [9],
Jovis aram sanguine turpari.

Fin. lib. V, cap. 27; Valerius Maximus lib. VII, cap. 1, aliique. Vide G. I. F. Vossium ad Velleii Paterculi lib. I, cap. 11. Dav.

6. *Hostilis manus.* Manus Pyrrhi s. Neoptolemi, Achillis filii. Vid. Æn. II, 550 sqq. Neid.

7. *Adstante ope barbarica.* Janus Gulielmius legit *ac stante:* nec aliter exhibet Eliens. tert. Inepte tamen, ut patet ex lib. III, cap. 19, ubi rursus laudantur. *Barbarica* vero, non *maxima* denotat, quod perperam statuit Hier. Columna ad Ennii Fragm. pag. 237, sed *Phrygia; quia* πᾶς μὴ Ἕλλην βάρβαρος; *nam et* Homerus *Phrygas* barbaros *appellat.* Ita loquitur Servius ad Æn. II, 504. Ovidius in Epist. Helenæ Paridi, vs. 63: « Si jam divitiis locus hic numeroque virorum Vincitur; at certe barbara terra tua est ». Quin et Paris apud Lucianum in Dearum Jud. pag. 226, se βάρβαρον vocat. Vide et pag. 277. Sic et Trojanos Hector apud Euripidem in Rheso, vs. 404. Dav. — Ceterum hic locus et proxime sequens depromptus est ex Andromache Enniana. Neid.

8. *Tectis cælatis, laqueatis.* Hic et lib. III, cap. 19, repono *lacuatis*, ut habet Servius ad Æn. I, 726, ubi sic ait: « Legitur et lacuaribus. Cicero Tusculanarum, Tectis cælatis, lacuatis ». Ita sane antiquitus scribebant, quum *lacus* hujusce vocis sit origo, quemadmodum tradit doctissimus Grammaticus, ex quo sua descripsit Isidorus Origin. lib. XIV, cap. 8, ac lib. XIX, cap. 12. Adi Lambinum ad Horat. Od. lib. II, 16. — Hæc Davis. In prima ed. sed postea melius censuit auctorum usui *laqueatus* scribentium obtemperare. — Tecta laqueata sive lacunaria sunt tecta lignis transversis in quadratas depressiones s. loculamenta (lacus, lacunas) divisa, quæ auro, coloribus, picturis illustrabantur. Græcis est φάτνωμα. Neid.

9. *Vitam evitari.* Antiquis *evitare* idem erat ac occidere. Apuleius Met. lib. III: « Nec enim verisimile est hominem solitarium tres tam validos evitasse juvenes ». Vetus Gloss. Ἐναρίζω, *evito*. Sensu eodem usurpavit Plautus verbum *invitare*, Casin. III, 6, 21: « gladium Ancilla Casinam intus habere ait, qui me atque te invitet ». Burm.

Quasi vero ista[10], vel quidquam tum potuerit ei melius accidere. Quod si ante occidisset, tamen[11] eventum omnino amisisset[12] : hoc autem tempore sensum malorum amisit.

86 Pompeio nostro familiari, quum graviter ægrotasset Neapoli, melius est factum[13]. Coronati[14] Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani; vulgo ex oppidis publice gratulabantur[15]. Ineptum sane negotium, et græculum[16], sed tamen fortunatum. Utrum igitur, si

10. *Quasi vero ista, vel quidquam.* Legerim « quasi vero ista vi quidquam »; quam Petr. Crassi, Viterbiensis Episcopi, conjecturam calculo suo probarunt P. Manutius, H. Stephanus, D. Lambinus, alii. Dav. — Schütz. cum Wolf. et Neid. Davisium sequuti sunt; et certe vulgata quem sensum habere possit non videmus.

11. *Tamen eventum.* Henr. Stephanus Castig. pag. 103 reponit *tum eventum*, et ita dant MSS Bak. et Balliol. Legerim ipse, *quod si ante occidisset* (sic Victor. Eliens. pr. sec. et Bak. non *accidisset* ut vulgo) *talem eventum omnino amisisset.* Vide Juvenalem Satir. X, 258. Dav. — Schütz. cum Wolf. recepit *tum eventum.* Sed nobis *tamen* stare posse videtur, ita ut referri debeat ad præcedd. *potuerit ei melius* hoc sensu : Quid ista vi *tum* potuit ei melius accidere? Fateri tamen debemus melius etiam ei futurum fuisse si antea occidisset, itaque spectaculo tantarum miseriarum caruisset. Sed, quum ea vidisset, mors ei malorum sensum abstulit, ideoque tum etiam maxime fuit opportuna.

12. *Eventum ... amisisset.* I. e. omnino tam diu non vixisset, ut eventum belli videre potuisset; quamdiu enim viveret, spes ei erat, fore ut hostes a se vincerentur. Nath. — Non hic certe sensus est; sed Cicero voluit affirmare opportuniorem ei futuram fuisse mortem ante occasum Trojæ, quod miserum ejus eventum non vidisset, attamen et Troja deleta ei adhuc fuisse opportunam. Sic v. *amittere* apud Sallustium sine ulla significatione desiderii, « amittere ærumnas, egestatem ». Schützius deleri vellet *amisisset*, quod latere dicit in sequenti *amisit.*

13. *Pompeio ... melius est factum.* Convaluit, pristinam valitudinem recuperavit Pompeius. Eodem modo loquitur Arnobius lib. VII, pag. 306. Dav. — Paullo ante alii *ægrotaret.*

14. *Coronati Neapolitani.* Coronas in publica lætitia gestas fuisse docebit inter alios Car. Paschalius de Coron. lib. II, cap. 11. Dav.

15. *Gratulabantur.* Ob præcedens *fuerunt* Rathius, ne sic tempora mutentur, conj. *venerunt ... gratulatum.* Idem abjici vult vv. *nimirum etiam Puteolani*, ut debitas glossatori quidam, qui meminerat finitimos quoque et omnino omnem Italiam venisse Pompeio gratulatum.

16. *Et græculum.* Hæret quoque his in vv. Rathius, quia simili totius Italiæ congratulatione sibi oblata Cicero ipse alias gloriatus sit : sed h. l.

tum esset exstinctus, a bonis rebus, an a malis discessisset? Certe a miseris[17]. Non enim cum[18] socero bellum gessisset; non imparatus arma sumpsisset; non domum reliquisset; non ex Italia fugisset; non, exercitu amisso, nudus in servorum ferrum et manus incidisset; non liberi defleti[19]; non fortunæ omnes a victoribus possiderentur. Qui, si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset: is propagatione vitæ quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates[20]!

forsan solum Cic. reprehendit missos fuisse ex oppidis ad Pompeium legatos, qui orationes recitarent: atque hoc Noster negotium græculum vocat.

17. *Certe a miseris. Non enim cum socero*, etc. Bak. et Med. habent *miseriis*, quod lubens amplector. Sic autem hac de re Velleius Paterculus, lib. II, cap. 48: « Pompeius, si gravissima tentatus valitudine decessisset in Campania (quo quidem tempore universa Italia vota pro salute ejus ... suscepit), defuisset fortunæ destruendi ejus locus; et, quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos ». Huc pertinentia Juvenalis et Plutarchi loca citarunt ejus interpretes; prætermitti vero non debuit Seneca Cons. ad Marciam, cap. 20: « Si, inquit, Cn. Pompeium ... Neapoli valitudo abstulisset, indubitatus populi R. princeps excesserat. At nunc exigui temporis adjectio fastigio illum suo depulit. Vidit legiones, etc. » Certe nihil « nisi longa vita magnum modo Pompeium vertenti præbuit fortunæ », prout ait Livius, IX, 17. Dav.

18. *Cum socero*. Cæsare cujus filia Julia Pompeio nupta erat. Neid.

19. *Defleti*. Quum Davis. in ed. sec. e MS Norvic. reposuisset *deleti*, a Bentleio sic est admonitus: « Cnæus, inquis, et Sextus Pompeius nonnisi post obitum patris sunt interfecti ». Nescio an quid velis recte intelligam. Quippe, opinor, eam ipsam ob rationem, non quadrat huc illud *deleti;* Cicero enim hic de iis *calamitatibus* loquitur, quas ipse *hausit* Pompeius. Sed interitus filiorum, nihil quidquam attingebat patrem, qui tum e vita excesserat, et malorum sensu carebat. Quid, quod ne Ciceroni quidem, nedum Pompeio convenit, quam substituis, lectio. Sextus enim Pompeius, alter ex Pompeii liberis, Ciceroni ipsi superstes fuit, et res magnas gessit per annos bene multos. Qui ergo hic dicere potuit, *liberi deleti?* Quare nolim sollicitari lectionem vulgatam: *defleti* enim a Pompeio liberi, utpote jam omnibus præsidiis nudati, et ruinis patris sine dubio obruendi; quippe, ut græco versu dicitur, Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει. — Wolf. tamen, Schütz. et Neid. *deleti* reposuerunt.

20. *Hausit calamitates*. Pertulit, subiit. Eliens. tert. et alii nonnulli *auxit*. Perperam. Cicero pro Domo sua, cap. 11: « Si utile Reip. fuit, haurire me unum pro omnibus illam indignissimam calamitatem ». Servius ad Æn.

XXXVI. Hæc morte effugiuntur, etiam si non evenerint, tamen quia possunt evenire. Sed homines ea sibi accidere posse non cogitant. Metelli sperat sibi quisque fortunam: proinde quasi aut plures fortunati sint, quam infelices, aut certi quidquam sit in rebus humanis, aut sperare sit prudentius, quam timere.

87 Sed hoc ipsum concedatur [1], bonis rebus homines morte privari: ergo etiam [2] carere mortuos vitæ commodis, idque esse miserum? Certe ita dicant necesse est [3]. An potest is, qui non est, re ulla carere? Triste enim est [4] nomen ipsum carendi, quia subjicitur hæc vis: Habuit, non habet; desiderat, requirit, indiget. Opinor, hæc incommoda sunt carentis. Caret oculis, odiosa cæcitas; liberis, orbitas [5]. Valet hoc in vivis:

III, 603: « Veteres dicebant, cladem hausi, id est, pertuli ». Vide et Statium Theb. I, 369; Claudianum Bell. Gildon. vs. 37; Tacitum Hist. III, 84, IV, 32; denique Amm. Marcellinum, XXI, 5. Pariter Græci. Lucianus de merc. cond. tom. I, pag. 458: Προὐκρίθης ἀνδρῶν πολυετῆ δουλείαν ΗΝΤΛΗΚΟΤΩΝ. Euripides Cyclop. vs. 110: Παπαῖ· τὸν αὐτὸν ΔΑΙΜΟΝ' ΕΞΑΝΤΛΕΙΣ ἐμοί· Et ἀντλεῖν τύχην dixit Æschylus Prom. Vinct. vs. 375. Vide sis et Choeph. vs. 746. Dav.

XXXVI. 1. *Sed hoc ipsum concedatur.* Progreditur jam ad alteram objectionem: carere vitæ commodis miserum esse. Concedamus autem, inquit, quod antea negatum fuerat, homines morte bonis privari, hoc saltem concedi nullo modo potest, mortuos vitæ commodis carere, et hoc carere esse miserum aliquid. Nam mortui, quia non sunt, carere aliqua re dici non possunt. Nam qui caret, non habet, quæ desiderat; desiderium autem non est in mortuo quia sensu destituitur, ergo etiam carere dici nequit. Obiter vis ac potestas vocis *carere* explicatur. Nizo.

2. *Ergo etiam carere mortuos vitæ commodis, idque esse miserum? certe ita dicant, necesse est.* Vulgo notam interrogandi prætermittunt, quam commode post Erasmum adjecit Cl. Bentleius. Alioquin enim mortuos *carere* vitæ commodis, adeoque miseros esse concederet Cicero; et eo modo sua ipse cæderet vincta. Dav. — Post *ergo etiam* subaudi *concedetur.* — *Sed hoc ipsum.* Ita lego, atque interpungo: « Sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte privari. Ergo etiam carere mortuos vitæ commodis, idque esse miserum (certe ita dictum) necesse est ». Bouhierius.

3. *Certe ita dicant necesse est.* Nam nihil aliud jam habent quod possint dicere, quo probent mortem esse malum.

4. *Triste enim est.* Involvit tristem aliquam significationem. Nizo.

5. *Orbitas*, sc. odiosa.

mortuorum autem non modo vitæ commodis, sed ne
vita quidem ipsa quisquam caret. De mortuis loquor,
qui nulli sunt. Nos, qui sumus, num aut[6] cornibus
caremus, aut pennis? sit, qui id dixerit, certe nemo.
Quid ita? quia quum id non habeas, quod tibi nec
usu, nec natura sit aptum, non careas, etiam si sen-
tias, te non habere. Hoc premendum etiam atque 88
etiam est argumentum, confirmato illo, de quo, si
mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin
tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem
suspicio sensus relinquatur. Hoc igitur probe stabilito
et fixo, illud excutiendum est, ut sciatur, quid sit ca-
rere, ne relinquatur aliquid erroris in verbo. Carere
igitur hoc significat, egere eo, quod habere velis.
Inest enim velle in carendo, nisi quum sic, tamquam
in febri[7], dicitur, alia quadam notione verbi. Dicitur
enim alio modo etiam carere, quum aliquid non ha-
beas, et non habere te sentias, etiam si id facile pa-
tiare. Carere enim in malo[8] non dicitur. Nec[9] enim

6. *Nos, qui sumus, num aut cornibus caremus, aut pennis? sit, qui id dixerit, certe nemo.* Davisius scribit: « Nos, qui sumus, num, aut si cornibus caremus aut pinnis, sit qui id dixerit? certe nemo ». Idem notat: Ex Eliens. sec. legendum *etsi cornibus;* postulante sensu. Similiter Plutarchus: Κεράτων γοῦν καὶ πτερῶν οὐδεὶς ἐνδεὴς ἄνθρωπός ἐστιν, ὅτι μηδὲ δεῖται τούτων, etc. Advers. Stoicos, pag. 1068, C. Dav. — Schütz. cum Wolf. dederunt *etsi.*

7. *Tamquam in febri.* His adnectunt quidam MSS, « qua carere jucundum », quod glossema videtur a sciolo nescio quo intrusum: licet id probare videatur Hadr. Turnebus Advers. X, 16. Cicero Fam. Epist. XVI, 15: « Mihi nuntiavit te plane febri carere ». Corn. Fronto apud A. Gell. XIX, 8: « Morbo quidem, inquit, cares, sed verbi vitio non cares ». Et alibi sæpe. Lucretius tamen, II, 4: « Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est ». Sic etiam Lactantius Div. Inst. III, 8, et Seneca Epist. CXVII. Vide et Horatium Epod. XVI, 16. Sed alia in his locis est verbi notio. Dav.

8. *Carere enim in malo.* Davis. scribit *carere in morte*, deleto *enim* auct. Reg. Eliens. tert. et Cantab. dicitque vulg. esse *carere en. in morte* Wolf. Schütz. Neid. *carere in malo.*

9. *Nec enim esset dolendum.* Vulgo *non.* Nos Reg. Med. et Eliens. pr. sequimur. Dav. — Davis. ceteri sequuti sunt.

esset dolendum. Dicitur illud, bono carere, quod est malum. Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget: sed in vivo intelligi tamen potest, regno carere[10]; dici autem hoc in te satis subtiliter[11] non potest; posset in Tarquinio, quum regno esset expulsus. At in mortuo ne intelligi[12] quidem potest. Carere enim, sentientis est; nec sensus in mortuo; ne carere quidem igitur in mortuo est.
89 Quamquam quid opus est in hoc philosophari, quum rem non magnopere philosophia egere videamus?

XXXVII. Quoties non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt[1]? quæ quidem si timeretur, non L. Brutus, arcens eum reditu tyrannum[2], quem ipse expulerat, in prælio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho[3] nepos, se hostium telis objecissent; non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paullum et Ge-

10. *Regno carere.* Davisius dedit *regno te carere,* auctoritate Reg. Med. Bak. Eliens. tert. et Balliol. eum Wolf. Neid. Sch. sequuti sunt.

11. *Subtiliter.* Si accurate et philosophice loqui velis. Neid. — Mox pro *posset* Ern. sine libris reposuit *potuisset.*

12. *At in mortuo ne intelligi quidem potest.* Davisius fide codicum *potest* delevit; et merito, ut nobis videtur; nam, hoc deleto, melius hæc sententia præcedenti cohæret « sed in vivo intelligi tamen potest ». Davisium Wolf. Schütz. Neid. sequuntur.

XXXVII. 1. *Concurrerunt.* Edd. vett. *cucurrerunt.* — Habuit ex Catonis Originibus. Is apud Nostrum de Senect. cap. 20: « Recordor ... legiones nostras (quod scripsi in Originibus) in eum sæpe locum profectas alacri animo et erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur ». Vide sis infra cap. 42. Dav.

2. *Eum red. tyrannum.* Tarquinium Superbum.

3. *Cum Pyrrho nepos.* Licet plerique scriptores patrem tantum et filium se pro patria devovisse memorent (qua de re, præter Historicos, vide Nostrum de Senect. cap. 20; Senecam, Epist. LXVII; Servium ad Æn. VI, 825, et Scholiasten Juvenalis ad Sat. VIII, 254); Cicero tamen de Fin. lib. II, cap. 19, de Nepote sic loquitur: « Neque porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens consul cecidisset in prælio, seque e continenti genere tertiam victimam Reip. præbuisset ». Cum eo facit etiam Zonaras Annal. VIII, 5. Dav.

minum Cannæ, Venusia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum. Num quis horum miser hodie? ne tum quidem post spiritum extremum : nec enim potest esse miser quisquam, sensu perempto.

Aud. At id ipsum odiosum est[4], sine sensu esse. — 90
Cic. Odiosum, si id esset carere. Quum vero perspicuum sit, nihil posse in eo esse, qui ipse non sit: quid potest esse in eo odiosum, qui nec careat, nec sentiat? Quamquam hoc quidem nimis sæpe[5]; sed eo, quod in hoc[6] inest omnis animi contractio ex metu mortis. Qui enim satis viderit, id quod est luce clarius, animo, et corpore consumpto, totoque animante deleto, et facto interitu universo, illud animal, quod fuerit, factum esse nihil, is plane perspiciet, inter Hippocentaurum[7], qui numquam fuerit, et regem Agamemnonem, nihil interesse; nec pluris nunc facere M. Camillum

4. *At id ipsum odiosum est.* Ed. Ven. 1491 : « At ipsum odiosum est », et sic a prima manu Petrensis, eamque lect. exhibet Des. Erasmus. Davisius in prima ed. dederat « at id ipsum quidem » ex MS Norvic. quo rotundior fieret oratio. Ceterum hæc verba *in* ed. Manutii Ciceron*i*, non auditori, tribuebantur, sine distinctione : locum restituit Ursinus e suo MS ; lepide observans : Quid autem opus est dialogo, si quis velit sibi objicere? — *At id ipsum*. Tertia objectio. Odiosum est sine sensu esse. Hoc verum esset, si sine sensu esse, idem esset ac carere sensu. Nᴇɪᴛ.

5. *Nimis sæpe*, scilic. a nobis repetitur.

6. *Quod in hoc inest*. Sed ea de causa hoc facio, quod *in* hoc, sc. quod non satis reputemus, nos semel mortuos nec carere, nec sentire, inest, etc.

7. *Inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit*. Quidam Hippocentauros volunt filios esse Centaurorum, quod et Diodorus memorat. Fabula ex eo nata quod primi equitare ausi sint, veluti ἵππος, *id* est, equus et homo copulati essent. Apud Xenophontem ait Chrysantas, se ex omnibus animantibus maxime diligere Hippocentauros, si modo fuerunt : quippe qui tum prudentia hominis uterentur, manuumque artificio, tum haberent equi velocitatem et vires. Lucretius argumentatur Centauros esse non posse compactos ex naturis dissimilibus ; quo concesso, consectarium est, nec Hippocentauros fuisse, utpote ex Centauris progenitos. Claudius Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse, tamquam ἡμερόβιον, id est, vitæ dialis. Plinius refert se vidisse Hippocentaurum in melle allatum Claudio principi ex Ægypto. Bᴇʀᴏᴀʟᴅ. — Discrepantes auctorum sententias de Hippocentauris

hoc civile bellum[8], quam ego, illo vivo, fecerim Romam captam[9]. Cur igitur et Camillus doleret, si hæc post trecentos et quinquaginta fere annos eventura putaret; et ego doleam[10], si ad decem millia annorum gentem aliquam urbe[11] nostra potituram putem? Quia tanta caritas patriæ est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur.

91 XXXVIII. Itaque non deterret sapientem mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet, propter brevitatem[1] vitæ numquam longe potest abesse, quo minus in omne tempus reipublicæ suisque consulat, et posteritatem ipsam, cujus sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Quare licet, etiam mortalem esse animum judicantem[2], æterna moliri, non gloriæ cupiditate, quam sensurus non sis[3], sed virtutis, quam necessario gloria, etiam si tu id non agas, consequatur. Natura vero sic se habet, ut, quo modo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors. Ut nihil[4] pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil

suppeditabit Cl. Bochartus Hieroz. part. II, lib. VI, cap. 10. DAV.

8. *Hoc civile bellum.* Quo respublica nunc conflagrat.

9. *Romam captam.* A Gallis, duce Brenno.

10. *Et ego doleam.* Davisius in primis ed. dederat *et ego cur doleam* e MS Norvic.

11. *Urbe nostra.* Lallem. Oliv. et Dav. *urbem nostram*, qui Davis. notat in ed. pr. MS Norvic. *petituram* : Petrensis « urbe nostra potituram », eoque modo ediderunt uterque Manutius, ac Des. Erasmus : memores nempe non erant, accusativum casum huic verbo adjungi posse. Scriptor Bell. Hispan. cap. 13 : « Oppidum potiri posse se sperarent ». Hirtius Bell. Afric. cap. 87 : « Postquam castra non potuerant potiri ». Sic alibi passim loquuntur præstantissimi scriptores, ut ostendimus ad illius libri cap. 36. Vide et G. J. Vossium de Construc. cap. 22.—Wulf. et Neid. Davisium secuti sunt, non Schützius, qui cum Ern. retinuit *urbe nostra.*

XXXVIII. 1. *Propter brevitatem.* Ven. 1, 2, Mediol. 1, 2, Junt. al. *et propter brevitatem.*

2. *Judicantem.* Ern. malebat *judicanti.*

3. *Sensurus non sis.* Vulgo *sit.* Nos Cl. Bentleio credimus. DAVIS. — Sch. et Neid. *non sit.*

4. *Ut nihil. Quæ ut nihil* ed. Ven. 1, 2, Med. 1, 2, quod sine causa placuit Reiskio.

post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, quum mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos? Alteri nulli sunt, alteros non attingit[5].

Quam qui[6] leviorem faciunt, somni simillimam vo- 92
lunt esse : quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, quum sexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne sues quidem id velint, non modo[7] ipse. Endymion vero[8], si fabulas audire volumus, nescio quando[9], in Latmo obdormivit, qui est mons[10] Cariæ: nondum, opinor, est experrectus. Num igitur eum curare censes, quum Luna laboret[11], a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur? Quid curet

5. *Alteros non attingit.* Male vulgo cum Reg. Med. Bak. et Ven. 1491, *attinget*; omnes enim, qui jam vivunt, serius ocius mortem subeant necesse est. Æschines Axiocho, cap. 14 : Θάνατος περὶ τοὺς ζῶντας οὐκ ἔστιν, οἱ δὲ ἀποθανόντες οὐκ εἰσίν· ὥστε οὔτε περὶ σὲ νῦν ἐστιν, οὐ γὰρ τέθνηκας· οὔτε, εἴ τι πάθοις, ἔσται περὶ σέ, σὺ γὰρ οὐκ ἔσῃ. Laudat et Stobæus, CXIX, pag. 607. Hanc in rem multa Plutarch. Cons. ad Apoll. pag. 109, 110. Dav.

6. *Quam qui... videas esse nullum.* Sunt qui putent mortem esse somnum. Sicuti vero in somno omni sensu destituti sumus, ita et in morte. Nein.

7. *Quasi vero quisquam.....non modo ipse.* Lambinus auctoritate libri veteris tres voces ultimas ejecit. Eas tamen retinent omnes nostri, nec temere rejiciendas puto. Similis plane locus exstat de Fin. V, 20. Dav. — Rathius legi vult *nedum ipse.* Ad idem redit vulgata, quæ valet « non solum non ego, sed etiam non sues id velint ». — *Non modo ipse.* Id est, non modo ego ipse, tamquam homo, nolim; sive : nedum ego ipse velim.

8. *Endymion vero.* Nota est fabula, cujus rationes varias reddunt varii. Vide Plin. Hist. Nat. II, 9, ac ibi Harduinum; Lucian. de Astr. tom. I, pag. 852; Anonymum de Incred. cap. 12; Artemidorum Oneir. lib. IV, cap. 49, pag. 229; Heraclitum de Incred. cap. 38, et Scholiasten Apollonii Rhodii ad lib. IV, 57. Dav.

9. *Nescio quando.* Davisius, quem Wolf. Sch. et Neid. sequuti sunt, scripsit : « ut nescio quando, etc. » cum Reg. Gryph. El. uno et Balliol. Iidem post *Cariæ* sola virgula distinguunt.

10. *Qui est mons Cariæ.* Hæc grammatici cujusdam scholion esse putat Ant. Augustinus. Ei non assentior, parique jure « fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit », quæ leguntur cap. 39, glossematis possint damnari. Dav.

11. *Luna laboret.* Labores lunæ vocantur eclipses, seu deliquia lunæ, quia erat superstitio vulgi lunam tunc contra magorum incantationes laborare, quas aeris concussi tinnitu frangi posse putabant. Nein.

autem, qui ne sentit quidem? Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. Et dubitas, quin sensus in morte nullus sit, quum in ejus simulacro videas esse nullum sensum[12]?

93 XXXIX. Pellantur ergo[1] istæ ineptiæ pæne aniles, ante tempus mori, miserum esse. Quod tandem tempus? Naturæne? At ea quidem dedit usuram vitæ, tamquam pecuniæ, nulla præstituta die[2]. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quum vult? ea enim conditione acceperas. Iidem[3], si puer parvus occidit, æquo animo ferendum putant; si vero in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius[4] exigit natura, quod dederat. Nondum gustaverat, inquiunt[5], vitæ

12. *Esse nullum sensum?* Abest vox *sensum* ab antiquo, et recte, ut opinor. Ursin.

XXXIX. 1. *Pellantur ergo.* Est quarta objectio de brevitate vitæ humanæ deprompta. Multi homines, inquiunt adversarii, mature defunguntur vita. His respondet: natura nobis vitam quasi commodavit non ad præstitutum tempus: licet ei itaque repetere eam, quando vult. Nerm.

2. *Usuram vitæ, tamquam pecuniæ, nulla præstituta die.* Hunc locum sic imitatus est Pedo Eleg. I, 369: « Vita data est utenda, data est sine fœnore nobis Mutua, nec certa persolvenda die ». Seneca Cons. ad Polyb. c. 29: « Si quis pecuniam creditam solvisse se moleste ferat, eam præsertim, cujus usum gratuitum acceperit, nonne injustus habebitur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit et tibi; quæ suo jure usa, a quo voluit, debitum suum citius exegit ». Vide et Cons. ad Marciam, cap. 10, ac Plutarchum Cons. ad Apoll. p. 106, 116. Dav.

3. *Iidem.* Iidem, qui de vitæ brevitate queruntur putant, mortem pueri parvi æquo animo ferendam, de morte infantis autem ne querendum quidem. In hoc sibimet ipsis contradicunt; nam si tantum esset malum mature mori, cur mortem infantis minus acerbam censent, quam pueri? Nerm.

4. *Acerbius.* Crudelior est natura in infantem, quam in puerum, ergo mors ejus magis esset dolenda. Nerm.

5. *Inquiunt.* Davisius habet *inquit*, notatque: Nos Reg. Med. Balliol. Eliens. tert. et Bak. merito sequuti sumus; scriptores enim hac utuntur formula, quum sibi quidpiam opponi fingunt. Vide sis eruditissimum Bentleium ad Horatii lib. I, Serm. IV, 79. Clemens Hom. III, cap. 17: Ἀλλὰ, ΦΗΣΙΝ, ἁμαρτήσαντα κατέλειπεν τὸ θεῖον πνεῦμα. Iterum Hom. IV, 21: Ἀλλὰ διὰ τί, ΦΗΣΙΝ, ὁ ἀνὴρ σὺ πολεμεῖ; ac Hom. X, c. 23: Ναὶ, ΦΗΣΙΝ, ἀλλὰ προνοίᾳ αὐτῶν ἐφωράθησαν. Sic et Hom. XI, capp. 7, 9, 10, etc. In hisce locis, ut apud Ciceronem, indefinite sumitur. Adi et Des. Heraldum ad Arnobii lib. I, p. 12. — Davisium Wolf. Schütz. Neid. sequuti sunt. Rath. verbum deleri vult, et hæc

suavitatem; hic autem jam sperabat magna, quibus frui cœperat. At id quidem ipsum[6] in ceteris rebus melius putatur, aliquam partem, quam nullam, attingere; cur in vita secus? Quamquam non male ait Callimachus[7], multo sæpius lacrymasse Priamum, quam Troilum.

Eorum autem, qui exacta ætate moriuntur, fortuna 94
laudatur. Cur? nam, reor, nullis[8], si vita longior daretur, posset esse jucundior. Nihil est enim profecto homini prudentia dulcius; quam, ut cetera[9] auferat,

Ciceroni, non objicienti, tribui; male, ut attente perpendenti patebit.

6. *At id quidem ipsum*. Davisius delet *ipsum* auctorit. Reg. Eliens. tert. et Balliol.— Ex hoc errore quem sup. nota monuimus, Rath. vult scribi *et* vel *ac id quid. ips.*

7. *Non male ait Callimachus, multo sæpius*, etc. Plutarchus Cons. ad Apoll. p. 113, E, Μεῖον γὰρ ὄντως Τρωΐλος ἐδάκρυσεν ἢ Πρίαμος. Si Callimachi verba repræsentavit philosophus Chæronensis, ita distingue : Μεῖον γὰρ ὄντως Τρωΐλος γ' ἐδάκρυσεν ἢ Πρίαμος. Dav.—Laudat J. V. L. inscriptionem antiquam tumulo virginis impositam, desumptam a collectione Fabretti, p. 377 : hujus hi sunt versus ultimi; « Infelix, ævo tam cito quæ caruit, An felix, ægræ potius subducta senectæ? Sic Hecuba flevit Penthesilea minus ».

8. *Cur? nam, reor, nullis*. Sic omnes nostri, præterquam quod in Petrensi sit *nullus*, at hoc exscriptoris incuriæ est imputandum. Vulgg. « Cur? nam, reor, non illis », unde Paullus Manutius, extrita particula negante, reponit « Cur? nam, reor, illis », nec aliter Joach. Camerarius, qui ait, εἰρωνικῶς hoc pronuntiandum; sentit enim posse vitam admodum esse in longitudine jucundam. Verum hæ puræ putæ aberrationes sunt censendæ. Ex ea scriptura proclive fuit emendare *non ullis*, quemadmodum edidit D. Lambinus, et ita MS Colon. Editio Paris. 1562, quam curavit nescio quis Leodegarius a Quercu, habet « Cur nam? reor enim illis »; contra fidem codicum, ac parum quidem commode. Dav.—Buherius statuit leg. esse « Cur? nam reor, illis ». — Sic potius credas Ciceronem scripsisse : « Eorum autem qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur. M. cur? A. Nam, reor, illis si vita longior daretur, posset esse jucundior; nihil est enim profecto homini prudentia dulcius; quam, ut cetera auferat, affert certe senectus. M. Quæ vero ætas longa est? » Paane. —Cujus hallucinatio ita arrisit Bipontinis, ut eam in textu expresserint.— *Cur?* Quid est, cur tantopere laudetur? tantum enim abest, ut senes, quamvis diutissime vixerint, libenter moriantur, ut potius nulla re magis lætaturi sint, quam si iis vita longior concederetur. Dolenda potius itaque esset eorum mors, quia ægrius eam ferunt. Nkin.

9. *Quam, ut cetera auferat, adfert certe senectus*. Expressit illud Menandri apud Stobæum Serm. CXIV, p. 585 : Εἰ τἄλλ' ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς εἴω-

affert certe senectus. Quæ vero ætas[10] longa est? aut quid omnino homini longum? nonne modo pueros, modo adolescentes, in cursu, a tergo insequens, nec opinantes assequuta est[11] senectus? Sed quia ultra nihil habemus, hoc longum ducimus[12]. Omnia ista, perinde ut cuique data sunt, pro rata parte[13], a vita, aut longa, aut brevia dicuntur. Apud Hypanim fluvium[14], qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait[15] bestiolas quasdam nasci, quæ unum diem

θεν χρόνος ἡμῶν, τό γε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ. Vide sis Euripidem Phœniss. vs. 531. Dav.

10. *Quæ vero ætas l. est?* Diuturnitas ac brevitas vitæ relative tantummodo dicuntur. Longissima vita cum æternitate comparata brevis est: vita hominis cum vita ephemeri comparata, æternitas erit. Neid.

11. *Modo pueros... assequuta est.* Hæc a poeta quodam desumpta putant: sic Bentl. constituit: « Modo pueros, modo adolescentes, in cursu a tergo insequens, Nec opinantes assequuta est ». Davisius, Schütz. Neid. eum sequuti sunt.

12. *Ducimus.* Davis. et Schütz. *dicimus* e Reg. Med. Balliol. Eliens. tert.

13. *Pro rata parte, a vita, aut longa.* Hæc est vulgata et plerorumque MSS lectio. In qua sane *a vita* ineptum videtur, nec audiendus h. l. Davis. qui prima in ed. dicebat sæpe *vitam* poni pro *hominibus*, quod ipse parum h. l. convenire sensit; nam postea ex uno Eliens. edidit « pro rata parte, ita longa »; eumque Schütz. et Neid. sequuti sunt. Oliv. omnino expunxit *a vita.*

14. *Hypanim fluvium.* De hoc Propertius, « Quantum Hypanis veneto dissidet Eridano ». Ex magna Scythiæ palude profluit, quæ, ut ait Herodotus Hist. IV, vocatur mater Hypanis: fit amarus ob fonticulum qui eum influit, in tantum, ut ejus aquæ fiant ingustabiles. Hunc Solinus ait principem esse amnium Scythicorum. Bar.

15. *Aristoteles ait.* Ejus hæc sunt verba lib. V Histor. Anim. cap. 19: Περὶ δὲ τὸν Ὕπανιν ποταμὸν τὸν περὶ βόσπορον τὸν Κιμμερικὸν, ὑπὸ τροπὰς θερινὰς καταφέρονται ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ οἷον θύλακοι μείζους ῥωγῶν· ἐξ ὧν ῥηγνυμένων ἐξέρχεται ζῶον πτερωτὸν τετράπουν· ζῇ δὲ καὶ πέτεται μέχρι δείλης· καταφερομένου δὲ τοῦ ἡλίου, ἀπομαραίνεται καὶ ἅμα δυομένου ἀποθνήσκει, βιοῦν ἡμέραν μίαν, διὸ καὶ καλεῖται ἐφήμερον, quæ tantum non exscripsit Plin. H. N. lib. XI, c. 36, nisi quod hanc volucrem ἡμερόβιον vocatam testetur. Meminit etiam Plutarchus Cons. ad Apoll. p. 111. Ælianus H. A. lib. V, cap. 43: Περὶ τὸν Ὕπανιν ποταμὸν γίνεσθαι τὸ ζῶον τὸ ΜΟΝΗΜΕΡΟΝ οὕτω καλούμενον Ἀριστοτέλης φησὶ, τικτόμενον μὲν ἅμα τῷ κνέφαι· ἀποθνήσκειν δὲ ἐπὶ δυσμὰς ἡλίου τρεπομένου. Quæ verba sua fecit Apostolius Cent. IX, 41. Hoc autem animal ἐφήμερον vocat ex Aristotele Athenæus lib. VIII, pag. 353. Hesychius: Ἐφήμερον... ζῶον οὕτω καλούμενον, ὅπερ ζῇ μίαν ἡμέραν. Vide sis

vivant. Ex his igitur, hora octava quæ mortua est, provecta ætate mortua est; quæ vero occidente sole, decrepita; eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate : in eadem propemodum brevitate, qua illæ bestiolæ, reperiemur.

XL. Contemnamus igitur[1] omnes ineptias (quod 95
enim levius[2] huic levitati nomen imponam?); totamque vim bene vivendi in animi robore, ac magnitudine, et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia, et in omni virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus molestissimis[3] effeminamur, ut, si ante mors adventet, quam Chaldæorum[4] promissa consequuti sumus[5], spoliati magnis quibusdam bonis,
illusi, destitutique videamur. Quod si exspectando et 96
desiderando pendemus animis[6], cruciamur, angimur: proh dii immortales! quam iter illud jucundum esse debet[7], quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit!

Antigonum Carystium Histor. Mir. c. 92, et cl. Gatakerum ad Antonini IV, 35. Dav.

XL. 1. *Contemnamus igitur... humine an sublime putrescat.* Adhortatio ne hoc inepto mortis metu a recto vitæ usu absterreri nos patiamur. Exempla Theramenis, Socratis et aliorum, qui conscii præclare factorum, fortiter diem supremum obierunt. N.

2. *Levius.* Davisius, Wolf. Schütz. Neid. *lenius*, probante J. V. L.

3. *Molestissimis.* Dav. *mollissimis.*

4. *Chaldæorum promissa.* Chaldæorum prædictiones de fatis hominis a stellarum motu. Nein. — Vid. Cic. de Div. I, 1, 41; Diod. Sic. II, 29; Strabo XVI, p. 739, ed. Cas. Tac. Hist. I, 22; Suet. Aug. 94, Tib. 36.

5. *Consequuti sumus.* Wolf. Schütz. Neid. *cons. simus.*

6. *Pendemus animis.* Ursinus ex suo MS reponit *animi.* Nec in dubium potest revocari, quin latina sit hæc locutio. Vide modo Tusc. lib. IV, c. 16, et lib. I de Legg. cap. 3. Sed non minus latius est vulgata lectio, quam retineri jubet reliquorum librorum consensus. Nonius in *Eventus;* Cicero consulatus sui lib. II : « Atque animo pendens noctu eventa timebat ». Lucretius lib. VI, 50 : « Pavidis quum pendent mentibu' sæpe, Efficiunt animos humiles formidine divum ». Igitur frustra fuit magnus ille Criticus J. Fr. Gronovius, qui ad Livii VII, 30, φράσιν hanc ex hoc Ciceronis loco et ex altero Curtii sublatam voluit. Davis.

7. *Quam iter illud jucundum esse debet.* Ita nunc et superiore sæculo editum est ex codicibus, ut aiunt, MSS.

Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! Etsi enim flemus, quum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. Qui quum conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum, venenum ut sitiens obduxisset[8], reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret; quo sonitu reddito, arridens, « Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ[9], » qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conviviis[10] solent nominare, cui poculum tradituri sint. Lusit vir egregius extremo spiritu, quum jam præcordiis conceptam mortem contineret; vereque ei, cui venenum[11] præbiberat,

At editiones principes verbo auctiores sunt: « Quam optabiliter iter illud jucundum esse debet ». Unde hoc prodiit? certe non a correctoribus: quia vel prima fronte absurditatem suam prodit. Ergo veri est similius, ut verbum tam aperte mendosum potius ab his ejiceretur ex textu, quam ab illis textui insereretur. Videtur ab auctoris manu sic fuisse, « Quam optabile iter illud et jucundum esse debet ». Sic alibi junxit duo illa *optabile* et *jucundum*, de Fin. I, 6, et ep. Fam. V, 12. Bentl. — *Iter illud*, mortis scil. tempus ipsum. Nein.

8. *Obduxisset.* Nonnulli codices *obbibisset*, vel *ebibisset*, ex glossemate. Veram lectionem primus reposuit Pet. Victorius. Seneca de Prov. cap. 3: « Male tractatum Socratem judicas, quod illam potionem publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit? » Sic « mulsi pultarium obducere » dixit Petronius Sat. cap. 42. Dav.

9. *Propino... hoc pul. Critiæ.* Xenophon lib. II Ἑλλην. p. 470: Τὸ λειπόμενον ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα εἰπεῖν αὐτὸν (Theramenem), Κριτίᾳ τοῦτ' ἔςω τῷ καλῷ. Historiam refert etiam Valerius Maximus lib. III, cap. 2, 6, ext. Vide et Plutarchum Cons. ad Apoll. p. 105, B, et Suidam in Θηραμένης. Dav.

10. *Græci enim in conviviis.* Athenæus lib. XI, p. 498: Ἐν Ἰλιάδι (I, 224) Πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας δείδεκτ' Ἀχιλῆα· πληροῦντες γὰρ προέπινον ἀλλήλοις μετὰ ΠΡΟΣΑΓΟΡΕΥΣΕΩΣ. Quum tamen hicce mos inter reliquos Græcos obtinebat, eo Lacedæmonii non sunt usi; quod ostendit idem lib. X, p. 432. Dav.

11. *Cui venenum præbiberat.* Vulgo, « qui venenum præbuerat ». Elegantem J. M. Bruti notam hic legisse non pœnitebit. « *Cui venenum*, inquit, *præbiberat* habet Gryphii liber; quæ mihi germana lectio, atque eadem clarissima videtur; nam verbum *præbuerat*, quum ad Critiam referendum sit cujus fuerat sententia Theramenes damnatus, haud satis apte quadrare videtur. Est enim *præbere*, ejus qui manu tradit et porrigit; non ejus, qui aliquid præbendum alteri dat. Etsi autem non ignoro verbum *præbibere* non temere apud classicos auctores inveniri; non video tamen, quum minime analogiæ ratio repugnet et sit verbi compositio haud invenusta, cur non debeat cuivis, optimo exemplari

mortem est eam auguratus, quæ brevi consequuta est [12]. Quis hanc animi maximi æquitatem [13] in ipsa 97
morte laudaret, si mortem, malum judicaret?

Vadit in eumdem [14] carcerem, atque in eumdem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere judicum, quo tyrannorum, Theramenes. Quæ est igitur ejus oratio, qua facit eum Plato [15] usum apud judices, jam morte multatum?

XLI. « Magna me, inquit [1], spes tenet, judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim, sit alterum de duobus; ut aut sensus omnino omnes mors auferat, aut in alium quemdam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem, sive sensus exstinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnumquam, etiam sine visis somniorum [2], placatissi-

et vetustissimo suffragante, probari. Certe ne cui mea fides auspecta sit, locum viris doctissimis ostendi, de quorum sententia ita mihi esse edendum exsistimavi ». Hæc eruditus ille vir. Accedunt fere Pall. tert. quart. Reg. et Eliens. prim. in illis enim est « qui venenum præbiberat ». Ignota tamen aliis auctoribus non est *præbibendi* vox. Apuleius Metamorph. X, pag. 334 : « Simul, quod ei præbiberim, commoneto ». Hieronymus Epist. XXII, p. 142 : « Aliæ vero sterilitatem præbibunt, et necdum sati hominis homicidium faciunt ». Ac Epist. LXV, p. 485 : « Nec venena jam timebo, quum antidotum præbibero ». Haud sane Romanis est aliud verbum mere latinum, quo Græcorum προπίνειν exprimant. Dav. — Schützius et Neid. Davisium sequuti sunt.

12. *Quæ brevi consequuta est.* Cecidit enim in prælio, quod XXX tyranni contra Thrasybulum commiserunt. Neid.

13. *Quis hanc animi maximi æquitatem.* At Reg. et Eliens. tert. *maximi animi*; unde cum clar. Bentleio, « maximam animi æquitatem » scripsit Davisius, non sequentibus ceteris.

14. *Vadit in eumdem.* Reg. Med. Eliens pr. tert. Balliol. Cantab. et Bak. dant, *vadit enim in eumdem.* Lege *autem.* Dav.

15. *Facit eum Plato.* Apolog. Socr. p. 93, t. I, ed. Bip. Neid.

XLI. 1. *M. me, inquit, spes.* Exstant in Apol. Platonis, p. 368, edit. Lugd. Eorum nonnulla proferunt Eusebius Præp. Evang. lib. XIII, c. 10, p. 661, 662; Stobæus Serm. CXIX, p. 605, et Theodoretus Therap. XI, p. 157. Dav.

2. *Sine visis somniorum.* Pal. tert. « sine lusis somniorum ». Ven. 1491, « sine uisis somniorum », quod mendum videtur typographicum. MS Norvic. exhibet « sine visis oculorum »; sed receptam lectionem tuentur Platonis græca, p. 368, G, « Ἐπειδὰν τις

mam quietem affert: dii boni! quid lucri est mori[3]? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui si similis[4] futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? Sin
98 vera sunt, quæ dicuntur, migrationem esse mortem, in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt: id multo jam beatius est, te[5], quum ab iis, qui se judicum numero haberi velint[6], evaseris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum; convenireque eos[7], qui juste, et cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo[8], Musæo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem

καθεύδων μηδ' ὄναρ μηδὲν ὁρᾷ, eamque ceteri codices confirmant stabiliuntque. Dav.

3. *Quid lucri est mori?* Alii, *quid lucri est emori?*

4. *Cui si similis.* Quum olim *si* abesset, et post vv. *cons. temp.* poneretur nota interrogationis Bentl. notavit: Impedita sane oratio; adde quoque, scabrosa et aspera. « Cui nocti, ait, similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis ». Atqui illud non pro concesso sumendum erat, sed probatione indigebat. Illud deinde, quam ex abrupto, « Quis me beatior? » non agnosco Ciceronem ita temere et intempestive exclamantem. Lege vero, et distingue, me fidejussore: « Quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur? Cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? » Illud *si* hic absorptum est a sequente syllaba, prorsus ut supra, c. 25, « An animæ sit ignisve, nescio ». Dav. — Bentleium Davisius et ceteri sequuntur.

5. *Te, quum.* etc. Davisius scribit *tene quum*, e cod. Reg. puncto maximo ante hæc vv. posito, atque interrogationis nota post *Triptolemum*, et *vixerint* addita. Eum ceteri non secuti sunt.

6. *Velint.* Sic Ern. correxit; alii, *volunt.*

7. *Convenireque eos.* A Platonis græcis nonnihil abit Noster. Haud tamen legerim « heroumque eos », quod timidiuscule proposuit J. F. Gronovius ad Senecæ Herc. Furent. vs. 744. Dav.

8. *Ut vero colloqui cum Orpheo*, etc. Eadem Cercidæ fuit opinio. Ælianus V. H. lib. XIII, cap. 20: Ἀνὴρ Μεγαλοπολίτης ἐξ Ἀρκαδίας, Κερκιδᾶς ὄνομα, ἀποθνήσκων ἔλεγε πρὸς τοὺς οἰκείους, ΕΝΘΥΜΟΥΜΕΝΟΣ ἡδέως ἀπολύεσθαι τοῦ ζῆν· δι' ἐλπίδος γὰρ ἔχειν συγγενέσθαι τῶν μὲν σοφῶν Πυθαγόρᾳ, τῶν δὲ ἱστορικῶν Ἑκαταίῳ, etc. ubi mire se fatigarunt Jac. Perizonius et Joach. Kuhnius. Leg. ἔλεγε πρὸς τοὺς οἰκείους ΑΘΥΜΟΥΜΕΝΟΥΣ, ἡδέως ἀπολύεσθαι τοῦ ζῆν. « Familiaribus affectis mœrore dixit, se vita non illibenter excedere ». Sic plana fiunt omnia. Dav.

æstimatis! Equidem sæpe emori[9], si fieri posset, vellem, ut ea, quæ dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem afficerer, quum Palamedem, quum Ajacem, quum alios, judicio iniquo[10] circumventos, convenirem? Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Trojam, et Ulyssi[11], Sisyphique prudentiam; nec ob eam rem[12], quum hæc exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem, judices, ii, qui me absolvistis[13], mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quidquam eve- 99
nire potest, nec vivo, nec mortuo; nec umquam ejus res a diis immortalibus negligentur[14]. Nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego iis, a quibus accusatus sum[15], aut a quibus condemnatus, habeo quod

9. *Quanti tandem æstimatis? Equidem sæpe emori.* In MS Norvic. est « quanti tandem existimatis emori? Equidem sæpe emori », unde eleganter et ἐμφατικῶς, mutata distinctione, legi possit « quanti tandem existimatis? (nam hæc verba confusa esse docuimus ad Cæsaris lib. III B. C. cap. 102) Emori, equidem sæpe emori, si fieri posset, vellem ». Simpliciter tamen Plato pag. 369, B. Ἐγὼ μὲν γὰρ πολλάκις ἐθέλω τεθνάναι· ex quibus verbis non infirmum receptæ scripturæ subest adminiculum, præsertim quum eam tueantur omnes codices præter Ven. aliasque editt. veteres, in quibus perperam legitur « equidem sæpe mori », initiali litera vocis ultimæ, ob finalem præcedentis, intercepta. DAV.

10. *Judicio iniquo.* Vulgo *iniquorum.* Sed recte cl. Bentleius; nam Plato habet διὰ κρίσιν ἄδικον. DAV.

11. *Ulyssi.* Davis. Schütz. Neid. *Ulixi*, et sic olim Jac. Gronov.

12. *Nec ob eam rem.* Obscuriora sunt apud Ciceronem, quam in Platone. Socrates dicit, se quum in societatem defunctorum pervenerit, velle ἐξετάζειν καὶ ἐρευνᾶν, τίς αὐτῶν σοφός ἐστι καὶ τίς οἴεται, ἔστι δ' οὔ. Hoc, inquit, fore ἀμήχανον εὐδαιμονίαν, neque ibi ob eamdem hanc rem, nempe quod aliorum scientiam perscrutatus esset, eamque recte æstimasset, capite damnatum iri, sicuti in hac vita damnatus esset. Nam in primis erant Sophistæ, et quos deridendos fecerat ob eorum ignorantiam, qui eum inter vivos diutius esse nollent, itaque omnes, quas poterant calumnias adhiberent, ad eum morti tradendum. NATU.

13. *Ii, qui me absolvistis.* Rath. hæc parum latina censet, ideoque delenda, quum iis nihil apud Platonem respondeat.

14. *Negligentur.* Davis. *negliguntur*, quia in Platone est ἀμελεῖται. Schütz. cum eo fecit.

15. *A quibus accusatus sum, aut a quibus cond.* Davisius scripsit « a quibus accusatus, aut a quib. cond. sum »,

succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt ». Et hæc quidem hoc modo. Nihil autem melius extremo[16] : « Sed tempus est, inquit, jam hinc abire me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. Utrum[17] autem sit melius, dii immortales sciunt : hominem quidem scire arbitror neminem ».

XLII. Næ ego haud paullo hunc animum malim, quam eorum omnium fortunas, qui de hoc judicaverunt. Etsi, quod præter deos negat scire quemquam, id scit ipse, utrum melius sit; nam dixit ante : sed suum illud[1], nihil ut affirmet, tenet ad extremum.
100 Nos autem teneamus, ut nihil censeamus esse malum, quod sit a natura datum omnibus; intelligamusque, si mors malum sit, esse sempiternum malum. Nam vitæ miseræ mors finis esse videtur. Mors si est misera[2], finis esse nullus potest.

ut erat in Norvic. et Petrens. quia ejus auribus hic ordo magis placebat; sed a ceteris relictus est.

16. *Nihil autem melius extremo.* Quum olim scriberetur, *n. a. m. æstimo*, Bentleius notavit : Quid illud *æstimo*, aut quorsum? Neque enim ad præcedentia quidquam facit, neque ad sequentia. Lege vero ex duobus scriptis cum Manutio et Lambino : « Et hæc quidem hoc modo : nihil autem melius extremo ». Nam verba, quæ deinde Cicero latine vertit, sunt extrema et novissima apologiæ Socraticæ, Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἔρχονται ἐπὶ ἄμεινον πρᾶγμα, ἄδηλον παντί, πλὴν ἢ τῷ θεῷ. Quid clarius hac lectione, quid elegantius? quod etiam sine codicis auctoritate satis se omnibus probaret non imperitis. Gebhardus tamen vulgatum amplectitur; cui id maxime studio fuisse videtur, ut nihil prorsus admitteret quod in Palatinis suis non invenisset. Bentl. — Bentleium Davisius secutus est, quum eamdem lect. in Reg. Eliens. tert. Med. et Balliol. invenisset, nec aliter ceteri ab eo critici.

17. *Utrum... neminem.* Laudat Lactantius Divin. Inst. lib. VII, cap. 2. Vide et Stob. Serm. CXX, p. 610. Dav.

XLII. 1. *Suum illud.* In quo nimirum plane abhorrebat a Sophistis, qui omnium rerum jactabant scientiam. Est hoc unum illorum, quibus continebatur methodus Socratica. Neid.

2. *Mors si est misera.* Ita Reg. ceterique codices, quos adhibuimus; nisi quod Med. repræsentet, « mors si est misera, Miseriæ finis esse nullus potest »; quæ forsan est Ciceronis manus. Dav. — Hæc Davis. qui tamen Bentleio suadente dedit « mortis, si est misera ». Bentleius scilicet observave-

Sed quid[3] ego Socratem, aut Theramenem, præstantes viros virtutis et sapientiæ gloria, commemoro, quum Lacedæmonius quidam, cujus ne nomen quidem proditum est[4], mortem tantopere contempserit, ut, quum ad eam duceretur, damnatus ab[5] Ephoris, et esset vultu hilari, atque læto, dixissetque ei quidam inimicus, « Contemnisne leges Lycurgi? » responderit, « Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multaverit, quam sine mutuatione, et sine versura[6] possem dissolvere ». O virum Sparta dignum! ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens
damnatus esse videatur. Tales innumerabiles nostra 101
civitas tulit. Sed quid duces et principes nominem, quum legiones scribat Cato[7] sæpe alacres in eum lo-

rat : Equidem verbia vix perlectis statim deprehendi corrigendum esse, *mortis :* id enim planc postulat aotithetorum concinnitas. Postea iotellexi Lambinum ex acripto codice sic dedisse : Gebbardum autem in soia omnibus reperisse. Quid de hoc homine facias, qui ipsoa illos codicea, qoibus aiias tam serviiiter adbæret, deserere maluit, quam ut Lambinus qoidqoam recte facere videretor. Sed est præterea, ni failor, quod corrigendom restat; lego cuim : « Nam vitæ miseræ mors finis esse videtor : Mortis, si est miserum, finis esse nulioa potest ». Bent. — Schütz. cum Wolf. et Neid. « mora si est misera, miseriæ nullus finis e. p. » quod eat in cod. Med. Et aic Rathius legi vult, nisi quod, « mors si est miserum » præfert. Idem merito observat lectionem Bentleii eo claodicare, quod mortis, etiamsi eat hona, nullos fioia esse potest.

3. *Sed quid.* Progreditur jam ad exempla minos illustria. Nati.

4. *Cujus ne nomen quidem proditum est.* Huic viro nomen fuisse Thectameni tradit Plotarchos Apophth. Lacon. p. 221. Dav.

5. *Damnatus ab Ephoris.* Apud Lacedæmonios talea ferme erant Ephori, quaies apod Romanos triboni plebis : qui a Theopompo aic appositi regibus sunt, ut apud Romanoa consulibos tribuni. Satis constat ab Ephoria reges alios ejectos foisse, aiioa interemptos. Olim pro miniatris regum fuerant : paulatim deinde omnem potentiam in se transferentes, ad id licentiæ pervenerunt, ut seorsum a rege magistratum proprium constituerint, nomine ἐφορίαν. Beroald.

6. *Et sine versura.* Versuram facere dicitur, qui æa alienum ex ære alieno soivit, tamquam vertat creditorem. Ideo antem hoc dicit Thectamenes, quia si, non mortis, sed mulctæ pecuniariæ damnatus foisset, opus erat mutuatione aot versura ad mulctam dissolvendam. — Pro *possem*, quod sequitur, Rath. legit *possim* cum Vindobon.

7. *Scribat Cato.* In Originibus fortasse, de quibus vid. aop. ad § 3. N.

cum profectas, unde rédituras se non arbitrarentur? Pari animo Lacedæmonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides[8]:

> Dic, hospes[9], Spartæ, nos te hic vidisse jacentes,
> Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Quid ille dux Leonidas[10] dicit? « Pergite animo[11] forti, Lacedæmonii: hodie apud inferos fortasse cœnabimus». Fuit hæc gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant. E

8. *In quos Simonides.* Victorius et Gebhardus, simul ac MSS Eliens. pr. sec. Bak. habent *in quo.* Male. Quapropter nos aliis codicibus parendum censuimus. Nec aliter olim reposuit P. Manutius, qui *præpositionem* recte notat in bonam partem hic accipi; adeo ut *in quos* idem valeat ac *in quorum laudem.* Sic certe sumitur lib. I N. D. cap. 28, et de Senect. cap. 17. Vide et Fr. Vavassorem de vi et usu quor. verb. p. 155. Dav.

9. *Dic, hospes, Spartæ.* Græce, Ὦ ξεῖν' ἀγγεῖλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε Κείμεθα τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις. Sic exstat Anthol. lib. III, cap. 5, nec aliter apud Lycurgum κατὰ Λεωκράτους, p. 146, ed. Aldin. ac Strabonem lib. IX, p. 656. Et ea quidem legendi ratio Ciceronianæ versioni melius convenit, quam τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι, quo modo postremum versum referunt Herodotus lib. VII, cap. 228, et Suidas in Λεωνίδης. Dav.

10. *Quid ille dux Leonidas.* Vereor ne mendum sit: nam manu scripti codices *Leonidas* non habent, sed pro illa vocem parum sinceram: et per se recepta verba, non parum mihi suspecta sunt. Vict. — Sana omnia, si legas, « Quis ille dux, de prandio, ait, surgite animo forti, Lacedæmonii. Hodie apud inferos, etc. » Bunaa. — Vide Gul. Canterum, Nov. Lect. VI, 12, et Nic. Fabrum, ad Senecæ Suasor. II. Oliv.

11. *Pergite animo forti.* Verbulo notat Aldus Nepos Ciceronem in vocis græce translatione lapsum videri. Ursinus contendit « non esse cur quisquam Cicer. reprehendat, qui verterit *cœnabimus*, licet apud græcos scriptores, qui hoc Leonidæ dictum celebrarunt, reperiatur scriptum ἀριστήσομεν; nam respicere censet ad Romanorum morem, qui soliti erant cœna uti pro prandio ». Quæ sane, quod quum viri docti pace sit dictum, perquam sunt futilia; non enim ἀριστᾶν vel ἀριστοποιεῖσθαι per *cœnandi* vocem reddit, sed modo prorsus contrario; quod ex græcis mox laudandis abunde patet. Alia via rem aggrediuntur Gul. Canterus Nov. Lect. lib. VI, cap. 12, eumque sequutus D. Lambinus; reponunt enim, « prandete animo forti ». Sed quid sibi vult « prandete animo forti? » Ut bene prandereut, latrante potius stomacho, quam *animo forti* erat opus. Auctores quidem reliqui nullam *fortis animi* mentionem faciunt. Diodorus Siculus Bibl. lib. XI, p. 8: Τούτοις παρήγγειλε ταχέως ἀριστοποιεῖσθαι, ὡς ἐν ᾅδου δειπνησομένους. Plutarchus Apophth. Lacon. pag. 225: Τοῖς δὲ στρατιώταις παρήγ-

quibus unus, quum Perses hostis in colloquio dixisset glorians, « Solem præ jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis »; — « In umbra, inquit, igitur pugnabimus[12] ». Viros commemoro. Qualis tandem 102
Lacæna? quæ quum filium in prælium misisset, et interfectum audisset : « Idcirco, inquit[13], genueram,

γειλεν ἀριστοποιεῖσθαι, ὡς ἐν ᾅδου δειπνησομένους. Stobæus Serm. VII, p. 91 : Εὐωχουμένοις εἶπε τοῖς συμμάχοις, Οὕτως ἀριστᾶτε, ὦ τριακόσιοι, ὡς ἐν ᾅδου δειπνήσοντες. Vide etiam Suidam in Λεωνίδης, et Origenem contra Celsum, lib. II, p. 71. Non aliter Latini. Valerius Maximus lib. III, c. 2, 3, ext. « Sic prandete, commilitones, tamquam apud inferos cœnaturi ». Eadem verba refert Seneca Ep. LXXXII, ac fere repetit Orosius lib. II, cap. 11. Vide sis et Isidorum Orig. lib. XX, cap. 2. Omnino retinenda est lectio vulgata, quam omnes omnino codices constanter exhibent, errorque non librariis imputandus sed ipsi scriptori; nam quum τὸ ἀριστοποιεῖσθαι, vel ἀριστᾶν, ἀπὸ τοῦ ἀρίστου deducatur; quæ vox et *prandium* et *optimum* seu *fortissimum* denotat, auctor posteriorem significatum imprudens elegit. Hoc ante me, quod postea vidi, statuit Nic. Faber ad Senecæ Suasor. II, p. 19. Davis. — Bentleius contendit Ciceronem, qui se græcam optime scire linguam sæpe profiteatur, et qui librum certe amicis suis hanc linguam optime callentibus ostenderit, in vertendo errare non potuisse, legique vult : « quid ille dux Leonidas : Prandete, ait, o fortes Laced. », vel « quid ille dux Leonidas dicit? Prandeamus, o fortes Laced. » Schütz. vulgatam servat : Neid. voces « quid ille dux... leges vigebant » uncis includit : Buberius hoc tantum « Fuit hæc..... vigebant » e glossa putat.

12. *In umbra... pugnabimus.* Qui hoc dixit, Dieneces fuit appellatus, ut tradit Herodotus lib. VII, cap. 226, qui tamen refert hunc Laconem non Persæ, sed Trachinio cuipiam ita respondisse; unde Ciceronem μνημονικοῦ σφάλματος insimulat Pet. Victorius Var. Lect. lib. XVII, cap. 9. Quin et Valerius Maximus, qui nostrum fere ducem sequitur, ab eo jam diversus abit; hæc enim habet lib. III, cap. 7, 8, ext. « Referente quodam, Sagittis Persarum solem obscurari solere : Bene narras, inquit, in umbra enim melius præliabimur ». Præterea monendus est lector, Plutarchum Apophth. Lacon. p. 225; Scholiasten Aristophanis in Vespas, vs. 1079; Stobæum Serm. VII, p. 86, et Suidam hoc ipsi Leonidæ ἀπόφθεγμα tribuisse. Dav.

13. *Idcirco, inquit, genueram.* De sexu femineo dicitur. Sic N. D. II, 51 : « Pisces, ut aiunt, ova quum genuerunt, relinquunt ». Phædrus lib. III Fab. XV, 14 : « Cujus potestas nulla in gignendo fuit »; quod recte Schefferus explicat : non enim opus est, ut cum Nic. Heinsio reponamus « cujus potestas nulla gignendi », vel « gignentis fuit ». Vide Seb. Pschenium de Stil. N. T. § 43. Ad historiam quod attinet, Teles apud Stobæum Serm. CVI, p. 576 : Γυνὴ Λακωνικὴ, ἀπαγγείλαντος αὐτῇ τοῦ κήρυκος, ὁ υἱὸς ἐν τῇ παρατάξει τετελεύτηκε· ποῖός τις, ἔφη, γενόμενος; ἀνὴρ ἀγαθὸς, ὦ μῆτερ. Εὖγε, ὦ τέκνον, φησί· τούτου γὰρ ἕνεκά σε, φησίν, ἐγέννησα, ἵνα

ut esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere ».

XLIII. Esto; fortes[1] et duri Spartiatæ; magnam habet vim reipublicæ disciplina : quid? Cyrenæum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? cui quum Lysimachus rex crucem minaretur : « Istis[2], quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest[3], humine an sublime putrescat ».

Cujus hoc dicto[4] admoneor, ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem : rem non difficilem, iis præsertim cognitis, quæ [de nihil sentiendo[5]] paullo ante dicta sunt. De qua Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro[6], in quo

χρήσιμος καὶ βοηθὸς ἦσθα τῇ Σπάρτῃ. Meminit etiam Plutarchus Lacon. Ap. p. 241. Dav.

XLIII. 1. *Esto; fortes.* Sens. Dicat forsan quis : exempla illa, quæ affers, desumpta sunt e forti populo ac duro, qui educatione et tota πολιτείᾳ assuefactus erat duris ferendis. Huic respondet Cicero : jam tibi afferam exemplum Theodori philosophi voluptarii. Neid.

2. *Istis, quæso... ista horrib.* Fortasse « ista, quæso... ista horribil. » Rath.

3. *Theodori quidem nihil interest.* Plutarchus tom. II, p. 499: Καὶ τί Θεοδώρῳ μέλει πότερον ὑπὲρ γῆς ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται. Ea sic expressit Seneca de Tranq. cap. 14: « O te ineptum si putas interesse, supra terram an infra putrescam ». Ciceronem sequitur Valerius Maximus lib. VI, cap. 11, 3 ext. Similiter Alexandro respondisse fertur Anaxarchus. Aristoteles in Chriis : Ἀνάξαρχος ὁ φυσικὸς, εἰπόντος αὐτῷ Ἀλεξάνδρου ὅτι κρεμῶ σε· ἀπειλεῖ τούτοις, ἔφη, τοῖς πολλοῖς, ἐμοὶ δὲ οὐδὲν διαφέρει ὑπὲρ γῆς ἢ κατὰ γῆς σήπεσθαι. Apud Stobæum Serm. VII, pag. 88. Davis.

4. *Cujus hoc dicto... nihil ad mortuos pertinere.* Admonitus Theodori effato : « Theodori nihil interest, humine an sublime putrescat », de humatione et sepultura mortuorum aliquid dicendum existimat. Scopus totius digressionis non alius videtur, nisi ut tollat superstitionem quorumdam et singulorum et populorum, qui rite sepeliri eam ob causam volebant, quia se affici adhuc post mortem falso putabant. Veri est philosophi sui ipsius causa hæc negligere; verum tamen sepulturæ honore suos non privet. Neid.

5. *Quæ de nihil sentiendo.* Hæc Ern. uncis inclusit, Schütz. et Neid. non obtemperantibus.

6. *Apparet in eo libro, in quo moritur.* Malim *ex eo libro*; nam ita fere construitur *apparere*, si idem valet, quod patere : tria autem ultima verba,

moritur : de quo jam tam multa diximus. Quum enim 103
de immortalitate animorum disputavisset, et jam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vellet : « Multam [7] vero, inquit, operam, amici, frustra consumpsi : Critoni enim nostro non persuasi, me hinc avolaturum, neque quidquam mei relicturum. Verumtamen, Crito, si me assequi potueris[8], aut sicubi nactus eris, ut tibi videbitur[9], sepelito. Sed, mihi crede, nemo me vestrum, quum hinc excessero, consequetur[10] ». Præclare id quidem, qui et amico permiserit[11], et se ostenderit de hoc toto
genere nihil laborare. Durior Diogenes, et id quidem 104
sentiens[12], sed, ut cynicus, asperius, projici se jussit inhumatum[13]. Tum amici, Volucribusne, et feris?

in quo moritur, ab aliena manu esse videntur. RATH.

7. *Multam vero, inquit, operam.* Hæc latine reddita sunt ex Platonis Phædone, pag. 401, ed. Lugd. Ea de Apollodoro dixisse Socratem refert Ælianus V. H. lib. I, cap. 16. DAV.

8. *Potueris.* Davis. suadente Bentleio *poteris*. Ceteri non sequuntur.

9. *Videbitur.* Dav. videtur. Nos, inquit, Reg. Eliens. sec. Balliol. et Bak. fidem damus; Plato enim habet, ὅπως ἄν σοι φίλον ᾖ. Stobæus Serm. CXII, pag. 614 : Ὅπως ἂν ὑμῖν... ᾖ ῥᾷστον. DAVIS.

10. *Consequetur.* Sc. corpus meum fortasse habebitis; ego autem ipse penes vos non ero.

11. *Permiserit.* Rath. mallet « qui id amico perm. » Melius *id* (sc. se sepeliri) subauditur, quam scribitur.

12. *Et id quidem sentiens.* Davisius « et is idem sentiens », qui notat : Eliens. pr. atque Reg. *et is quidem* : unde cl. Bentleius rescripsit « et is idem sentiens ». Recte; nisi forsan Cicero dedit, *et is quoque idem sentiens*. DAV. — Schützius et Neid. post Wolfium, « et is quidem idem sentiens ». Rathius vellet : « sed id idem sentiens, sed, ut cynicus asperus », dicitque part. *sed* sic repetitæ multa esse exempla. Ut sint, non ansam conjecturis, sed tantum auxilium codicum auctoritati præbeant.

13. *Projici se jussit inhumatum.* Inter scriptores hac de re non convenit. Diogenes Laertius lib. VI, § 79 : Ἔνιοι δέ φασι τελευτῶντα αὐτὸν (Διογένη) καὶ ἐντείλασθαι ἄταφον ῥίψαι, ὡς πᾶν θηρίον αὐτοῦ μετάσχοι· ἢ εἴς γε βόθρον συνῶσαι καὶ ὀλίγην κόνιν ἐπαμῆσαι· οἱ δὲ, εἰς τὸν Ἰλισσὸν ἐμβαλεῖν, ἵνα τοῖς ἀδελφοῖς χρήσιμος γένηται. Eum quidem προστάξαι τῷ παλαιστροφύλακι, ἐπειδὰν αἴσθηται ἀποπεπνευκότα αὐτὸν, ῥίψαι εἰς τὸν Ἰλισσὸν, confirmat Ælianus V. H. VIII, 14. Quæritur autem, qui canibus (hos enim fratres suos vocat) utilis esse possit, si in flumen sit abjectus; quum potius hoc modo pisces eum devorarent. Alii alia ratione

Minime vero, inquit; sed bacillum propter me[14], quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi: non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti? Præclare Anaxagoras; qui quum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset[15], auferri: « Nihil necesse est, inquit; undique enim ad inferos[16] tantumdem viæ est ». Totaque de ratione humationis unum te-

locum tentant; sed omnium optime conjecit incomparabilis ille Sam. Bochartus, qui rescribit, ὀλίγην κόνιν ἐπαμῆσαι, ἵνα τοῖς ἀδελφοῖς χρήσιμος γένηται· εἰ δὲ εἰς τὸν Ἰλισσὸν ἐμβαλεῖν. Canes enim pulverem superinjectum solent unguibus amovere, quo facto Diogenis corpus iis esca fieret. Vide porro Stobæum Serm. CXXII, p. 614. Davis.

14. *Bacillum propter me.* Suppostitius Diogenes in Epist. ad Hippionem, p. 343, ed. Genev. Ἐγὼ γοῦν ἔγνωκα ἀποπνεύσαντί μοι παρατεθῆναι τὸ βάκτρον, ἵνα τὰ δοκοῦντα λυμαίνεσθαι ζῶα ἀπελαύνοιμι. Ex auctore, quem præ manibus habuit Cicero, Sophista fingendæ hujusce circumstantiæ sumpsit ansam. Dav.

15. *Si quid ei accidisset, auferri.* Davis delet *ei*. Vulgo, inquit, « si quid ei accidisset, afferri ». Lectionem vero, quam recepi, præstant Reg. Med. et omnes fere codices. Notarunt editores Græcos eodem sensu, εἴ τι πάθος, dixisse; quod quidem proletarium est. Alexis apud Athenæum, lib. VI, p. 244: Ἂν γάρ πάθῃς τι, πῶς ἐγὼ βιώσομαι. Hermippus in Mœris apud eumdem lib. XI, c. 10, p. 448: Ἢν ἐγὼ πάθω τι, τήνδε τὴν λεπάστην ἐκπιὼν, Τῷ Διονύσῳ πάντα τἀμαυτοῦ δίδωμι χρήματα. Sic enim legendi sunt hi versus, quum trochaici sint; et omnino falsus est Is. Casaubonus, qui, factis παραδιορθώσεσιν, ad iambicorum leges revocavit. Similiter παθεῖν τι dixerunt Heliodorus Æth. VIII, p. 392, IX, p. 454, aliique plures. Ast reperitur loquendi ratio, quæ cum latina melius congruit, eamque prorsus obtinet potestatem; eam tamen haud animadverterunt interpretes. Diogenes Laertius lib. V, § 11: Ἔσται μὲν εὖ, ΕΑΝ ΔΕ ΤΙ ΣΥΜΒΑΙΝΗι, τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης. Paullo post § 12: ΕΑΝ ΔΕ ΤΗι ΠΑΙΔΙ ΣΥΜΒΗι ΤΙ... Νικάνωρ κύριος ἔστω. ΕΑΝ ΔΕ ΤΙ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΣΥΜΒΑΙΝΗι ΝΙΚΑΝΟΡΙ.... Vide et § 51, 54, ac Euripidem Alcest. vs. 136. Dav. — Neid. Davisium sequutus est, Schützio v. *ei* servante. — Est euphemismus, quo frequenter Latini uti solent, pro: si forsan esset moriturus. Neid.

16. *Undique enim ad inferos.* Diogenes Laertius lib. II, § 11, Anaxagoras πρὸς τὸν δυσφοροῦντα, ὅτι ἐπὶ ξένης τελευτᾷ· Πανταχόθεν, ἔφη, ὁμοία ἐστὶν ἡ εἰς ᾅδου κατάβασις. Arcesilaus in Ep. apud eumdem, IV, 31: Ἀλλὰ γὰρ εἰς Ἀχέροντα, τὸν οὐ φατὸν, ἴσα κέλευθα. Porro Teleti apud Stobæum Serm. XXXVIII, p. 233, hujusce dicti pater est Aristippus: Ἡ οὐ πανταχόθεν, φησὶν ὁ Ἀρίστιππος, ἴση καὶ ὁμοία ἡ εἰς ᾅδου ὁδός. Similiter Epictetus: τί σοὶ μέλει, inquit, ποίᾳ ὁδῶν καταβῇς εἰς ᾅδου; ἴσαι πᾶσαί εἰσιν. Apud Arrianum lib. II, cap. 6. Dav.

nendum est; ad corpus illam pertinere, sive occiderit animus, sive vigeat. In corpore autem perspicuum est, vel exstincto animo, vel elapso, nullum residere sensum.

XLIV. Sed plena errorum[1] sunt omnia. Trahit He- 105
ctorem, ad currum religatum, Achilles: lacerari eum, et sentire, credo, putat. Ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi videtur. At illa[2] sicut acerbissimam rem mœret:

> Vidi, videre quod me passa ægerrime [3],
> Hectorem quadrijugo curru raptarier [4].

Quem Hectorem? aut quamdiu ille erit[5] Hector? Melius Attius, et aliquando[6] sapiens Achilles:

XLIV. 1. *Sed plena errorum.* Hæc superstitio late patet, mortuos adhuc sentire ea, quæ in eorum corpora committantur. Exempla Achillis, Hecubæ, Thyestis et quorumdam populorum, qui huic superstitioni favere videbantur. Neid.

2. *Illa.* Sive Hecuba mater, sive Andromache uxor; cf. Hom. Il. xxii, 395 sq. Ceterum sunt versus ex antiqua tragœdia Ennii vel Pacuvii. Neid. — Ex hoc patet part. *at* aliquando ad consequentiam præcedentis enuntiati notandam poni. Sic Virg. Georg. de Philomela: « at illa, Flet noctem ».

3. *Vidi, videre quod me passa ægerrime.* Hier. Columna ad Ennii Fragm. p. 239 reponit, « Vidi, videreque passa sum ægerrime ». At hæc sane conjectura metri leges violat. Nisi forte rescribatur, « Vidi videre quod sum passa ægerrime »; servanda est vulgata lectio, quæ MSS fide nititur, et versui bene convenit. Dav.

4. *Hectorem quadrijugo curru raptarier.* Sic Gebhardus induxit: Davis. et Bentl. ex auctoritate cudd. alio ordine, « Hectorem curru quadrijugo rapt. » — Hier. Columna Fragm. Enn. p. 239, vocibus transpositis edidit, « Curru Hectorem quadrijugo raptarier ». Memor nempe non erat vir doctissimus, Hectoris, Castoris, aliarumque vocum similium medias syllabas a Veteribus productas fuisse. Hoc diserte testantur Varro L. L. lib. IX, p. 140, et Quintilianus Inst. Orat. lib. I, cap. 5. Dav.

5. *Quamdiu ille erit Hector?* Moser legi vult « quamdiu ille erat Hector », ut Cicero significet: Hector non *erat*, sed corpus ejus, quod curru Achillis rapiebatur. Sed tum certe non *quamdiu*, sed *ubi*, aut simile quid erat reponendum, quum *quamdiu* h. l. locum non habeat: sed servato *erit* probus sensus est: « quamdiu ergo tibi videbitur adhuc exsistere, quum jam defunctus sit? » Vel, si vis est in *ille*, « quamdiu *ille*, quem adhuc Hectorem vocas, exsistet, quoniam hoc cadaver in nihilum mox resolvetur? »

6. *Aliquando sapiens.* Quid est *aliquando sapiens?* hebetior ad id intelligendum sum; repono, « aut aliquanto sapientius Achilles », quam paullo ante nimirum, ubi Hectora ad currum religatum lacerari opinabatur.

Imo enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.

106 Non igitur Hectora traxisti, sed corpus, quod fuerat Hectoris. Ecce alius[7] exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat:

> Mater, te appello[8], quæ curam somno suspensam levas,
> Neque te mei miseret; surge, et sepeli natum.

Hæc quum pressis[9] et flebilibus modis[10], qui totis theatris mœstitiam inferant, concinuntur; difficile

Rath.— Rathio Moser lepide respondet: qua in disputatione illud ei damus concedimusque, quum dicit se hebetiorem esse ad intelligendum, alterum non item. *Aliquando* enim idem est, quod *tandem*. Nimirum illud vult: Quum raptaret Hectoris corpus Achilles, ipsum a se Hectorem raptari existimabat: quum reddidisset Priamo Hectoris corpus, intellexit tandem se non Hectorem Priamo reddidisse, sed corpus Hectoris; ideo, neque tum, quum curru raptaret Hectoris corpus, Hectorem raptasse. *Aliquando* h. s. positum vid. pro Cluent. 19, Verr. III, 28, Ep. ad Att. I, 4.

7. *Alius*. Umbra Polydori, Hecubæ et Priami filii, quem Thracum rex Polymnestor occiderat, ut auro potiretur. Vide initium fabulæ Euripidis quæ inscribitur Hecuba; cf. Virgil. Æn. III, 49 sq. Naud.

8. *Mater, te appello*, etc. Bentleius delevit *tu*, quod vulgo ante *quæ curam* addebatur, et pro vulgo *suspenso* dedit *suspensam*. Idem putavit vv. « priusquam feræ volucresque » in poeta cum duobus his versibus connexas fuisse. Ideo ut alter trochaicus expleretur legit « sepeli natum tuum », tertio versu in vv. *priusquam*, etc. incipiente. Schützius *prius* apponit secundo versu, ut finem. Idem Bentl. observat *matrem* hic non esse Hecubam, sed Ilionam Polydori sororem, multo grandiorem natu, et quæ eum parentis loco educarat. Eam sibi vere matrem esse credebat Polydorus.

9. *Hæc quum pressis*, etc. Has voces usque ad *iudicare* Schütz. et Neid. parenthesi includunt; item mox vv. « metuit... extimescit », et vv. « non intelligo... ad tibiam »; quas parentheses Neid. dicit esse adnotationes satyricas quibus auctor versus illos perstringit. —*Pressis*. I. e. lentis: quales numeri tristibus et querulis affectibus congruunt. Cicer. de Nat. Deor. II, 59: « Sonos vocis distinctos, et pressos ». De Orat. III, 12: « Presse, æquabiliter, et leniter loqui ». Tit. Livius, XXVIII, 14, « presso pede incedere », id est, lento. Ovidius, Met. III, 17: « Subsequitur, pressoque legit vestigia passu ». Velleius Paterculus, II, 129, « causas pressius audit? » Id est, patientius. Bur.

10. *Pressis et flebilibus modis*. Modi sunt concentus musici qui verba, textum vocant, comitabantur. Hæc aliata verba requirebant pro argumento et ratione loquentis personæ modos pressos, id est, lenes tamquam umbræ (piano) et flebiles (mestoso): his afficiuntur graviter omnes quotquot sunt spectatores. Neid.

est, non eos, qui inhumati sint, miseros judicare.

. . . . . . prius quam feræ, volucresque :

metuit, ne laceratis membris minus bene utatur; ne combustis, non extimescit.

Heu relliquias semiassi regis[11], denudatis ossibus,
Per terram sanie delibutas fœde divexarier.

Non intelligo[12], quid metuat, quum tam bonos septe- 107
narios[13] fundat ad tibiam. Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortem, quum multi inimicos etiam mortuos pœniantur[14]. Exsecratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum ut naufragio pereat Atreus. Durum hoc sane : talis enim interitus non est sine gravi sensu. Illa inania :

. . . . . Ipse summis[15] saxis fixus asperis, evisceratus,
Latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro.

Non ipsa saxa magis sensu omni vacabant[16], quam

11. *Heu relliquias semiassi regis*, etc. Davisius scribit : «Neu relliquias sic meas siris, deu. ossibus, Tetra sanie, etc. » Codices, inquit, « Neu relliquias semiassl reis », vel « semiassi seris », unde certissimam, nisi fallor, emendationem dedit acutissimus Bentleius. *Siris*, siveris. Vide J. Fr. Gronovium ad Livii I, 32. Dav. — Schützius et Neid. Bentleio obtemperaverunt. Ceterum multum inter criticos de metro horum versoum disputatum est, qua de re vid. Bentleium longius hoc loco disserentem.

12. *Non intelligo, quid metuat.* Quamvis fœde laceratum se profiteatur, bene adhuc ejus corpus constitutum ac non ita exsangue esse videtur, quum tam bonos versus ad tibiam canat.' Neid.

13. *Septenarios.* Iambos. Neid.

14. *Multi inimicos etiam mortuos pœniantur.* Laudat Nonius in *puniuntur* et *punitur*. Contra quem tamen et codd. consensum Bentl. conj. *stulti* pro *multi*, quod ei frigere videtur. Huc facit Cambysis facinus, quod memorat Herodotus lib. III, cap. 16. Vide et lib. IX, cap. 78. De prava vero hac consuetudine legantur Plato de Rep. lib. V, pag. 376; Aristoteles Rhet. lib. II, cap. 3, 22; Diodorus Siculus Excerpt. Vales. p. 282, et Stobæus Serm. CXXIV. Hæc Davis. qui habet *pœniuntur.* — Deponentialiter positum ut sæpius apud Ciceronem; vid. Quint. IX, 3. Neid.

15. *Ipse summis.* Trochaici sunt acatalecti, quos prius confusos clar. Bentleius recte disposuit. Quem vide sis. Davis.

16. *Vacabant.* Vulgo *vacabunt*,

ille, latere pendens, cui se hic cruciatum censet optare. Quæ essent dura[17], si sentiret; nulla sine sensu [sunt]. Illud vero perquam inane :

> Neque sepulcrum, quo recipiatur[18], habeat, portum corporis;
> Ubi, remissa humana vita, corpus requiescat a malis.

Vides, quanto hæc in errore versentur[19] : portum esse corporis, et requiescere in sepulcro putat mortuum. Magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium, nec docuerit, quatenus[20] esset quidque curandum.

108 XLV. Sed quid[1] singulorum opiniones animadvertam, nationum varios errores perspicere quum liceat? Condiunt Ægyptii mortuos, et eos domi servant[2]. Persæ

nec aliter plerique MSS. At Victorius edidit *vacabant*, quo modo legendum esse res ipsa demonstrat. Davis. — Wolf. restituit *vacabunt*, Schütz. et Neid. sequentibus.

17. *Quæ essent dura, si sentiret; nulla s. sensu* [*sunt*]. Dav. legit «quam essent dura, si sentiret! » et ex fide MSS delevit *sunt* : ceterum notat : Forsan vero totus locus ita legendus : «quamquam essent dura, si sentiret; nulla sine sensu ». Hoc modo tollitur exclamatio, quæ videri possit importuna, nec dubitari potest, quin syllabarum duplicatarum una sæpius omittatur. Davis. — Bentleius malebat : « Quæ, ut essent dura, si sentirentur». — Plenior oratio fuisset : nulla sunt quæ sine sensu sunt. Nern. — Fortasse potius hæc plena oratio est : nulla sunt ei qui sine sensu est; atque hoc vere intellexit Rath. qui vellet scribi « nulla, si sine sensu », satis, ut nobis videtur, eleganter.

18. *Recipiatur*. Bentl. Davis. Sch. Neid. *recipiat*, e MSS scilicet : et aliud Bentleius dicit ob metrum stare non posse.

19. *Quanto hæc in errore versentur*. P. Manutius et D. Lambinus rescribunt, « quanto hic in errore versetur ». At libri non favent, nec opus est ea conjectura. Dav. — Nihil mutandum est. Vid. Lect. Tulliann. Wopkensii, p. 54, qui laudat Cicer. de N. D. III, 10. Rath.

20. *Quatenus*. Non tradiderit ei, quæ vere sint bona vel mala, ita ut recte de utrisque judicare valeat. N.

XLV. 1. *Sed quid*. Procedit jam ad superstitionem, quæ in quibusdam populis vigebat. Nern.

2. *Condiunt... domi servant*. Davisius tacite transponit *servant domi*, notatque : ταριχεύουσι. De modis quibus fiebat vide sis Herodotum lib. II, cap. 86, seqq. Silius Italicus, XIII, 474 : « Ægyptia tellus Claudit odorato post funus stantia saxo Corpora, et a mensis exsanguem haud separat umbram ». Huc spectantia Veterum loca suppeditabunt Th. Gatakerus ad Antonini IV, 48, et Æg. Menagius ad Laertii IX, 84. Vide et Joan. Kirchmannum de Funer. lib. I, cap. 8, p. 60 seqq.

etiam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est, non humare [3] corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes [4]; optimates, domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse. Sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur [5]; eamque optimam illi esse censent sepulturam. Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni

3. *Magorum mos est, non humare.* Hoc de omnibus Persis scripsere nonnulli. Theodoretus Ther. IX, pag. 128: Πέρσαι... κυσὶ καὶ οἰωνοῖς τοὺς νεκροὺς προτιθέναι παρ' ἐκείνου (Ζαράδου) μεμαθηκότες, νῦν τοῦτο δρᾷν οἱ πιστεύοντες οὐκ ἀνέχονται. Sic Manes συλληφθεὶς ὑπὸ τοῦ βασιλέως, τὴν Περσικὴν ὑπέμεινε τιμωρίαν, καὶ τοῦ δέρματος γυμνωθεὶς, ΠΑΡΕΔΟΘΗ ΚΥΣΙ, quod tradit idem Theodoretus Hær. Fab. lib. I, cap. 26. Et sane contendit Th. Hydius Hist. vett. Pers. cap. 34, eos vulgo non humari. Adversæ tamen sententiæ patronos audiamus. Herodotus lib. I, cap. 140: Τάδε μέντοι ὡς κρυπτόμενα λέγεται, καὶ οὐ σαφηνέως, περὶ τοῦ ἀποθανόντος· ὡς οὐ πρότερον θάπτεται ἀνδρὸς Πέρσεω ὁ νέκυς, πρὶν ἂν ὑπ' ὄρνιθος ἢ κυνὸς ἑλκυσθῇ· μάγους μὲν γὰρ ἀτρεκέως οἶδα ταῦτα ποιέοντας· ἐμφανέως γὰρ δὴ ποιέουσι. Κατακηρώσαντες δὴ ὦν τὸν νέκυν Πέρσαι, γῇ κρύπτουσιν. Vide et lib. III, cap. 16. Hinc patet recte fecisse Pet. Victorium, qui Var. Lect. lib. X, cap. 6, paullo ante legit *cera circumlitos* condunt, non *condiunt*, ut editt. veteres: Illam sane scripturam firmant quum alii MSS, tum Reg. Eliens pr. sec. tert. et Bak. Strabo, lib. XV, pag. 1068: Θάπτουσι δὲ (Πέρσαι) κηρῷ περιπλάσσοντες τὰ σώματα· τοὺς δὲ Μάγους οὐ θάπτουσιν, ἀλλ' οἰωνοβρώτους ἐῶσιν. Adi at Lucianum de Luctu, tom. II, p. 306. Plura denique videas licet ap. B. Brissonium de regn. Pers. lib. II, § 249. DAVIS.

4. *In Hyrcania plebs publicos alit canes; optimates, domesticos.* Mirum profecto, quod pro *publicos* verbo usitatissimo præstantiores codices præferant *supplices*. Tu aliquid hic latere sagaciter odoraris; et suspicaris *sepulchrales*. Laudo conatum; sed antitheti quid esse oportet inter hos plebis canes, et illos optimatum *domesticos*. Nimirum auctor scripserat, « Publice alit canes »; inde librariorum hallucinatio. *Publice alere*, est publica cura atque impensa. Atque hæc locutio apud auctores est frequentissima. BENTL.—*Optimates*, sc. alunt domesticos canes, dum publici canes plebi addicantur. Nobis antitheseis concinnitas omnino requirere videtur ut v. *domesticos* opponatur *publicos*, contra conj. Bentleii.

5. *A quibus lanietur.* Silius Italicus, XIII, 437: « quum lucem posuerunt membra, probatum est Hyrcanis, adhibere canes ». Hanc Hyrcanorum consuetudinem memorant Theodoretus Ther. IX, p. 129; Porphyrius de Abs. IV, 21, aliique. Vide J. B. Cotelerium ad Clementis Recogn. lib. IX, 25, et Æg. Menagium ad Laertii VI, 79. DAV.

historia[6] curiosus; sed ita tetra sunt quædam, ut ea fugiat et reformidet oratio. Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis, non negligendus in nostris: ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire sen-
109 tiamus[7]. Quantum autem consuetudini famæque dandum sit, id curent vivi; sed ita, ut intelligant, nihil ad mortuos pertinere[8].

Sed profecto mors tum æquissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere[9]. Multa mihi[10] ipsi ad mortem tempestiva fuerunt: quam[11] utinam potuissem obire! Nihil enim jam acquirebatur[12]; cumulata erant officia vitæ; cum fortuna bella[13] restabant. Quare, si ipsa

6. *Historia.* Davis. in prima ed. ex MS Norvic. dederat *memoria*, cujus aliud glossema putabat.

7. *Nihil sentire sent.* Davisius ex omnibus fere MSS restituit « nihil sentire vivi sentiamus ». Idemque dederunt Wolf. Schütz. Neid.

8. *Nihil ad mortuos pertinere.* Vocem *id* post *nihil* Davisius, quem Neid. sequitur, ex Reg. Med. et Balliol. addidit.

9. *Nemo parum diu... functus est munere.* Egregiam hanc sententiam totam rejicit Ant. Augustinus, et ab inepto grammatico profectam statuit. Sed hoc, si quid aliud, ὑπερκριτικὸν est. Eamdem ἔννοιαν auctores sæpius adhibent. Antoninus lib. III, § 8: Οὐδὲ ἀσυντελῆ τὸν βίον αὐτοῦ (τοῦ κεκολασμένου καὶ ἐκκεκαθαρμένου) ἡ πεπρωμένη καταλαμβάνει. Vide Philonem de Præm. p. 718; Plutarchum Cons. ad Apoll. p. 111, A, et Senecam Epp. 41, 70, 77, 93. Dav.

10. *Multa mihi. . . tempestiva.* Multæ fuerunt occasiones in quibus mors mihi maxime opportuna evenisset.

11. *Quam utinam potuissem obire!* In MSS, quantum constat, omnibus est *quæ utinam*. Nos vero conjecturam nostram, quum certissima videretur, recipere nulli dubitavimus; pronomen enim ad *mortem* dubio procul est referendum. *Mortem* vero *obire* phrasis est vulgatissima. Vide supra cap. 35, et de Orat. lib. III, cap. 29. De re, quam hic agit Cicero, sic Seneca Cons. ad Marciam, c. 20: «M. Cicero, si eo tempore, quo Catilinæ sicas devitavit quibus pariter cum patria petitus est, concidisset liberata Rep. conservator ejus, si denique filiæ suæ funus secutus fuisset, tunc felix mori potuit. Non vidisset strictos in civilia capita mucrones, etc. » Dav. — Ceteri Davisii conj. secuti sunt.

12. *Acquirebatur.* Nulla bonorum accessio speranda adhuc erat. Nam.

13. *Cum fortuna bella.* Vulgo *fortunæ*: quod Gebhardi facinus est, ut Cl. Bentleius monuit: nam prius recte legebatur *cum fortuna*; nec aliter

ratio minus perficiet, ut mortem negligere possimus: at vita acta perficiat[14], ut satis, superque vixisse videamur. Quamquam enim sensus abierit, tamen summis[15] et propriis bonis et laudis, et gloriæ, quamvis non sentiant[16], mortui non carent. Etsi enim nihil in se habeat[17] gloria, cur expetatur, tamen[18] virtutem tamquam umbra sequitur. Verum[19] multitudinis judicium de bonis, si quando est, magis laudandum est, quam illi ob eam rem beati.

XLVI. Non possum autem dicere, quoquo modo hoc accipiatur[1], Lycurgum, Solonem, legum, et pu-

Reg. Eliens. tert. Bak. aliique plures MSS. DAVIS. — Conflictandum erat adhuc cum fortuna. NEID.

14. *Perficiat*. Rath. vellat scribi *perficiet*, quod quam inelegans sit, ob præcedens *perficiet* quilibet tiro sentiat.

15. *Quamquam enim sensus abierit, tamen summis et propriis*. Davis. e cod. Reg. dedit *aberit;* atque ex eodem cod. cum Lambino *suis* pro *summis;* Wolf. Schütz. Neid. in hac altera emendatione eum sequuti sunt.

16. *Quamvis non sentiant*. Hæc cum Cl. Bentleio reor delenda: nihil enim nisi vana sunt ταυτολογία. DAV. — Huic se jungunt Schütz. et Neid.

17. *In se habeat*. Davisius e cod. Balliol. *habet in se*, aliis MSS *habeat in se* præbentibus, quam lect. Wolf. Schütz. Neid. amplexi sunt.

18. *Tamen virtutem*. Dav. Bentleio jubente *tantum virt.* ceteris non obtemperantibus. — Hieronymus in Epitaph. Paulæ, p. 175, A. « Gloria virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens appetit contemptores ». Seneca Ep. LXXIX: « Gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitabitur ». Vide Claudianum de Cons. Mallii Theodori, vs. 7, et nostrum infra III, 2. DAV.

19. *Verum multitudinis judicium*. Vulgo sumitur *verum* pro conjunctione; ego pro adjectivo sumere velim et cum *judicium* conjungere; firmatur hoc sequentibus; si quando est sc. verum, i. e. veritati consentaneum. NEID. — Bentleius et Davisius minore interpunctione post *sequitur* posita legunt *et verum*, eademque interp. post *beati* posita, hoc caput producunt usque ad *Ante enim Salam*.

XLVI. 1. *Accipiatur*. Davis. e cod. Reg. *accipietur*. — *Q. m. h. accipiatur*. Respicit Cicero in his verbis quæ a nullo aut commentatorum aut interpretum recte sunt intellecta, ad superiorem disputationem de vi ac potestate vocabuli *carere* § 88, ubi dicit duplicem inesse huic voci significationem; significare enim aut, agere quod habere velis; aut dici cum aliquid non habeas et non habere te sentias etiamsi id facile patiare. Sensus itaque est: Lycurgus et Solon carere gloria, quoquo sensu vox illa sumatur, dici non possunt, nam neque habere cupiunt, tamquam sapientes, neque non habent, quia præclare facta eorum sequitur gloria, tamquam effectus causam. N. — In his errare Neid. nobis videtur, quod, cum dicit « nam neque habere

blicæ disciplinæ carere gloria; Themistoclem, Epaminondam, bellicæ virtutis. Ante enim Salaminam ipsam [2] Neptunus obruet, quam Salaminii tropæi memoriam; priusque Bœotia Leuctra tollentur, quam pugnæ Leuctricæ gloria. Multo autem tardius fama deseret Curium, Fabricium, Calatinum, duo Scipiones, duo Africanos, Maximum, Marcellum, Paullum, Catonem, Lælium, innumerabiles alios. Quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, sed vera bonorum laude metiens, fidenti animo, si ita res fert [3], gradietur ad mortem: in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognovimus. Secundis vero suis rebus volet etiam mori [4] : non

cupiunt, tamquam sapientes », fingit eos adhuc exsistere et sentire. At contra certum est ex toto loco vel ex præcedd. « quamquam enim sensus abierit... mortui non earent », eos h. l. a Cicerone omnis sensus expertes supponi. Forsan « quoquo modo hoc accipiatur » valet : seu eos sensus omnino expertes, seu adhuc sentientes eos licet defunctos arbitreris : ad quam sententiam nos adducere possunt seqq. « gradietur ad mortem in qua aut summum bonum aut nullum malum esse cognovimus ».

2. *Salaminam ipsam*. Ex quarto Græcorum casu primum sæpe fecerunt Latini. Hieronymus Catal. cap. 114; Epiphanius Cypri Salaminæ episcopus. Pari modo *Salaminam* dixit Justinus lib. XLIV, cap. 3, 2. Et lib. II, cap. 7 : « De proprietate Salaminæ insulæ prope usque interitum armis dimicatum fuerat ». Sic in aliis. Ita Sulpicius Severus H. S. lib. II, cap. 9, *Marathonam*; cap. 25, *Ptolemaidam*; ac Dial. cap. 23, *Thebaidam* habet; quem locum temere sollicitat Joan. Vorstius. Quin et apud Livium lib. I, cap. 18, e MSS scribendum *Crotonam*, quum *Crotona* præ se ferant editi. Dav.

3. *Si ita res fert*. Vulgo, *si ita refert*, et ita nonnulli MSS; sed omnino male. Aut enim scribendum, *res fert*, quemadmodum dant Victor. Eliens. pr. sec. aut *res feret*, uti Lambinus edidit, auctoribus Lactantio Div. Inst. VII, 10, nonnullisque Tullii codicibus. Dav. — Wolf. Schütz. Neid. *feret*.

4. *Secundis vero suis rebus volet etiam mori*. Notus est Mimographi versiculus, « Mori est felicis, antequam mortem invocet ». Hinc Seneca Cons. ad Marciam, cap. 20 : « Mors de nullis melius merita, quam de his, ad quos venit antequam invocaretur ». Hoc non ad solos juvenes pertinet, ut perperam vult doctissimus Lipsius ; nam et ii, gravibus infortuniis pressi, mortem possint invocare; sed ad eos, cujuscumque demum sint ætatis, quorum res eunt prospere, quique nullis adhuc molestioribus aut animi aut fortunæ aut corporis arctati sunt incommodis. Vide et cap. 21. Euripides Hecub. vs. 497 : Φεῦ, φεῦ, γέρων μέν εἰμ', ὅμως δέ μοι θανεῖν Εἴη, πρὶν αἰσχρᾷ περιπεσεῖν τύχῃ τινί. Sic Zar-

enim tam cumulus bonorum jucundus esse potest, quam molesta decessio[5]. Hanc sententiam significare 111 videtur Laconis illa vox, qui, quum Rhodius Diagoras[6], Olympionices nobilis, uno die duo suos filios victores Olympiæ vidisset, accessit ad senem, et gratulatus, « Morere, Diagora, inquit; non enim in cælum adscensurus es ». Magna hæc[7], et nimium fortasse Græci putant, vel tum potius putabant; isque, qui hoc Diagoræ dixit, permagnum existimans, tres Olympio-

manocbegas Indus se censuit, ἅπαντα κατὰ γνώμην πράξαντα μέχρι νῦν, ἀπιέναι δεῖν, μή τι τῶν ἀβουλήτων χρονίζοντι συμπέσῃ, ut ait Strabo lib. XV, pag. 1048. Huc facit quod Antisthenes ἐρωτηθεὶς, τί μακαριώτερον ἐν ἀνθρώποις, ἔφη εὐτυχοῦντα ἀποθανεῖν. Vide Laertium, VI, 5. D.

5. *Decessio*. Amissio eorum bonorum.

6. *Rhodius Diagoras*. Plutarchus in Pelopida, pag. 297 : Ὁ Λάκων τὸν Ὀλυμπιονίκην Διαγόραν ἐπιδόντα μὲν υἱοὺς στεφανουμένους Ὀλυμπιᾶσιν, ἐπιδόντα δ' υἱωνοὺς καὶ θυγατριδοῦς, ἀσπασάμενος, Κάτθανε, εἶπε, Διαγόρα· οὐκ εἰς τὸν Ὄλυμπον ἀναβήσῃ. Aliter tamen hanc historiam refert A. Gellius N. A. lib. III, cap. 15 : « Is Diagoras tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem; eosque omnes vidit vincere coronarique Olympiæ eodem die; et quum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suaviarentur, quumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret; ibi in stadio, inspectante populo, in oculis atque in manibus filiorum animam efflavit ». Filiorum nomina fuere Demagetus, Acusilaus et Dorieus, ut docet Pausanias lib. VI, cap. 7, p. 468 seqq. ubi pariter exstat hujusce rei memoria. Eos etiam recenset auctor Argum. græcus in Pindari Olymp. VII, p. 76; illic autem male Διωρεὺς ἀντὶ τοῦ Δωριέως scribitur. Hoc patet ex Aristotelis Rhet. lib. I, cap. 2, 16, et Thucydidis lib. III, pag. 176, B. Ob eam causam gaudio periit et Chilon Lacedæmonius, quod tradunt Diogenes Laertius, I, 72, 74, aliique. Sane tanta fuit apud Græcos Olympiacæ victoriæ laus et gloria, ὥστε τὸν νικήσαντα αὐτῶν ἰσόθεον νομίζεσθαι, ut ait Lucianus de Gymn. tom. II, p. 274. Id multis ostendi facile posset, sed ne longior sim ad auctorum modo locos digitum intendam. Adi sis igitur Pindarum Olymp. III, 77. Isthm. V, 18, ubi poeta pugilem alloquens μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι. Πάντ' ἔχεις. (Vertit Buherius: Ne opta Jupiter fieri: omnia habes.) Vide Platonem de Rep. lib. V, p. 366, 368, edit. Cant. Athenæum lib. VI, p. 237, F. et lib. X, pp. 413, 414; Artemidorum lib. II, p. 145, ac lib. V, p. 266, ne Vitruvium, Suetonium, reliquosque memorem. Vide et infra lib. II, cap. 16. DAV. — *Duo suos*. Alii, *duos*. Ernest. delet *suos*, tamquam in talibus exemplis insitatum, et e *duos* natum.

7. *Magna hæc, et nimium fortasse*. Quum Rathbius diceret se non audere

nicas una e domo prodire, cunctari illum diutius in vita, fortunæ objectum, inutile putabat[8] ipsi.

Ego autem[9], tibi quidem quod satis esset, paucis verbis, ut mihi videbar, responderam[10]: concesseras enim, nullo in malo mortuos esse; sed ob eam causam contendi, ut plura dicerem, quod in desiderio et luctu hæc[11] est consolatio maxima. Nostrum enim, et nostra causa susceptum dolorem, modice ferre debemus, ne et nosmet ipsos[12] amare videamur. Illa suspicio[13] intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in iis malis, quibus vulgo opinantur[14]. Hanc excutere opinionem mihimet volui radicitus; eoque fui fortasse longior.

scribere *nimium magna*, plura exempla hujus locutionis congessit Moser, quibus locus noster stabilitur.

8. *Inutile putabat.* Noxium, quia summum felicitatis gradum attigisset, timendumque esset, ne umquam fortuna adversa uteretur. Naid.

9. *Ego autem tibi... fructus uberrimus.* Vergit jam ad finem omnis disputatio. Excusat se Cicero quod tam copiosus in enarrandis argumentis fuerit, quod brevius absolvi potuisset. Concluditur sermo cum epilogo. Inserviebat epilogus vel ad auditorem conciliandum et firmandum, vel summam orationis in memoriam revocandam vel affectum movendum. Cicero, dum judicia deorum immortalium de morte affert, hoc sibi in hoc epilogo proposuisse videtur, ut auditoris animum moveret, eumque firmiorem redderet. Naid.

10. *Ut mihi videbar, responderam.* Hoc nobis videtur positum pro *respondere potuissem.*

11. *Hæc est consolatio maxima.* Sc. nullo in malo mortuos esse, quum lugemus defunctos amicos aut propinquos.

12. *Ne et nosmet ipsos.* Davisius delevit *et.* Particulam, inquit, recte prætermittunt Reg. Eliens. pr. tert. Balliol. et Bak. At Eliens. sec. habet « nosmet ipsos solos amare ». Sed additamento tali nihil opus. Plutarchus tom. II, p. 65, E: Παρακελευόμεθα τὸ φίλαυτον ἐκκόπτειν ἑαυτῶν. Idem Cons. ad Apoll. p. 111: Εἰ μὲν οὖν αὐτῶν (ἕνεκα πενθοῦσι τοὺς ἀποθανόντας) φίλαυτος ἡ τῆς λύπης πρόφασις. Cicero de Amic. cap. 3: « Suis autem incommodis angi, non amicum, sed seipsum amantis est ». Vide sis eumdem in Bruto, cap. 1.

13. *Illa suspicio. Illa* cum vi pronuntiari debet. Sensus est: Dolorem nostra causa susceptum æquo animo tolerare debemus: sed ille dolor maxime tolerari non potest qui ex ea suspicione nascitur, sl op. etc.

14. *Quibus vulgo opinantur.* Vindobon. *quibus vulgus opinatur*, et sic malim. Omissa autem est vocula *in* ante *quibus*, sic passim, ut c. 39. Rath.

XLVII. Aud. Tu longior! non mihi quidem. Prior 112
enim pars orationis tuæ faciebat, ut mori cuperem; posterior, ut modo non nollem, modo non laborarem. Omni autem oratione[1] illud certe perfectum est, ut mortem non ducerem in malis.

Cic. Num igitur etiam rhetorum epilogum desideramus? an jam hanc artem[2] plane relinquimus? — Aud. Tu vero istam ne reliqueris[3], quam semper ornasti; et quidem jure: illa enim te, verum[4] si loqui volumus, ornaverat. Sed quinam est iste epilogus? aveo
enim audire, quidquid est.—Cic. Deorum immortalium 113
judicia solent in scholis proferre de morte, nec vero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore, aliisque pluribus. Primum Argiæ sacerdotis, Cleobis et Biton[5] filii,

XLVII. 1. *Omni autem oratione.* Jam duas orationis partes fecit; nunc de tota loquitur. Itaque legendum omnino *oratione*, non *ratione*. P. Manut.

2. *Hanc artem.* Rhetoricam.

3. *Tu vero istam ne reliqueris.* Ex Norvic. repono: «Tu vero istam nunc relinquis, quam semper ornasti? nam hæc ἐρωτηματικῶς sunt proferenda, et tum demum præcedenti periodo melius respondebunt. Dav. — Hæc in prima edit. Davisius, qui postea sententiam mutavit.

4. *Verum si loqui.* Est Victorii lectio, constabilita a Mart. Gembl. a Pal. pr. sec. tert. quint. Vat. Vulgo: « si vere loqui ». Gebh.

5. *Cleobis et Biton.* Gebhardiani novem, *Cleobis et Binoto*: Petrens. *Cleobis et Binotho.* Pro latinorum more rescribatur *Cleobis et Bito*, quemadmodum diserte MS Norvic. — Hæc Davis. in prima ed. et quidem in tertia *Bito* scripsit, sequente Schützio. — *Cleobis et Bito.* De hisce viris eam quæ sequitur historiam refert Herodotus lib. I, cap. 31. Stobæus Serm. CXIX, pag. 603: Κλέοβις καὶ Βίτων Κυδίππης τῆς μητρὸς αὐτῶν ΔΕΞΑΜΕΝΗΣ τῇ Ἥρᾳ (leg. εὐξαμένης, quod a me prius observatum, sibi quoque monendum putavit Cl. Potterus ad Clementis Strom. III, p. 517), δοῦναι τοῖς παισὶν, ὅπερ ἂν εἴη κάλλιστον, ὅτι ἑαυτοὺς ὑποζεύξαντες τὴν μητέρα εἰς τὸ ἱερὸν ἀνήγαγον, τὸν βίον παραχρῆμα κατέστρεψαν. In eamdem rem nitidos incerti scriptoris versus subnectit. Æschines Axiocho, p. 730: Οἵτε τῆς Ἀργείας ἱερείας υἱεῖς etc. Rod. Agricola vertit « Junonis Argivæ sacerdotes »; quasi legisset: Οἱ θ' Ἥρας Ἀργείας ἱερεῖς, quæ pura puta est παραδιόρθωσις· mater enim sacerdos erat Argiva, cui nomen Cydippæ. Hoc, præter Stobæum jam laudatum, diserte tradunt Servius et Philargyrius ad Virgilii Georg. III, 532. Tzetzes Chil. I, 31: Καὶ Κλέοβιν καὶ Βίτωνα τοὺς παῖδας τῆς Κυδίππης. Sic enim legas oportet, non Κλέοβριν

prædicantur. Nota fabula est : quum enim illam ad solemne et statum[6] sacrificium curru vehi jus esset[7], satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta; tunc juvenes ii, quos modo nominavi, veste posita corpora oleo perunxerunt; ad jugum[8] accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, quum currus esset ductus a filiis[9], precata a dea dicitur, ut illis præmium daret[10] pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo : post epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse; mane inventos esse mor-
114 tuos. Simili precatione Trophonius, et Agamedes[11],

καὶ Βίτανα. Iterum vers. 35 : Οἱ παῖδες τῆς Κυδίππης τῆς ΡΕΑΣ ἱερείας. Scribe τῆς ΗΡΑΣ. Rem ipsam, præter eos quorum jam memini, tetigere Plutarchus Cons. ad Apoll. p. 108, ac in Solone, p. 93, 94. Palæphatus de Incred. cap. 51; Claudianus Idyll. VII, 39; Valerius Maximus lib. V, cap. 4, 4 ext. Sextus Empiricus Pyrrh. Hypot. lib. III, cap. 24, p. 158; Lucianus Cont. tom. I, p. 349; Theon. Progymn. cap. 2, p. 15; Tertullianus Adv. Natur. lib. II, cap. 9; denique Hyginus Fab. CCLIV, a quo tamen, aut saltem a librariis, *Cleops et Bitias* perperam nominantur. Dav.

6. *Statum*. Male quidam impressi *statutum*.

7. *Quum enim illam... curru vehi jus esset*. In græco est : ἔδει πάντως ζεύγει κομισθῆναι ἐς τὸ ἱερόν; unde scribo : « quum enim illa curru vehi jussa esset ». Rath.

8. *Ad jugum*. Rathius mallet *et ad jugum*, quod ait esse in codd.

9. *Quum currus esset ductus a filiis, precata*. Davisius dedit « quum currus esset ductus, ea filiis precata », quam emendationem dicit a codd. minime recedere. Sed nos quærimus quis emendationi locus esset. Ceteri non sequuti sunt.

10. *Ut illis præmium daret*. Davis. « ut illud præmii ». Quum, inquit, in Reg. Pithœn. Pal. quint. et Bsk. sit *præmii*; ac Eliens. sec. *illud* repræsentet; *illud præmii* dedimus. — Rathius conjicit : « ut id illis præmii daret ».

11. *Trophonius et Agamedes*. Hanc historiam modo plane diverso tradit Pausanias lib. IX, cap. 40, pag. 79, quem vide. At cum nostro facit Æschines in Axioch. p. 730. Ἀγαμήδης γοῦν, inquit, καὶ Τροφώνιος, οἱ δειμάμενοι τὸ Πυθοῖ τοῦ Θεοῦ τέμενος, εὐξάμενοι τὸ κράτιστον αὐτοῖς γενέσθαι, κοιμηθέντες οὐκ ἔτ' ἀνέστησαν. Et hos quidem λάϊνον οὐδὸν, et ἄδυτον ἐκ πέντε λίθων Apollinis Delphici templo posuisse testantur Homerus Hymn. in Apoll. vs. 296, et Stephanus in Δελφοί. Vide et Nonnum ad Gregorii Nazianzeni Stel. I, Histor. 1. Χαριστηρίου vero, quod contulit iste deus, non meminere. Meminit autem Plutarchus Cons. ad Apoll. p. 109, A; Περὶ Ἀγαμήδους, inquit, καὶ Τροφωνίου, φησὶ Πίνδαρος, τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς οἰκοδομήσαντας, αἰτεῖν παρὰ

usi dicuntur : qui quum Apollini Delphis templum exædificavissent; venerantes deum, petierunt mercedem non parvam quidem operis et laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post ejus diei diem tertium : qui ut illuxit, mortui sunt reperti[12]. Judicavisse deum dicunt, et eum quidem deum, cui reliqui dii concessissent, ut præter ceteros divinaret[13].

XLVIII. Affertur etiam de Sileno fabella[1] quædam; qui quum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur : docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse[2]; proximum autem,

τοῦ Ἀπόλλωνος μισθόν· τὸν δ' αὐτοῖς ἐπαγγεῖλασθαι εἰς ΕΒΔΟΜΗΝ ἡμέραν ἀποδώσειν... τοὺς δὲ... τῇ ΕΒΔΟΜΗι νυκτὶ κατακοιμηθέντας τελευτῆσαι. Eamdem sive fabulam sive rem gestam refert etiam Stobæus Serm. CXIX, p. 603, et ei quoque diem adsignat *septimum*. Hinc forsan apud Nostrum rescribi debet *post ejus diei diem septimum*, non *tertium*. Certe notæ numerales VII et III lineola tantum distinguuntur, adeoque non difficulter a librariis queunt confundi. Sic apud Hieronymum in Catal. cap. 109, alii codices LXXXIII, alii LXXXVII exhibent. Davis.

12. *Mortui sunt reperti*. Hinc Homero (Hymn. in Apollinem, 296) vocantur φίλοι ἀθανάτοισιν θεοῖσιν non sine respectu ad eorum mortem præmaturam. Nein.

13. *Divinaret*. Addunt Vict. Man. Lamb. alii « mortem esse optimum homini », quod MSS auctoritate ejectum est. Rathius ante *judicasse* conjicit addendum *ita*, ne quid sententiæ deesse videatur. — *Divinaret*. Optime itaque scire posset, quid homini optimum esset, necne. Nein.

XLVIII. 1. *De Sileno fabella quædam*. Eamdem ex Aristotele narrat Plutarchus Cons. ad Apoll. p. 115, qui pariter ac Athenæus lib. II, p. 45, aliique, cum nostro Silenum facit Midæ captivum. At Xenophonti de Exped. lib. I, pag. 247; Maximo Tyrio Diss. XI, § 1, ac Himerio apud Photium, cod 243, Satyrus nominatur. Non raro quidem Silenos et Satyros confundunt auctores : est tamen inter eos discrimen; qua de re videas licet Is. Casaubonum de Sat. poesi, lib. I, cap. 2, p. 53, et Jac. Perizonium ad Æliani III, 18. Dav.

2. *Non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quam primum mori*. Lactantius Div. Inst. lib. III, cap. 19 : « Inepta illa sententia... primum bonum esse non nasci; secundum citius mori. Quæ ut majoris sit auctoritatis, Sileno attribuitur ». Notissimi sunt hi versus : Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον, Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι· Eos Homero tribuit auctor Certam. p. 23. At, interposito pentametro, leguntur apud Theognidem, vers. 425, quem auctorem agnoscunt Clemens

115 quam primum mori. Qua est sententia in [3] Cresphonte usus Euripides :

> Nam nos decebat, cœtus celebrantis [4], domum
> Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
> Humanæ vitæ varia reputantis mala;
> At, qui labores morte finisset gravis,
> Hunc omni [5] amicos laude et lætitia exsequi [6].

Strom. III, pag. 517; Theodoretus Therap. V, p. 71, et Stobæus Serm. CXIX. In eamdem mentem coacervari possint quamplurima. Vide sis Anthol. lib. I, tit. 13; Ausonium de Amb. vitæ vs. 49; Plinium Hist. N. lib. VII; Procem. Hieronymum in Epit. Nepot. p. 23; Senecam Cons. ad Marciam, c. 22, aliosque. Nam quod ait Alexis, Τὸ πολλοῖς τῶν σοφῶν εἰρημένον, Τὸ μὴ γενέσθαι μὲν κράτιςόν ἐστ' ἀεὶ, Ἐπὰν γένηται δ', ὡς τάχις' ἔχειν τέλος. Apud Athenæum lib. III, pag. 124. Davis.

3. *In Cresphonte.* Cresphontes est nomen tragœdiæ Euripidis deperditæ cujus adhuc tantummodo aliquot restant fragmenta. Vid. Eurip. Fragm. p. 436, tom. II, ed. Beckii. Naid.

4. *Nam nos decebat, cœtus celebrantis, domum Lugere.* Vulgo post *domum* male ponitur interpunctio; quam ob causam factum est ut D. Lambinus et Fr. Fabricius legerint « cœtu celebrantes domum, Lugere, etc. » Nos autem, prava tantum distinctione sublata, loco medicinam facimus. Virg. Æn. I, 739 : « Et vos o cœtum Tyrii celebrate frequentes ». Ubi cœtum *convivium* interpretatur Servius. At *convivium celebrare* dixit etiam Tacitus Annal. IV, 59, XV, 69. Hoc tamen in loco *conventum* denotari puto, quo sensu σύλλογον ποιέειν dixit Herod. VII, 8, VIII, 83. Dav. — Buher. legit « cœtus celebr. domu, etc. » Rathius cum Lamb. legit « cœtu celebrantes domum », quia *lugere* ad recens natum melius, quam ad domum refertur, et quia huic lectio græca τὸν φῦντα θρηνεῖν favent.

5. *Hunc omni amicos laude.* Quum vulgo legeretur « hunc omnes amicos laude », ut versus constaret, Davisius reposuit *omni.* Pleræque edd. inquit, primam vocem omittunt, et ita metro potius quam sententiæ consulunt : nostri certe MSS constanter retinent.

6. *Et lætitia exsequi.* Græca nobis servarunt Clemens Strom. lib. III, pag. 517; Theodoretus Therap. V, p. 71, aliique multi, quorum meminit Th. Gatakerus Advers. Posthum. cap. 10, col. 530. Ea sic se habent : Ἔδει γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους Τὸν φῦντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακὰ, Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον, Χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Hosce versus in animo habuit Epictetus apud Arrianum lib. IV, cap. 5. p. 390. Ad eosdem respexit et Heliodorus Æthiop. lib. VII, p. 322, 323; nam falsus est Joan. Bourdelotius, pro cujus opinione Platonis locus ei præ oculis fuit. Videtur autem Euripides ad earum nationum morem allusisse, « quæ natales hominum flebiliter, exsequias cum hilaritate celebrant », ut ait Valerius Maximus lib. II, cap. 6, 12 ext. Vide et Quintilianum lib. V, cap. 11. De

Simile quiddam est in Consolatione Crantoris[7]: ait enim, Terinæum quemdam Elysium[8], quum graviter filii mortem mœreret, venisse in psychomantium[9], quærentem, quæ fuisset tantæ calamitatis causa; huic in tabellis tres hujusmodi versiculos datos:

> Ignaris homines[10] in vita mentibus errant:
> Euthynous potitur, fatorum munere[11], letho.
> Sic fuit utilius finiri ipsique, tibique.

His, et talibus auctoribus usi, confirmant, causam 116
rebus a diis immortalibus judicatam[12]. Alcidamas qui-

Thracibus hoc ipsum facientibus exstat Archiæ carmen Anthol. lib. I, cap. 13; Zenobius Cent. V, 25: ΚΑΙΣΙΑΙ ἐπὶ γενομένοις δακρύουσιν, ἐπὶ δὲ ἀποθνήσκουσι, χαίρουσι. Vatic. Καυσιακαί. Leg. Καυσιανοί. De Causianis enim hæc refert Stobæus Serm. CXIX, p. 603. Idem habet de Trausis ejusdem tituli p. 607. Vide sis Herodotum lib. V, cap. 4, et Choricium Sophistam in laud. Procopii Gazæi, § 35, quem primus exhibuit vir doctissimus J. A. Fabricius Bibl. Græc. tom. VIII. « Quin et Essedonas funera parentum lætos et victimis et festo coitu familiarium celebrare » narrat Mela lib. II, cap. 1. Dav.

7. *In Consolatione Crantoris*. Erat libelli inscriptio de Luctu Acadd. II, 44, περὶ πένθους Diog. Laert. IV, 27. Buhle.

8. *Elysium*. Sic legendum est, non ut omnes fere habent *Elisium*. Est enim ap. Plutarchum ἠλύσιος. J. V. L.

9. *Psychomantium*. Locus ubi manes citantur. Nard. — Vid. Cic. Nat. Deor. I, 58, et opus Fréreti, *Sur les Oracles rendus par les ames des morts*, recitatum in Academia Inscriptionum 17 jan. ann. 1749.

10. *Ignaris homines... ipsique tibique*. Græci versus, ut et historia quam modo retulit Tullius, exstant apud Plutarchum Cons. ad Apoll. p. 109. Illi sic se habent: Ἦρου (f. Ἤπου) νήπιε Ἠλύσι' ἠλίθιοι φρένες ἀνδρῶν, Εὐθύνοος κεῖται μοιριδίῳ θανάτῳ, Οὐκ ἦν γὰρ ζώειν καλὸν αὐτῷ οὔτε γονεῦσι. Davis.

11. *Fatorum munere, letho*. Davisius scribit *fatorum numine*. Præstat, inquit, lectio, quam repræsentant Reg. Med. Ursin. Eliens. pr. sec. tert. Balliol. Bak. eamque jampridem receperunt Victorius et Lambinus. Sane μοιριδίῳ θανάτῳ belle respondet (*numen* enim nutum sive voluntatem significat), et magis est poetica. — Davisium Schütz. et Naid. sequuntur. Codd. regg. apud J. V. L. *numine*.

12. *Causam... judicatam*. J. V. L. dicit hanc omnem deorum auctoritatem vinci hoc argumento poetriæ Sapphus ab Aristot. in Rhet. II, 23, servato: « mors est malum; hoc certe dii crediderunt qui noluerunt mori ». Sed mors quæ malum esset diis, qui summa felicitate fruuntur, bonum esse potest hominibus qui tot et tantis miseriis obnoxii sunt. Ergo falso simili hoc argumentum nititur. Ceterum *rebus* h. l. valet *factis*.

dam [13], rhetor antiquus, in primis nobilis, scripsit etiam laudationem mortis, quæ constat ex enumeratione humanorum malorum : cui rationes eæ, quæ exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt ; ubertas orationis non defuit. Claræ vero mortes pro patria oppetitæ, non solum gloriosæ rhetoribus, sed etiam beatæ videri solent. Repetunt ab Erechtheo [14], cujus etiam filiæ cupide mortem expetiverunt [15] pro vita civium : Codrum [16], qui se in medios immisit hostes,

13. *Alcidamas quidam.* Davisius scribit *Alcid. quidem*, notatque : *quidem* commendavit Bentleius, quum videret v. *quidam* eum *in primis nobilis* pugnare. Vulgo *Alcidamus quidam.* Eliens. sec. *Alcidamaus.* Legendum *Alcidamas*, ut edidit D. Lambinus, quem sequi debebant recentiores. Alteram vocem mutavit Cl. Bentleius ; cujus conjecturam firmat Reg. Tzetzes Chil. XI, 746 : Ὡς Ἀλκιδάμας ἔγραψεν ἐγκώμιον θανάτου Ὁ Ἐλαΐτης σύγχρονος ὑπάρχων Ἰσοκράτει. Hujusce rhetoris, præter Suidam, Dionysium Halicarnasseum, Quintilianum et alios, meminerunt Athenæus lib. XIII, p. 592, et Diogenes Laertius, VIII, 56, IX, 54. — *Quidem* Schützius et Neid. amplexi sunt. — *Alcidamas quidam.* Hunc rhetorem Plato, in Phædro, appellabat Palamedem, quod ut ille in utramque partem dissereret. Buher.

14. *Repetunt ab Erechtheo... Codrum*, etc. De Orat. I, 20 : « Quum repeteret usque a Corace, etc. » de Div. I, 1 : « Ut ab ultimis auctoritatem repetam, etc. » de Invent. II, 2 : « At veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos, etc. » Itaque dicitur *repetere* qui vetera atque obliterata commemorat ; quod faciebant rhetores isti, de quibus agitur, qui « claras mortes pro patria oppetitas » commemorabant, usque *ab Erechtheo* exorsi ; atque ex illa antiquitate repetebant Codrum, etc. Anon. — Hæc satis respondent Rathio, qui negat v. *Codrum* regi posse a præced. *repetunt* ; quia Codrus trecentis fere annis post Erechtheum vixit : quæ observatio quam futilis sit, nemo non sentiet. Ceterum Davis. vv. *cujus... civium* uncis includit.

15. *Expetiverunt.* Bentleius scribi volt *oppetiverunt*, quia re ipsa morte potitæ sunt. Cui Buherius respondet : Aliter mihi videtur. Conspirat scilicet *cupide* melius cum verbo *expetiverunt.* Neque fuit necesse verbo proprio id exprimere, quod ex tota loci serie satis intelligitur, Erechthei filias mortem obiisse : neque voluit Cicero de morte illarum, sed de alacritate moriendi admonere. Buher. — Sic gallice dicitur : *il alla chercher la mort*, de eo qui periit. — Historiam suppeditant Apollodorus lib. III, cap. 14, 4 ; Apostolius Cent. XV, 84, aliique scriptores, quos laudant Hier. Columna ad Ennii Fragm. p. 254, et Joan. Meursius de Reg. Atheo. II, 9, ac Cecropiæ cap. 14. Dav.

16. *Codrum.* Mendosus locus : Buherius conj. *tum Codro.* J. V. L. — No-

veste famulari[17], ne posset agnosci, si esset ornatu regio; quod oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore. Menœceus vero[18] non prætermittitur; qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem. Iphigenia Aulide[19] duci se immolandam[20] jubet, ut hostium sanguis eliciatur suo.

XLIX. Veniunt inde ad propiora. Harmodius in ore et Aristogiton[1], Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent. Nostros non norunt; quos enumerare magnum est[2]: ita sunt multi, quibus videmus optabiles mortes fuisse cum gloria.

Quæ quum ita sint, magna tamen[3] eloquentia est 117

bis et locus bonus et inutilis Buherii conj. videtur.

17. *Veste famulari.* In hac re *famularem cultum* dixit etiam Valerius Maximus lib. V, c. 6, 1, ext. Δρυτόμου vero seu φρυγανιστῆρος σχῆμα vel στολὴν vocant, Polyænus I, 18; Stobæus Serm. VII, p. 92, et Tzetzes Chil. I, Histor. 4: at *pastoralem cultum* Velleius Paterculus lib. I, cap. 2. *Famularis vestis* vel *cultus* pro *pauperis habitu*, vilique se humili indumento γενικῶς est accipiendus, ut patet ex Augustino, C. D. lib. XVIII, cap. 19, et Servio ad Eclog. V, 11. Similiter οἰκετικὰς ἐσθῆτας usurpat Polyænus Stratag. VI, 49, et *famularem vestem* Valerius Maximus lib. VI, cap. 7, 3. Dav.

18. *Menœceus vero... qui orac. edito.* Davisius delet *vero*. Hanc, inquit, vocem nesciunt Reg. Med. Eliens. pr. tert. Balliol. Bak. et Petr. nec eam postulat oratio. Reg. etiam dat *quidem oraculo edito*. Lege *qui item oraculo edito*. Ceterum noster *oraculum editum* dicit, quod Tiresias vates futuram Thebanis victoriam promiserat, si Menœceus, Creontis filius, Marti fieret victima. Vide sis Apollodorum Bibl. lib. III, cap. 6, 7; Argument. ad Euripidis Phœniss. Nonnum ad Nazianzeni Stelit. I, Hist. 9; Sil. Ital. Thebaid. X, aliosque. A reliquis diversus abit Hyginus, qui Fabb. 67, 242, Menœceum hunc Creontis et Jocastæ patrem fuisse confirmat. — Davisium Schütz. et Neid. sequuti sunt.

19. *Aulide.* Apud Euripidem Iph. in Aul. v. 1447, inquit: ὡς εὐτυχοῦσά γ' Ἑλλάδος εὐεργέτις. Neid.

20. *Duci se immolandam.* Rathius legit *immolatum*, qua auctoritate, aut qua necessitate?

XLIX. 1. *Harmodius in ore et Aristogiton.* Rathius scribi vult « Harmodius in ore est et Arist. » quod dicit e codd. esse. — Harmodius et Aristogiton adversus Pisistrati, Atheniensium tyranni, filios conjuraverunt. Unum ex iis occiderunt, ipsique hac in conjuratione perierunt anno ultimo Olympiad. 66, id est, anno 513 ante Christum, secundum P. *Petav.* J.V.L.

2. *Magnum est.* Ern. dedit *longum est* cum Cantabr. aliisque MSS, et sic dederat Davis. in pr. ed.

3. *Quæ q. i. sint, m. tamen.* Quum-

utendum, atque ita velut superiore e loco concionandum, ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies non exstinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius? Sin autem perimit, ac delet omnino, quid melius, quam in mediis vitæ laboribus obdormiscere, et ita conniventem somno consopiri sempiterno? Quod si fiat, melior Ennii, quam Solonis oratio[4]. Hic enim noster,

> Nemo me lacrymis decoret (inquit), nec funera fletu
> Faxit [5].

At vero sapiens ille,

> Mors mea ne careat[6] lacrymis : linquamus amicis
> Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

118 Nos vero, si quid tale acciderit, ut a deo denuntiatum videatur, ut exeamus e vita, læti, et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia, et levari vinculis arbitremur, ut aut in æternam, et plane[7] in nostram

quam tot et tam pulchra exempla satis per se ipsa valent ad terrorem mortis depellendum, omnibus tamen eloquentiæ viribus utamur, ut hominibus mortem vel optandam, vel saltem non timendam faciamus. Quid est enim cur eam timere debeamus? nam si supremus, etc.

4. *Melior Ennii, quam Solonis oratio.* Noster de Senect. cap. 20 : « Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Sed haud scio an melius Ennius : Nemo me lacrymis decoret, etc.» Ex hoc loco reformatus est Ursini MS, qui dedit «Melius Ennii quam Solonis elogium»; si tamen ullus revera fuit codex, qui talem lectionem repræsentarit. Dav.

5. *Nec funera fletu Faxit.* Lambinus ad cap. 20 de Senect. reponit *nec funere lessum Faxit.* De *lesso* videas licet nostrum de Legg. II, 23. Si quid mutandum, legerim, « nec funera fletum Faxit ». Funeras dicebant eas ad quas funus pertinet, ut testatur Servius in Æn. IX, 486. Dav.

6. *Mors mea ne careat.* Plutarchus tom. I, pag. 109, ita refert, ἃ τοῖς περὶ Μίμνερμον ἀντείπων περὶ χρόνου ζωῆς ἐπιπεφώνηκε (Σόλων) Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι ΠΟΙΗΣΑΙΜΙ θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς. Rursus exstant apud Stobæum Serm. CXXI, p. 612, ubi tamen in secundo versu legitur καλλείποιμι θανὼν, quod Ciceronis versioni melius respondet. Dav.

7. *Et plane in nostram dom. rem.* Mart. Fabr. Pith. Vatic. tert. Pal.

domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus : sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus, nihilque in malis ducamus, quod sit vel a diis immortalibus, vel a natura parente omnium constitutum. Non enim temere, nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod, quum exantlavisset[8] omnes labores, tum

plene, unde ex conj. Gulielmi *pæne*, quod visitur in primo. GERHARD.

8. *Exantlavisset.* Davisius *exunclavisset* scribit, notatque : MS Pithœanus *exaudavisset*, onde Janus Gulielmius, ingenio potius quam judicio litans, reponit *exsudavisset.* Licet enim non negem, quin *certamina* vel *labores exsudare* plus vice simplici dixerint Livius et Ammianus Marcellinus; ita tamen nullibi Tullius est loquutus : receptamque lectionem defendunt quum reliqui codices, tum Nonius, qui non hunc modo, sed et alium, ubi Noster eamdem φράσιν adhibet, locum citavit cap. 2, in *exanclare.* Is exstat Acad. lib. II, cap. 34. Vide sis et eumdem cap. 4, in *exanclare*; ut nesciam quid in mentem fuerit accuratissimo Quintiliano, quum lib. I Inst. Orat. cap. 6, hoc verbum poneret inter ea, quibus non est utendum. Ceterum de veriverbio disserunt M. A. Muretus et G. J. Vossius in Etym. quorum scrinia non compilabo; meam tantum opinionem paucis efferam. Ea nempe vox non ab *anculando*, sed ἀπὸ τοῦ ἀντλεῖν videtur deducenda, quamvis, literula mutata, *exanclare* potius, quam *exantlare*, dixerint Latini. Hoc certe testantur Veteres, et e sequentibus clare potest intelligi. Verum tamen H. Stephanus Castig. in Cicer. p. 35, etymologiam ἀπὸ τοῦ ἐξανατλᾷν petit, et ἐξαντλεῖν πόνους græce dici non existimat. Sed dubio procul lapsus est vir doctissimus. Theophilus ad Autol. lib. II, p. 102, ed. Paris. Διὰ δὲ τῆς παρακοῆς ὁ ἄνθρωπος ΕΞΗΝΤΛΗΣΕ ΠΟΝΟΝ, ὀδύνην, λύπην. Euripid. in Cyclop. v. 10 : Καὶ νῦν ἐκείνων μείζον' ΕΞΑΝΤΛΩ πόνον. Iterum v. 281 : Οὔτοι πόνον τὸν δεινὸν ΕΞΗΝΤΛΗΚΟΤΕΣ. Adi sis et Medeæ vers. 79, Alcest. vers. 354. Androm. v. 1217, ac Gatakerum ad Antonini IV, 50. Similiter Latini. Livius, XXI, 21 : « Per totum tempus hiemis, quies inter labores aut jam exhaustos, aut mox exhauriendos renovavit corpora ». Ovidius Art. amand. I, 771 : « Pars superat cœpti, pars est exhausta laboris ». Et Metam. XII, 161 : « Inque vices adita atque exhausta pericula sæpe Commemorare juvat ». Quæ loca satis ostendunt non fuisse, cur Nic. Heinsius Fast. V, 388, ederet, « Venerat Alcides exacta parte laborum », nam *exhausta* legunt plerique codices. Statius Theb. VI, 236 : « posito donec cum sole labores Exhausti ». Si pluribus sit opus, adeas licet Senecam Epist. 52; Plinium lib. V, Epist. 5, et Lactantium Div. Inst. lib. VI, cap. 4. — Davisium Wolf. Schutz. Neid. sequuntur.

incideret in mortis malum sempiternum: portum po-
119 tius paratum nobis, et perfugium putemus. Quo utinam velis passis[9] pervehi liceat! Sin reflantibus[10] ventis rejiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus necesse est, idne miserum esse uni potest?

Habes epilogum, ne quid prætermissum, aut relictum putes. — AUD. Ego vero. Et quidem fecit etiam iste me epilogus firmiorem. — CIC. Optime, inquam. Sed nunc quidem valitudini[11] tribuamus aliquid. Cras autem, et quot dies erimus in Tusculano, agamus hæc, et ea potissimum, quæ levationem habeant ægritudinum, formidinum, cupiditatum: qui omni e philosophia est fructus uberrimus[12].

9. *Velis passis.* Id est, ocissimo cursu et festinata celeritate; translatio sumpta a navigantibus, qui velis expansis ac plenis portum subeunt volitantes. *Passa vela* dicimus expansa, distenta, explicata, vento tumentia ac plena. A verbo *pando, passum* Veteres dixisse, non *pansum*, et *expassum* A. Gellius Serviusque testantur. *Capillo passo* esse mulieres dicuntur, quasi porrecto et expanso; et *passis manibus* dicimus, quod significat diductis atque distentis. Plautus dixit *dispessis manibus*, pro eo quod est dispassis distentisque. Tertullianus tamen *oppansum velum* dixit, pro oppasso vel et extento. BEROALDUS.

10. *Reflantibus ventis.* Vulgo *restantibus*, contra quam jubet omnium MSS consensus. DAV.

11. *Valitudini.* Id est, curandis corporibus et quieti capiendæ.

12. *Qui omni e philosophia est fructus uberrimus.* Victorii editio hanc lectionem habet. Pall. tamen tres cum Fab. Pith. « qui in omni philos. est », quart. quint. omittunt præpositionem; quart. amplius *philosophie*, unde proclive legere « qui omnia philosophiæ est fr. uberr. » quam lectionem postea omnibus apicibus inveni in Vaticani Excerptis. GERN.

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, Tuscul. Quæst. lib. I, cap. 10, § 22, p. 45.

Et sic ipsum animum ἐντελέχειαν *appellat novo nomine*, etc.

De hujus vocabuli vi vehementer disputatum esse constat. Nos, quæ ex h. l. verbi potestas elici possit, videbimus, et cum ipso Aristotele comparabimus. Cicero ait, Aristotelem vidisse, actiones animi esse eas, quæ in materiam cadere non possint, neque ab ullo genere elementorum proficisci queant, quæ nobis quidem nota sint. Atque id vere judicavit. Nam corporibus nihil præter motum, auctore ipso Aristotele, accidere potest, ut philosophi certis argumentis demonstrant. Inter cogitationes autem, ideas, etc. et motum nulla similitudo est. Itaque lib. I de Anima, in quo opiniones aliorum de anima enumerat, cap. 3, init. diserte ait: ἕν τι τῶν ἀδυνάτων, τὸ ὑπάρχειν ψυχῇ κίνησιν. Hoc igitur constituto, ut, quoniam actiones animæ non essent corporeæ, nec ipsa corpus esset, efficiebatur, ut proprium genus substantiæ constitueret, sub quo animæ humanæ continerentur, quod esset ab corporeo genere sejunctum et plane discretum. Hoc novum genus, novo etiam vocabulo ἐντελέχειαν appellavit, hoc est, « quasi quamdam perennem et continuatam motionem ». Non dicit « motionem », sed « quasi quamdam motionem ». Sic dicimus : « ratio est quasi quædam lux animi »; non quod lux sit, sed quod ita se habet ad animum ratio, ut lux ad oculos. Sic ut motio se habet ad corpus, ita ἐντελέχεια ad animam. Nam, ut jam ad Aristotelem veniamus, ἐντελέχεια ex ejus mente non est ipsa anima, sed ejus forma; subjectum autem ejus, et quasi materia (hoc est, quod se ad ἐντελέχειαν habet, ut ad motum corpus) est δύναμις, vis

agendi, hoc est, percipiendi, cogitandi. Videamus ejus verba lib. II de Anima, cap. 1. In omni re tria esse dixerat, ὕλην, μορφὴν, ἢ εἶδος, et τὸ ἐκ τούτων. Hoc ad animam sic transfert: ἔστι δὲ ἡ μὲν ὕλη, δύναμις, τὸ δὲ εἶδος ἐντελέχεια. Aristoteles non diserte dicit: ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια. Neque tamen Cicero peccat, ei hoc enuntiatum tribuens. Nam res a forma sua, qua ab aliis rebus distinguuntur maxime, appellari in omnibus linguis, usitatum est. Hæc est mea de hoc verbo sententia, quam ex parte vidit etiam Leibnitz. Vid. Theod. lib. I, § 87. Quod Davisius hic putat, animam Aristoteli esse formam corporis, quæ eam animet, errat. Nam hæc Dicæarchi est sententia, non Aristotelis, quam Cicero ab illa distinguit. Veteres profecto eodem ac nos modo cepisse hoc verbum videntur. Sext. Empir. advers. Math. X, 340, pro *actu* posuit, et potentiæ opposuit: Τὸ ᾠὸν κατὰ δύναμιν μὲν νεοσσός ἐστι, κατ' ἐντελέχειαν δὲ οὐκ ἔστιν. Confer quos laudat Fabric. ad § 315. Est autem verbum ἀπὸ τοῦ ἐντελὲς ἔχειν. Ἐντελὴς est perennis, perpetuus. Ernestius.

Quidam contendunt Ciceronem vim vocis ἐντελέχεια non intellexisse, eamque ab eo male fuisse definitam. Politianus Miscell. c. 1, et Andr. Schottus Tull. Quæst. IV, 12, Ciceroni voluerunt succurrere. Sed iis, utpote grammaticis, minor habenda fides est, quam Gassendio et Leibnitzio, qui Ciceronis interpretationem minime comprobant. Vid. Gassend. Physic. lib. III, c. 1; Leibn. in Princip. quem loc. reperias in Supplement. Diarii Lips. t. VIII, sect. 11. Vid. etiam unam hujus epist. editam in Pelissonis operibus, inscriptamque *de la tolérance des Religions.* Postquam undique lucem quæsiveris, forsan nihilominus tenebræ, quibus hæc Aristotelis opinio laborat, discutientur. Inde orta est fabula a Crinito in lib. de honesta Disciplina, VI, 11, narrata: scilicet Hermolaum Barbarum, Venetum nobilem, cum diabolo colloquium habuisse, ut ab eo sciscitaretur quid Aristoteles significaret voce illa ἐντελέχεια, cujus nusquam certam dedit definitionem. J. V. L.


EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, Tuscul. Quæst. lib. I, cap. 34, § 83, p. 118 :

Ut is a rege Ptolemæo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, etc.

Quum multi post Alexandrum in Ægypto regnarint Ptolemæi, haud facile est definire quem eorum Cicero hic potissimum dicat, neque est quidquam a veteribus de hoc Hegesia proditum literis, quod inquirentes juvet. Gerardi Joannis Vossii errorem, qui libro I de Historicis Græcis, cap. 12, Hegesiam facit Platonis æqualem, convicit in Diogen. Laert. II, 26, Ægidius Menagius; cujus argumentis adjungi hoc potest, eum, qui Ptolemæorum primus in Ægypto regnavit, longo satis intervallo post Platonis mortem, rerum fuisse potitum. Quia vero quo Hegesias tempore floruerit, non indagavit Menagius, quod verisimile videtur proferam. Auctore nitor Diogene eodem Laertio, qui hac serie dispositos dedit Cyrenaicæ sectæ philosophos.

ARISTIPPUS.



Theodorum hunc, quem cognominarunt *Deum*, vixisse constat tempore Ptolemæi Lagidæ; cujus rei testem habe-

mus Diogenem Laertium, II, 101. Hegesias ergo, si proxima post Theodorum ætate vixit, in postremos incurrerit annos Lagidæ, qui prope quadraginta imperio explevit; aut in tempora Philadelphi. Notum est, isto regnante, quis honos literis fuerit Alexandriæ, qua in urbe Hegesiam scholas habuisse testis est hic Cicero. Atque ut erat non tantum philosophus insignis, sed orator, Valer. Max. VIII, 9, vix dubito, quin hic ipse ille sit Hegesias Magnesius, a Cicerone inter oratores, a Vossio inter historicos numeratus. Hegesiam quidem philosophum Vossius sejungit ab historico; sed idcirco quia in philosophi ætate oberraverat, quod ante animadverti. Fuerit tamen alter Hegesias philosophus, alter historicus; at eodem uterque vixit tempore. Bouhierius.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI.

In hoc libro, qui est de *tolerando dolore*, post præfationem qua cohortatur ad philosophiam diligenter colendam, latinisque inprimis literis illustrandam, cap. 1-3, colloquium inducitur ab ipsius philosophiæ laudibus; et quum auditor hanc sententiam proposuisset, dolorem maximum omnium malorum sibi videri, hæc statim hoc argumento refellitur, quod dedecus et turpitudo majus profecto sit dolore malum, cap. 4, 5. Sequitur ut doceatur omnino ne malum quidem esse dolorem. In quo primum multorum philosophorum imbecillitatem reprehendit; quum Aristippus non dubitarit summum malum dolorem dicere, quem Epicurus sequutus sit; Hieronymus autem Rhodius summum bonum posuerit in vacuitate a dolore, ceteri præter Zenonem, Aristonem et Pyrrhonem malum certe dixerint dolorem, etiamsi alia pejora. Poetas quoque vituperandos esse dicit, qui summos homines inducant in dolore muliebriter lamentantes, cap. 6-12. Rationes autem quibus in frangendis opinionibus eorum qui dolorem malum dicant, Stoici utantur, contortulas esse et verbis quidem aliis definire dolorem, non tollere. Verum igitur hoc esse, dolorem opprimendum esse patientia et fortitudine, idque partim exercitatione fieri et consuetudine, cap. 13-17; partim ratione et sapientia, in quo primum nihil profici docet Epicuri ratione, qui magnum dolorem brevem, longum vero levem esse dixerat, cap. 19; aliunde potius medicinam quærendam esse. Itaque primum oportere hoc sibi quemque persuadere, nihil honestius esse, nec laudabilius, nec optabilius, quam ferre dolorem, in eoque sibi ipsum imperare. Nam quum animus sit in partes tributus duas, alteram rationis participem, illam huic imperare, tamquam dominum servo, h. e. a ratione coerceri temeritatem oportere. Si se turpiter gerat, et gemitibus ac fletibus dedat, amicorum propinquorumque custodiis constringendam esse; si autem firmior sit, tamquam bonum militem admonitu revocandam esse ad dignitatem. Accedere debere propriam animi contentionem et sermonem intimum,

quo ipse secum cogitet cavendum esse turpe quidquam et languidum, non virile; species deinde honestas virorum qui fortiter dolorem tulerint animo proponendas esse, cap. 20, 21; intentionem etiam adhibendam, cujus ut in pectore, sic in animo, magna vis sit, cap. 22, 23; contemnendo etiam omnem dolorem laboremque levari, cap. 24. Illud denique cogitandum, amplitudinem animi, quæ maxime emineat contemnendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam, cap. 25, 26; atque inprimis illud meditandum, ut hæc patientia dolorum in omni genere se æquabilem præbeat, cap. 27.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER SECUNDUS.

DE TOLERANDO DOLORE[1].

I. NEOPTOLEMUS quidem[2] apud Ennium philosophari 1
sibi ait[3] necesse esse, sed paucis: nam omnino haud

1. *De tolerando dolore.* Hoc lemma deest in MSS Norvic. et Petrens. Eorum postremus omnia pariter omittit, præter id quod libro tertio præfixum legitur; nec in editt. Ven. et Froben. comparent; adeo ut in Joach. Camerarii sententiam non invitus concesserim, qui grammaticos hæc addidisse putat ex lib. II de Divin. cap. 1. Dav. in prima ed.

I. 2. *Neoptolemus quidem ... disputatumque est.* Continet hoc caput prooemium hujus libri. Solebat Cicero, ut ipse profitetur (ad Attic. XVI, 6), ejusmodi prooemiorum plura conscribere, eaque ad usum futurum conservare. Ex his, si occasio dedisset, hoc vel illud eligere et libris præfigere solebat. Inde etiam factum est, ut argumenta horum prooemiorum raro cum librorum argumentis cohæreant, sed sæpius a re in illis tractata plane aberrent. Vide Garvii adnott. ad init. lib. secundi Officiorum, ubi etiam lectu dignissima occurrunt, cur Cicero sæpius (id quod fecit aliqua ex parte et in hoc) causam philosophiæ, studiique philosophici agat, idque defendat atque laudet. Nath.

3. *Philosophari sibi ait.* Ex hoc loco versum trochaicum concinnat G. J. Vossius ad fragm. Tragic. pag. 57: « Philosophari est mihi necesse; at paucis; nam omnino haud placet ». Hanc vero conjecturam probandam non esse docet A. Gellius N. A. lib. V, cap. 15: « Ennianum Neoptolemum probabamus, qui profecto ita ait: Philosophandum est paucis, nam omnino haud placet »: unde, pronomine præposito, legerim, « Mihi philosophandum est paucis; nam omnino haud placet », ut fiat iambicus. Ab hac parum discrepat ratio, quam proposuit Hadr. Turnebus Advers. lib. II, cap. 8. Huc autem respiciunt Cicero de Orat. lib. II, cap. 37, de Rep. I, 18; Noctium Attic. scriptor lib. V, cap. 16, et Apuleius Apol. pag. 421. Ennio præivisse videtur Callicles apud

placere. Ego autem, Brute, necesse mihi[4] quidem esse arbitror philosophari: nam quid possum, præsertim nihil agens[5], agere melius? sed non paucis, ut ille. Difficile est enim[6], in philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque, aut omnia[7]. Nam nec pauca, nisi e multis[8], eligi possunt; nec, qui pauca perceperit, non idem reliqua eodem studio
2 persequetur. Sed in vita tamen occupata, atque, ut Neoptolemi tum erat, militari, pauca ipsa multum sæpe prosunt et ferunt fructus, si non tantos[9], quanti ex universa philosophia percipi possunt; tamen eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate, aut ægritudine, aut metu liberemur: velut ex ea disputatione, quæ mihi nuper habita est in Tusculano, magna videbatur mortis effecta contemptio; quæ non minimum valet ad animum metu liberandum. Nam qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest: sed qui, non modo quia necesse est mori, verum etiam quia nihil habet

Platonem in Gorgia, pag. 296, seq. cujus verba profert A. Gellius, N. A. lib. X, cap. 22. Dav. — Apud Gellium N. A. V, 16, hoc Enniani Neoptolemi effatum sic exprimitur: « Degustandum ex philosophia, non in eam ingurgitandum ». Neid.

4. *Necesse mihi quidem.* Schütz. et Neid. *necesse quidem mihi.* — *Necesse.* Quia, ut ipse sub finem lib. V, dicit, in suis acerbissimis doloribus alia nulla potuit inveniri levatio. Neid.

5. *Nihil agens.* Ob reipublicæ turbas, quæ tum a Cæsare, dempto Pompeio, occupabatur.

6. *Difficile est enim, in philosophia pauca.* Nescio cur Davisius hanc lect. exagitaverit conj. « diff. est enim, philosophica pauca esse ei nota »: melior est, quamquam non magis necessaria, Bentleii conj. qui addit *vel* ante *pauca*.

7. *Aut omnia*, nota.

8. *Nec pauca, nisi e multis.* Sensus est: Qui recte philosophari vult, illum non decet paucis contentum esse; nam ut eligere optima quævis possit, multa prius cognoscat necesse est. Neid.

9. *Si non tantos... metu liberemur.* Non de se ipse, sed de iis, qui vitam ducunt militarem et occupatam, adeoque primis tantum labiis gustare possunt philosophiam, loquitur. Ergo rescripserim *liberentur*: Victorius enim et plerique omnes MSS dant, « sed non tantos... metu liberentur ». Hoc placet, at illud ineptissimum. Davis.

mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi præsidium ad beatam vitam comparat. Quamquam non sumus ignari, multos studiose contra esse dicturos[10]: quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus. Etenim si orationes[11], quas nos multitudinis judicio[12] probari volebamus (popularis[13] est enim illa facultas, et effectus[14] eloquentiæ est audientium approbatio), sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent, quemque sperandi 3

10. *Contra esse dicturos.* Meum studium reprehensuros. Neid. — Si is sensus esset, inepta foret sequens sententia. Voces *multos st. contra dict.* spectant ad eos, qui Ciceronis doctrinas his in libris explicatas impugnabunt : ut patet ex his infra : « tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, etc. » eos enim comparat cum iis qui suas orationes detrectabant ; et dicit non esse sibi spem eamdem, suorum operum philosophicorum detrectatores populi approbatione obruendi, quia de philosophia vulgus non judicat.

11. *Etenim si orationes ... sed si reperiebantur nonnulli.* Est ἀνακόλουθον, quod post nonnulla παρενθετικῶς interposita scriptoribus haud est inusitatum. Sic Tusc. lib. V, cap. 15 : « An dubitas, quin præstans valitudine, viribus, forma ... si fuerit is qui hæc habet injustus, intemperans, timidus ... dubitabisne eum miserum dicere? » Iterum cap. 19 : « Similene putas C. Lælii unum consulatum fuisse et eum quidem cum repulsa ... sed tamen utrum malles ; te, si potestas esset, semel ut Lælium, consulem, an, ut Cinnam, quater ? » Sic et Offic. lib. III, cap. 26 : « Utile videbatur Ulyssi ... sed insimulant eum tragœdiæ, simulatione insaniæ militiam subterfugere voluisse ». Plura non desunt exempla, sed hæc, quod volumus, satis ostendunt. Vide tamen infra, lib. V, cap. 29, et Xenophontem Cyropæd. lib. IV, cap. 2, 2. Davis. — *Si orationes.* Sequi debebat : multos adversarios et reprehensores invenirent ; sed statim post parenthesin verborum structura immutatur, et pergit : « si reperiebantur nonnulli, etc. » Neid.

12. *Multitudinis judicio.* Dum contra in operibus philosophicis assensum doctorum et eruditorum quærit et consectatur.

13. *Popularis*, quæ ad populum pertineat.

14. *Effectus eloquentiæ est audientium approbatio.* Lambino placet *effectrix eloquentiæ*, quod oratorem excitat assensus auditorum, et magna frequentia. Præterquam vero quod omnes codices receptam firmant lectionem, non tam quid eloquentiam faciat (licet eam quoque non sola pariat audientium approbatio), quam quæ sit ejus vis, dicendi videtur locus. *Effectus* ergo valere censeatur ἀποτέλεσμα, seu quod ex eloquentia, velut ex causa, proficiscitur. Davis.

sibi, eumdem et bene[15] dicendi finem[16] proponerent, et quum obruerentur copia sententiarum atque verborum, jejunitatem et famem se malle, quam ubertatem et copiam dicerent: unde erat exortum genus Atticorum[17], iis ipsis, qui id sequi se profitebantur, ignotum; qui jam conticuere, pæne ab ipso foro ir-
4 risi: quid futurum putamus, quum, adjutore[18] populo, quo utebamur antea, nunc minime nos uti posse[19] videamus? Est enim philosophia[20] paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta, et invisa: ut vel, si quis universam[21] velit vituperare, secundo id populo[22] fa-

15. *Eumdem et bene dicendi.* Davisius delevit *et* cum Reg. Med. Eliens. tert. sequentibus Wolf. Schütz. Neid. — Hæc verba fere idem dicunt, quod antecedentia. Sensus est: Hi homines finem bene dicendi non alium cogitando assequi possunt, nisi quem ipsi attingere posse sperant, et eum solum perfectissimum esse putant. Neid.

16. *Finem proponerent.* Forte Cicero scripsit *finem ponerent.* Vide sis interpretes ad Phædri lib. III, fab. 14, vs. 8. Dav.

17. *Exortum genus Atticorum.* Eos intelligit, qui, dum characterem simulant Atticum, jejunum ac enerve dicendi genus amplectuntur. Quintilianus Inst. Orat. lib. XII, cap. 10: « Antiqua quidem illa divisio inter Asianos atque Atticos fuit, quum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; et in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset. ... Mihi falli multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, et lucidos, et significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, et semper manum intra pallium continentes ». Cicero in Bruto, cap. 84: « Attico genere dicendi se gaudere dicunt. Sapienter id quidem, atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem ». Vide et cap. 82, Orat. cap. 7; ibid. 23 sq. Quint. VI, 3, 107, et Dial. de causis Corr. Eloq. cap. 18. Dav.

18. *Quum, adjutore.* Quia populus eloquentia Ciceronis valde delectabatur. Neid.

19. *Nunc minime ... uti posse.* Quia populus non eodem modo, quo eloquentiæ, ita et philosophiæ pretium recte statuere potest. Neid.

20. *Est enim philosophia ... fugiens.* Laudat Lactantius Div. Inst. lib. III, cap. 25. De re ipsa vide Arrianum Epict. lib. III, cap. 15, pag. 297, et Max. Tyr. Diss. X, § 6. Dav.

21. *Universam.* Nullo habito discrimine variarum sectarum, quod opponitur sequenti *in eam*, scilicet Academicam.

22. *Secundo id populo.* Si adversarii mei me reprehendere volunt, id facere poterunt adsentiente, saltem non contradicente, populo. Neid. — Non de se, sed de omni philosophia loquitur Noster h. l.

cere possit; vel, si in eam, quam nos maxime sequimur, conetur invadere, magna habere possit auxilia a[23] reliquorum philosophorum disciplinis.

II. Nos autem universæ philosophiæ vituperatoribus respondimus in Hortensio[1]; pro academia autem quæ dicenda essent, satis accurate in Academicis quatuor libris[2] explicata arbitramur: sed tamen tantum abest[3], ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. In ipsa enim Græcia philosophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset.

Quamobrem hortor[4] omnes, qui facere id possunt, 5
ut hujus quoque generis laudem jam languenti Græciæ eripiant, et perferant in hanc urbem[5], sicut reliquas omnes, quæ quidem erant expetendæ, studio atque industria sua majores nostri transtulerunt. Atque oratorum quidem laus ita ducta[6] ab humili,

23. *A reliq. philosoph. disciplinis.* Olim deerat vocula *a*, quam Davis. post Lamb. addidit, Gronovio refragante, ceteris sequentibus. — *Disciplinis.* Quibus gratum erit, hanc scholam si reprehensam et refutatam viderint. Neid.

II. 1. *Hortensio.* Libro Ciceronis deperdito ad defendendam philosophiam conscripto, et ita vocato, quod Hortensius philosophiæ contemptor esset. Acad. IV, 1. Neid. — Divus Augustin. lib. VIII Confessionum tradit, se excitatum esse undevigesimo ætatis anno ad studia sapientiæ ac philosophiæ, lecto Ciceronis Hortensio. Beroald.

2. *Quatuor libris.* Ex his quartus tantum integer, fragmentaque primi ad nos pervenerunt.

3. *Sed tamen tantum abest ... transtulerunt.* Hanc ῥῆσιν adducit Boetius in Topic. lib. V, pag. 839, ed. Basil. Dav.

4. *Quamobrem hortor . . . faciendum esse sentimus.* Exhortatio ad omnes, qui facere id possunt, ut philosophiam quam maxime inter Romanos promoveant. Sed, inquit, ii tantum id faciant, qui cum recta philosophandi methodo disserendi elegantiam conjungunt. Neid.

5. *Perferant in hanc urbem.* Boetii codices, *transferant*. Gebhardiani quatuor, Reg. et Eliens. tert. *præferant*; quod non placet. Dav.

6. *Atque oratorum quidem laus ita ducta ab humili.* Ferri quidem hoc potest : sed venustius erit, si reponas, « Atque oratoris quidem laus ». Sic

venit ad summum[7], ut jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat[8], brevique tempore ad nihilum ventura videatur. Philosophia nascatur[9] latinis quidem literis ex his temporibus, eamque nos adjuvemus; nosque ipsos redargui refellique patiamur. Quod ii ferunt[10] animò iniquo, qui certis quibusdam[11] destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati[12] sunt, eaque necessitate constricti, ut, etiam quæ non probare soleant, ea cogantur constantiæ causa defendere : nos, qui sequimur[13] probabilia, nec ultra id, quod verisimile occurrerit[14], progredi

supra, I, 3 : « Quare si aliquid oratoriæ laudi nostra attulimus industria ». Sic alibi, *laus imperatoria;* ut ibi notavimus. Bentleius.

7. *Venit ad summum.* Apollonius, rhetor græcus, quum aliquando Ciceronem audivisset græce declamantem, diu tacitus ex admiratione conticuit; mox erupit in hæc verba : « te nempe, Cicero, et laudo et admiror; sed Græcorum fortunæ me miseret, quum videam eruditionem et eloquentiam, quæ sola nobis bonorum relicta erant, per te Romam transferri ». Beroald.

8. *In omnibus fere rebus, senescat.* Pall. quinque Ulrich. ita ordinant : « in omnibus fere senescat rebus ». Gruterus vocem postremam arbitratur glossarii. Gebhard.

9. *Philosophia nascatur.* Davis. in prima ed. ex MS Norvic. dederat *phil. ergo nascatur*, Lamb. et Fabric. scribentibus *igitur.*

10. *Quod ii ferunt.* Davisius e cod. Reg. scribit *quod si hi ferunt*, sequente Schütz. Hoc ut non est necesse, ita inconcinnum. Nam certe, hoc *si* deleto, major vis est oppositionis in vv. sqq. *nos, qui seq.*

11. *Certis quibusdam.* Qui systemati certo, certisque fixisque principiis addicti in verba jurarunt magistri. Naud.

12. *Quasi addicti et consecrati.* Addicebantur, qui, quum solvendo non essent, alteri tradebantur; et in emptione ac venditione res, quæ venit, addicitur. Horatius « Nullius addictus jurare in verba magistri ». *Consecratos* autem quasi devotos accipimus, ut in formula devotionis, quæ refertur a Macrobio Saturn. lib. III : « Exercitumque hostium, urbes agrosque, capita ætatesque eorum devotas consecratasque habeatis ». Hoc autem facere, quod hoc loco dicit Cicero, vulgare etiam verbum vetat, quo dicitur : « Satius esse mutare cursum perperam institutum quam in bello pergere » παλινδρομῆσαι μᾶλλον, ἢ κακῶς δραμεῖν. Camerar.

13. *Nos, qui sequimur.* Nos philosophi scholæ academicæ. Naud.

14. *Ultra id, quod verisimile occurrerit.* Davis. scribit, « ultra quam id, quod verisimile occurrit », e codd. Reg. Med. Eliens. sec. et Ball. Schütz. et Neid. « ultra quam id », retento « occurrerit ». Lambinus, Gebhardus et alii

possumus, et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia [15] parati sumus.

Quod si hæc studia traducta erunt ad nostros, ne bibliothecis quidem græcis egebimus, in quibus multitudo infinita librorum propter eorum est multitudinem, qui scripserunt: eadem enim dicuntur a multis; ex quo libris omnia referserunt [16]. Quod accidet etiam nostris, si ad hæc studia plures confluxerint. Sed eos, si possumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita etiam disserendi elegantia, ratione et via [17] philosophantur. 6

III. Est enim quoddam genus [1] eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse latini sane multi libri [2]: quos non contemno equidem, quippe quos numquam legerim : sed quia profitentur 7

« ultra id, quam quod ». Profert hæc etiam, teste Davisio, Boetius in Topic. V, pag. 879.

15. *Et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia.* Vir Cl. P. Manutius mavult, « et refelli sine pertinacia, et refellere sine iracundia ». Quum vero receptam lectionem tueantur Boetius omnesque Tullii codices; causa profecto gravis subesse debet, cur hæc ab eo tentata sit vocum transpositio. At eam celavit vir eruditissimus; quapropter nos pariter ac Turnebus Advers. lib. II, cap. 8, vulgatam tuebimur. Cf. Plutarchus de prof. Virt. sent. tom. II, pag. 80, B. Vide sis Origenem contra Celsum, lib. I, pag. 55, et Platonis Gorgiam, pag. 285, E. Davis.

16. *Ex quo libris omnia referserunt.* Eliens. sec. *referta sunt*, nec aliter edidit Aldus nepos. A vulgata scriptura stant reliqui, nec eorum fides est deserenda, quemadmodum patet ex Prisciani lib. X, col. 904: «Cicero, inquit grammaticus, in II Tuscul. Ex quibus verbis etiam omnia referserunt ». Ex Nostro rescribas oportet, *ex quo libris omnia referserunt :* ad hunc enim locum respicit, ut abunde liquet. Dav.

17. *Ratione et via.* Methodo certa. Neid.

III. 1. *Est enim quoddam genus.* Innuit Epicureos, quibus et aliis in locis in primis de Fin. B. et M. I, 7, objicit, « eos in λογικῇ plane esse inermes ac nudos, eos tollere definitiones, nihil de dividendo ac partiendo docere, non quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradere, non qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendere; queis sine nulla vera philosophia est ». Neid.

2. *Quorum dicuntur esse latini sane multi libri.* Ad Amafanium aliosque quosdam Epicureos respicit, qui latine de philosophia scripserant. Eos perstrinxit quum alibi, tum supra, lib. I, cap. 3. Dav.

ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte, neque distribute[3], neque eleganter, neque ornate scribere; lectionem sine ulla delectatione[4] negligo. Quid enim dicant, et quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. Quamobrem, quoniam, quemadmodum dicant, ipsi non laborant; cur legendi sint, nisi ipsis inter se[5], qui idem
8 sentiunt, non intelligo. Nam, ut Platonem, reliquosque Socraticos, et deinceps eos, qui ab his profecti sunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non approbant, aut non studiosissime consectantur; Epicurum autem, et Metrodorum non fere præter suos quisquam in manus sumit: sic hos latinos ii soli legunt[6], qui illa recte dici putant.

Nobis autem videtur, quidquid literis mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni[7] decere: nec, si ipsi minus[8] consequi possumus, idcirco minus
9 id ita faciendum esse sentimus. Itaque[9] mihi semper peripateticorum academiæque consuetudo, de

3. *Neque distribute.* Adbibita generum in formas distribntione. Ern.

4. *Sine ulla delectatione.* Quæ est sine ulla del. Nein.

5. *Nisi ipsis inter se.* Olim edebatur « nisi ipsi inter se », de qua lect. Davisius notavit : In Eliens. sec. habea « legant ipsi inter se » : unde rescribi possit, « cur legendi sint (legant ipsi inter se qui idem sentiunt) non intelligo ». Quum tamen in eo libro maxima grassata sit audacia librarii, nec ei codex alius accedat fidejussor : omnino legerim, *nisi ipsis inter se*, quo modo primus emendavit vir doctissimus Joan. Clericus. Solœca certe est oratio, quam præ se ferunt vulgati. — Schütz. Davisium sequutus est, Neid. vulgatam servante; Bentleius legi volebat : « cur legendi sint, nisi legant ipsi inter se qui idem sentiunt, n. i. » nihil opus est corrigere *sentiant*, ut suadet Ernest.

6. *Legunt.* Ernest. e MS Guelf. dedit *legant.*

7. *Lectioni decere.* In prima ed. Davisius dederat *debere* e MSS Norvic. Pith. et Pal. quint.

8. *Si ipsi minus.* Davisius e codd. Reg. Med. Balliol. Eliens. tert. dedit *si id ipsi minus*, sequentibus Schütz. et Neid. — *Ipsi minus.* Ut nimirum omnibus placeamus; quod per modestiam dicit Noster.

9. *Itaque mihi ... disputatumque.* Rationem reddit Cicero, cur ipsi Peripateticorum et Academicorum disserendi ratio præcipue placuerit. Nein.

omnibus rebus in contrarias partes disserendi, non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset, quid in unaquaque re[10] verisimile esset, inveniri: sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio[11]; qua princeps usus est Aristoteles, deinde eum qui sequuti sunt. Nostra autem memoria[12] Philo, quem nos frequenter audivimus, instituit alio tempore rhetorum præcepta tradere, alio philosophorum: ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti, in Tusculano, quod datum est temporis nobis, in eo consumpsimus. Itaque quum ante meridiem dictioni operam dedissemus, sicut pridie feceramus; post meridiem in Academiam[13] descendimus. In qua disputationem habitam non quasi narrantes exponimus[14], sed eisdem fere verbis, ut actum disputatumque est.

IV. Est igitur[1] ambulantibus ad hunc modum sermo

10. *In unaquaque re.* Davis. scribit: *in quaque re.* Nos, inquit, eam recepimus lectionem, quam Victorii præstat editio; quamque firmant Reg. Med. Eliens. sec. tert. Balliol. et Petrens. Davisio Schütz. Neid. et Wolf. obtemperaverunt.

11. *Sed etiam quod esset ea max. dic. exerc.* Quod hæ disputationes locum darent exercitationibus, quæ maxime nos in arte dicendi consequenda adjuvarent.

12. *Nostra autem memoria Philo.* M. Tullius se totum tradidit Philoni, Academiæ principi, ut ipse in Bruto testatur, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, quum ille in bello Mithridatico domo profugisset, Romamque venisset. Antiochus discipulus contra Philonem doctorem suum librum edidit, disserens contra Academicos, cui quidem operam quoque M. Tullius se dedisse refert. Ban.

13. *In Academiam descendimus.* In villa Tusculana Cicero duos præcipue locos colebat, in quibus hi sermones et disputationes haberentur: alter, in quo erat bibliotheca, vocabatur Lycæus; alter, qui, teste Corrado, genus erat quoddam gymnasii sub hortos positi, Academiæ nomen ferebat. Vid. Epp. ad Att. I, 4; Divin. I, 5. J. V. L.

14. *Exponimus.* Buberius malebat *exponemus.* His significat Cicero se hoc libro relaturum esse hanc disputationem in Academia sua habitam.

IV. 1. *Est igitur ... disputari velis.* Exordium dialogi. Jucunda recordatio hesternæ disputationis; laus philosophiæ; querela, philosophiam in ipsos cultores tam parum valere; hoc vero pretium ejus minime imminuere; nam si nanciscatur fertile so-

ille nobis institutus, et a tali quodam inductus[2] exordio.

Auditor. Dici non potest, quam sim hesterna disputatione tua delectatus, vel potius adjutus[3]. Etsi enim mihi sum conscius, numquam me nimis cupidum fuisse vitæ; tamen objiciebatur interdum animo metus quidam et dolor, cogitanti[4], fore aliquando finem hujus lucis, et amissionem omnium vitæ commodorum. Hoc genere molestiæ sic, mihi crede, sum liberatus, ut nihil minus curandum putem.

11 Cicero. Minime mirum id quidem. Nam efficit hoc philosophia : medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed hæc ejus vis non idem potest apud omnes : tum[5] valet multum, quum est idoneam complexa naturam. Fortes enim non modo fortuna adjuvat, ut est in vetere proverbio[6], sed multo magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis. Te natura excelsum quemdam videlicet, et altum, et humana despicientem genuit. Itaque facile in animo forti contra mortem habita insedit oratio. Sed hæc eadem[7] num censes apud eos ipsos valere, nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? Quotus enim quisque[8] philosophorum invenitur, qui sit ita

lum, uberrimos *ferre* fructus ; ... hæc fere sunt, quæ in eo continentur. Nain.

2. *Inductus*. Wolf. Ernestio auctore *ductus*. Gœrenz. probat ad Acadd. II, 12, pag. 75. J. V. L.

3. *Vel potius adjutus*. Timore mortis liberatus, animus mihi fortior redditus. Nain.

4. *Dolor, cogitanti*. In prima ed. Davisius dederat *cogitantis*, quod erat in Pall. 3, 4, Pith. et uno Norvic. Gebhardo non repugnante. Ven. 1491, *cogitandi*. Norvic. unus *cogitationis*.

5. *Tum valet multum*. Ern. Schütz. Neid. *tamen val. m.*

6. *Ut est in vet. proverbio*, quod est in Terentii Phormione, act. I, sc. 4, vs. 26.

7. *Sed hæc eadem*. Sed putasne hæc eadem præcepta iis ipsis æque semper prodesse, qui ea invenerunt? Quod scilicet secus esse probat sequentibus.

8. *Quotus enim quisque*. *Quotus quisque* vetus elegansque locutio per

moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam[9] suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta 12
levitate et jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum servos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio[10]. Quod quidem mihi videtur esse turpis-

interrogationem, pro eo quod est, quot sunt? et ad paucitatem refertur. Ut, « quotus quisque studet », id est, quot student? id est, quam pauci sunt, qui studeant? M. Tull. in or. pro Plancio: « Quotus quisque juris peritus est? quotus quisque disertus est? » Beroald.

9. *Disciplinam*. Scientiam, id quod didicit. Nain.

10. *Ut cum eorum vita mir. pug. orat*. In prima ed. Davisius dederat: « ut cum eorum vita et vitiis mir. p. o. » notato: Ultimam verborum bigam (*et vitiis*) ex MS Norvic. reposuimus, eaque comparent in multis Lactantii membranis, qui hæc laudat Div. Inst. lib. III, cap. 15; sed nuperi editores illum quoque Patrem ad vulgata Ciceronis exemplaria refinxerunt. Modestius autem se gesserant, si modo ἐν διὰ δυοῖν esse meminissent. *Vita* et *vitia* sunt vita vitiosa. Sallustius Catil. cap. 3: « Fama atque invidia vexabant », quod idem valet, ac invidiosa fama. Cæsar, B. G. lib. VII, cap. 26: « Quos ad capiendam fugam natura et virium infirmitas impediret ». Minutius Felix Octav. cap. 1: « Ex tenebrarum profundo in lucem sapientiæ et veritatis emergerem ». Virgilius, Georg. II, 192: « . . . Qualem pateris libamus et auro »: ubi Servius hunc in modum, *Pateris aureis*. Ἓν διὰ δυοῖν ut « molemque et montes »; qui locus exstat Æn. I, 61. Plura J. Fr. Gronovius ad Livii I, 32: quæ vero jam protulimus, satis ostendunt Fr. Fabricium aliosque hasce voces glossematis perperam damnasse. — Postea sententia mutata ad vulgatam rediit Davis. notamque hanc in postrema ed. addidit: *Ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio*. Lambinus transpositis vocibus legere mavult, « ut eorum cum vita mirabiliter pugnet oratio ». Sed ordinem verborum, quem præbent MSS. præstat Lactantius Div. Inst. III, cap. 15: ex quo patet, novam non esse de philosophorum vitiis querelam. Idem multis ex locis Veterum probari queat. Cf. Diodorus in Excerpt. Peiresc. pag. 234. Quintilianus, Inst. Orat. lib. I, Prooem. « Non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant; sed vultum et tristitiam, et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus prætendebant ». In eamdem mentem passim Seneca. Vide sis Epist. XX, aliosque locos, quos indicat V. C. Joan. Clericus Proleg. ad Hist. Eccles. sect. II, cap. 7, 13, quibus adde Lucianum quom alibi, tum Rev. tom. I, pag. 407, seqq. et in Icaromenippo, tom. II, pag. 202, 208, 209; eademque querela ad omnium ætatum philosophos pertinet.

simum. Ut enim, si grammaticum se professus quispiam, barbare loquatur; aut si absurde[11] canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cujus profiteatur scientiam : sic philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, delinquit in vita.

V. Aud. Nonne verendum igitur, si est ita, ut dicis, ne philosophiam falsa gloria exornes? Quod est enim majus argumentum, nihil eam prodesse, quam quosdam perfectos[1] philosophos turpiter vivere?

13 Cic. Nullum vero id quidem argumentum[2] est. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud, ac improbe[3],

11. *Absurde.* Nulla harmoniæ ratione habita. Nein.

V. 1. *Quosdam perfectos philosophos.* Gebhard. ex Pal. sec. legi volebat *professos*, contra quem surgit Bentleius, et quod tum scribi deberet « professos se philos. » vel « professos philosophiam » (quod Verburg. conjiciebat), et quod multi stolidi et inepti philosophos se esse profitentur, quum re ipsa philosophiæ sint omnino rudes. — *Perfectos.* In theoretica solum philosophia versatissimi, expertes autem practicæ. Neid.

2. *Nullum vero id ... argumentum.* Contra salubritatem philosophiæ in universum. Nein.

3. *Falsumque illud, ac improbe, Etsi in segetem.* Sic MSS : quod quum male latine diceretur, Lambinus emendandum putavit « falsoque illud ac improbe ». Sed gravius latet mendum, feliciter, ut opinor, a Mureto sublatum; nam quum liber ejus daret « falsumque illud at improbæ », vir ille doctissimus Var. Lect. lib. XVI, cap. 20, reponit « falsumque illud Attii », vel « Accii, Probæ etsi in segetem, etc. » Hæc autem correctio, licet elegans et acuta videatur, nihilo tamen minus nonnullis habetur rejicula; nam qui sequuntur versiculi non Accium patrem, sed Euripidem vindicant, si modo scopum tetigit Hier. Columna Frag. Enn. pag. 248, illos ex hisce Euripideis Hec. vs. 592, versos existimans... Οὐκοῦν δεινὸν, εἰ γῆ μὲν κακὴ Τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν εὖ στάχυν φέρει. Hominem nobilissimum sequitur eruditissimus G. J. Vossius ad fragm. Tragic. pag. 31. At, ne versuum Euripideorum mentem prorsus esse contrariam memorem, omnia sunt incerta. Demus enim Hecubes esse verba : Hecuben etiam Accii tragœdiam laudat Priscianus, lib. VI, col. 716, et quamvis ex Euripide non esset translata, nec ipsa discreparet immane quantum sententia; facile tamen fieri potuit, ut Accio eamdem fabulam tractanti similis obversaretur ἔννοια. Non igitur exsibilandam puto Mureti

Etsi in segetem[4] sunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent:

sic animi non omnes culti fructum ferunt. Atque, ut in eodem simili verser, ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest: sic sine doctrina animus. Ita est utraque res[5] sine altera debilis. Cultura autem animi, philosophia est: hæc extrahit vitia radicitus, et præparat animos ad satus accipiendos; eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant. Agamus igitur, ut cœpimus. Dic, si vis, de quo disputari velis.

AUD. Dolorem existimo[6] maximum malorum om- 14
nium.—CIC. Etiamne majus, quam dedecus?— AUD. Non audeo id dicere quidem, et me pudet tam cito de sententia esse dejectum[7]. — CIC. Magis esset puden-

conjecturam. DAV. — Bentleius quoque Mor. conjecturam probat, ita tamen ut, si *Attii* nomen quibusdam displiceat, legatur: « Falsumque illud ac improbum: Probæ etsi in segetem ». Nam affirmat epitheton v. *fruges* necessario jungendum esse, quia quod dicit poeta de bonis tantum frugibus dici potest. — Wolf. Schütz. Neid. Mureti conj. amplexi sunt, Oliveto et Buherio probatam.

4. *In segetem.* Seges ipsam terram hic denotat. Tibullus, lib. I, Eleg. III, 61: « Fert casiam non culta seges... » Virgilius, Georg. I, 47: « Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit ». Ibi vide Servium, ut et ad Æn. III, 142, VII, 526. Festus: « Seges dicitur ... aliquando etiam solum ipsum, quod nec aratum est, nec consitum ». Hoc ex allatis patet, quibus adde quæ congessit Cl. Salmasius Exerc. Plin. p. 366, ed. Paris. DAV.

5. *Ita est utraque res.* Olim erat « ita est ut utraque res una »; quam ultimam vocem Lambinus voluit deleri, quum nullo in MS invenisset. — Sic Horat. ep. ad Pisonem: « alterius sic Altera poscit opem res et conjurat amice ».

6. *Dolorem existimo ... sequar.* Proponitur thema totius disputationis: Dolor est maximum malorum. Auditor monitus a magistro, dedecus majus malum esse, quam dolorem, hoc saltem obtinere conatur: « dolorem malum esse ». NAU.

7. *De sententia esse dejectum.* Coactum esse tam cito et sine ulla disputatione confiteri sententiam, quam expresseram, falsam esse. Ceterum Buherius observat auditorem non debuisse tam cito a sententia sua descivisse, quia dedecus nihil aliud est quam dolor animi. Sed respondi potest dedecus maximum malum esse etiam iis qui ex eo nullum dolorem sentiunt,

dum, si in sententia permaneres. Quid enim minus est dignum, quam tibi pejus quidquam videri dedecore, flagitio, turpitudine? Quæ ut effugias, quis est non modo non[8] recusandus, sed non ultro appetendus, subeundus, excipiendus dolor? — Aud. Ita prorsus existimo. Quare ne sit[9] sane summum malum dolor : malum certe est. — Cic. Videsne igitur, quantum, breviter admonitus, de doloris terrore dejeceris? — Aud. Video plane : sed plus desidero. — Cic. Experiar equidem[10] : sed magna res est; animoque mihi opus est non repugnante. — Aud. Habebis id quidem. Ut enim heri feci, sic nunc rationem, quo ea me cumque ducet, sequar.

VI. Cic. Primum igitur[1] de imbecillitate multorum, et de variis[2] disciplinis philosophorum loquar: quorum princeps et auctoritate, et antiquitate, Socraticus Aristippus, non dubitavit summum malum dolorem dicere. Deinde ad hanc enervatam mulie-

ita ut dedecus cum dolore, quod sine sensu non est, confundi non possit.

8. *Non modo non recusandus.* Davisius scribit, «non modo recusandus». Contra vulgatam, inquit, jubent MSS. Eorum sane fidem sequi non dubitavimus, quum posteriorem particulam negantem non raro prætermitti constet. Noster supra lib. I, cap. 36 : « Mortuorum autem non modo vitæ commodis, sed ne vita quidem ipsa quisquam caret ». Justinus, lib. XI, cap. 8 : « Interclusa voce, non spes modo remedii, sed nec dilatio periculi inveniretur ». Hirt. B. G. lib. VIII, cap. 33 : « Effugere non modo equitatum, sed ne legiones quidem possint » : ubi D. Vossius frustra reposuit *non modo non equitatum*, prout ibi multis ostendimus. Vide et M. A. Muretum Var. Lect. lib. X, cap. 7. Porro verba, quæ his adhærent, laudat Charisius lib. II, col. 189. Sed hujusce grammatici codices e nostro sunt emendandi. — Davisium Wolf. Schütz. Neid. sequuntur, repugnante Ern.

9. *Ne sit.* Fac eum non esse. Nat.

10. *Experiar equidem.* Ut quod amplius desideras tibi præstem.

VI. 1. *Primum igitur... tolerandumque difficilis.* Recensentur quorumdam philosophorum... Aristippi, Epicuri, Hieronymi, Metrodori ... de dolore sententiæ. Nat.

2. *Et de variis.* Bentleius malebat *et e variis*, quod Davisius recepit. Sed vulgata sic intelligenda : de imbecillitate multorum philosophorum eorumque variis disciplinis.

bremque sententiam satis docilem se Epicurus præ-
buit. Hunc post Rhodius Hieronymus, dolore vacare,
summum bonum dixit: tantum in dolore duxit mali.
Ceteri, præter Zenonem[3], Aristonem, Pyrrhonem,
idem fere, quod modo tu[4]: malum illud quidem,
sed alia pejora. Ergo, id quod natura ipsa, et quæ- 16
dam generosa virtus statim respuit, ne dolorem[5] sum-
mum malum diceres, oppositoque dedecore[6] senten-
tia depellerere, in eo magistra vitæ philosophia tot
sæcula permanet[7]. Quod huic officium[8], quæ laus,

3. *Præter Zenonem, Aristonem, Pyrrhonem.* Zenonem nihil bonum præter virtutem, nihil præter vitia malum statuisse, cuivis est notissimum: Pyrrhonem etiam boni et mali, veri falsique differentiam sustulisse, neminem latet. Aristonem autem dolorem, aliaque omnia, præter virtutem et vitium, esse prorsus ἀδιάφορα contendit. Vide nos ad lib. V, cap. 30. Dav.

4. *Idem fere, quod modo tu: malum illud quidem.* Pal. quart. Ven. 1491, Vict. Steph. Erasm. corrupte repræsentant « idem fere. A. Quomodo tu? M. Malum illud quidem », nam interlocutorum ordo non recte servatur. MS Petreus. ita distinguit: « Ceteri ... idem fere. Quomodo tu? A. Malum illud quidem, sed alia pejora. M. Ergo id, quod, etc. » Sed, uti quidem censeo, longe præstat vulgata lectio. Dav.

5. *Ne dolorem summum malum diceres, oppositoque dedecore sententia depellerere.* Ven. 1491, Erasm. ac plurimi MSS « ne dolorem summum malum dicere, oppositoque dedecore sententia depellere ». Cantab. « desine dolorem ». Norvic. unus « esse dolorem summum malum diceres, oppositoque dedecore sententia depellitur »: alter « ne se dolorem summum malum dicere, etc. » unde legendum arbitror « ne esse dolorem ». Hæc Davis. in prima ed. qui, quum Reg. Med. et Bak. *ne se dolorem* exhiberent, eo magis in conjectura sua remansit.

6. *Oppositoque dedecore.* Si dedecus cum dolore comparaveris fateri cogeris, dolorem minime summum esse malum. Neid.

7. *Permanet.* Ita Gruterus: sed Victorius interrogative, *permanet?* Totam autem hanc ῥῆσιν sic refingit vir magnus, qui mox honoris causa nominabitur. « Ergo, si quod natura ipsa, et quædam generosa virtus statim respuit, ne dolorem summum malum diceres ... in eo magistra vitæ philosophia permanet: quod huic officium, etc. » Buher.

8. *Quod huic officium.* Sensus totius loci est: Opinio, dolorem esse summum malum, primum omne officium, omnem virtutem subvertit; nam cum omni officio exsequendo sensus quidam injucundi, labores atque dolores sunt conjuncti; deinde hæc opinio, dolorem esse summum malum, vitam beatam non admittit: ille enim qui dolorem summum malum opinatur, is miser est, et quum urgetur doloribus, et quum timet, ne in posterum illis urgeatur. Neid.

quod decus erit tanti, quod adipisci cum dolore cor-
poris velit, qui dolorem summum malum sibi esse
persuaserit? Quam porro quis ignominiam, quam
turpitudinem non pertulerit, ut effugiat dolorem, si
id summum malum esse decreverit? Quis autem non
miser, non modo tunc, quum premetur summis do-
loribus, si in his est summum malum, sed etiam
quum sciet id sibi posse evenire? Et quis est, cui
non possit? Ita fit, ut omnino nemo esse possit bea-
17 tus. Metrodorus quidem[9] eum perfecte putat bea-
tum, « cui corpus bene constitutum sit[10], et explo-
ratum, ita semper fore ». Quis autem est iste, cui id
exploratum possit esse?

VII. Epicurus vero ea dicit, ut mihi quidem risus

9. *Metrodorus quidem*. Metrodorus et Epicurus carpuntur; ille, quod perfecte beatum cum dicat, cui corpus bene constitutum sit, et exploratum ita semper fore. Hic, quod affirmet, sapientem, si uratur, si crucietur, dicturum : quam suave hoc! Nam. — *Metrodorus*. Hujus et alibi meminit Cicero : fuit de præcipuis sectatoribus atque amicis Epicuri, cujus memoriam coli cum sua testamento jussit. Hic Atheniensis, non ille posterior Scepsius, fuit præstanti memoria, cujus mentio fit in Tusc. I. Fuit et alius Metrodorus Stratonicensis, desertor Epicuri; itemque alius vetustior, magister Alexandri. Sententiam autem Metrodori hanc in Fin. II ita retulit : Metrodorus pæne aliter quam Epicurus beatum esse describit his fere verbis : « Quum corpus bene constitutum sit, et sit exploratum ita futurum ». Camerar.

10. *Cui corpus bene constitutum sit*. Sic noster de Offic. lib. III, cap. 33 : « Vita omnis beata corporis firma constitutione, ejusque constitutionis spe explorata, ut a Metrodoro scriptum, continetur ». Idem Fin. lib. II, cap. 28 : « Metrodorus, pæne alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis : quum corpus bene constitutum sit, et sit exploratum ita futurum ». Ipsius græca dat Clemens Alexandrinus Strom. II, pag. 498 : Ἀγαθὸν ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα; Vide et Plutarchum, tom. II, pagg. 1087, 1089, ac Ciceronem Tusc. lib. V, cap. 9. At A. Gellius, N. A. lib. IX, cap. 5 : « Epicurus voluptatem summum bonum esse ponit; eam tamen ita definit, σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα ». Cleomedes Κυκλικῆς Θεωρ. lib. II, pag. 240, ed. Basil. Epicurus σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα ἠγάπα καὶ τὸ περὶ ταύτην (leg. ταύτης) πιστὸν ἔλπισμα. Adi sis et pag. 250. Hæc sane fuit vulgaris Epicureorum sententia, quod patet ex Origene contra Celsum, lib. III, pag. 159. Dav.

captare videatur. Affirmat enim quodam loco, « si uratur sapiens, si crucietur »: exspectas fortasse dum dicat, « Patietur, perferet, non succumbet ». Magna mehercule laus, et eo ipso, per quem juravi, Hercule digna; sed Epicuro, homini aspero et duro[1], non est hoc satis : « In Phalaridis tauro si erit, dicet, Quam suave est hoc[2]! quam hoc non curo! » Suave etiam ! An parum est, si non amarum? At id quidem illi ipsi[3], qui dolorem malum esse negant, non solent dicere, cuiquam suave esse cruciari : asperum, difficile, odiosum, contra naturam dicunt, nec tamen malum. Hic, qui non solum hoc malum dicit, sed malorum[4] omnium extremum, sapientem censet id suave dicturum.

Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis 18
afficias, quibus Epicurus [voluptatem[5]], homo, ut scis, voluptarius. Ille dixerit sane idem in Phalaridis tauro, quod, si esset in lectulo. Ego tantam vim non tribuo sapienti contra dolorem. Sit fortis in perfe-

VII. 1. *Homini aspero et duro.* Ironice hæc intelligenda de Epicuro suasore voluptatis.

2. *Quam suave est hoc !* Davisius *hoc* delevit, quod abest ab Eliens. 3, notatque : Seneca Epist. LXVI : « Epicurus ait, sapientem, si in Phalaridis tauro perurатur, exclamaturum : Dulce est, et ad me nil pertinet ». Vide Laertium, X, 118; Nostrum Tusc. lib. V, capp. 10, 26, aliosque, quos laudat Pet. Gassendus Oper. tom. V, pag. 96.

3. *Illi ipsi*, stoici.

4. *Non solum hoc malum dicit, sed malorum.* Est ex acutissimi Bentleii conjectura, qui vidit non posse dolorem esse unum et *solum malum*, et *malorum extremum*. Vulgo, « qui solum hoc malum dicit, et malorum extremum ». DAV. — Ceteri Bentleium secuti sunt.

5. *Quibus Epicurus voluptatem.* Aut fallor, aut hunc malam interpolatoris manum perpessum est. Nam Epicurus *voluptatem* dictitat, « summum et solum bonum esse » : quis autem *dolorem* his verbis afficiat? aut quid mirum, si id a nemine postulet? Dixerit sane Epicurus in Phalaridis tauro, « Quam suave est hoc! quam hoc non curo? » tamen hoc multum abest ab illis verbis, quibus voluptatem afficit, quam omnium bonorum finem esse ducit. Dele igitur spurium illud *voluptatem*. BENTLEIUS. — Davisius vocem uncis inclusit; quam Schütz. et Neid. omnino abjecerunt.

rendo[6], officio satis est : ut lætetur etiam, non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturæ, ad patiendum tolerandumque difficilis.
19 cilis. Adspice Philoctetam : cui[7] concedendum est gementi : ipsum enim Herculem[8] viderat in Œta magnitudine dolorum ejulantem. Nihil igitur hunc virum sagittæ, quas ab Hercule acceperat, tum consolantur[9], quum

E viperino[10] morsu venæ viscerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cient.

6. *Sit fortis in perferendo.* Quum nonnulli codices *si forte*, alii *se forte* repræsentarent, Lambinus rescribendum conjecit *esse fortem*, nec aliter edidit. Si quidem vero non desunt MSS, qui receptam lectionem diserte præstant, eaque prorsus est commoda; nihil incertis hariolationibus opus esse constat. Dav. — *Sit fortis.* Cicero sine dubio nihil aliud dicit, quam : æque falsum est dicere, ut Epicurei, dolor summum est malum, ac negare, ut Stoici, dolorem malum esse. Omnino triste quoddam est et amarum et asperum inimicumque naturæ : de hoc per sensus edocemur, sed officium est, fortiter eum perferre, eumque ob virtutem subire. Neid.

7. *Cui.* Tamquam homini; viderat enim Herculem deum doloris magnitudine ejulantem. Neid.

8. *Ipsum enim Herculem.* Labitur Pet. Victorius Var. Lect. lib. II, cap. 15, dum Ciceronem memoria lapsum statuit : quamvis enim nonnulli scriptores id Pœanti tribuant, quod Philoctetæ Tullius; hic tamen nullatenus est culpandus, quia plures eodem modo rem narrant, ut testimoniis ostendemus. Diodorus Siculus Bibl. lib. IV, pag. 243 : Ὁ μὲν Ἡρακλῆς ἀπογνοὺς τὰ καθ' ἑαυτὸν, καὶ παρελθὼν εἰς τὴν πυρὰν, παρεκάλει τὸν ἀεὶ προσιόντα ὑφάψαι τὴν πυράν· οὐδενὸς δὲ τολμῶντος ὑπακοῦσαι, μόνος Φιλοκτήτης ἐπείσθη· λαβὼν δὲ, τῆς ὑπουργίας χάριν, τὴν τῶν τόξων δωρεὰν, ἧψε πυράν. Ovidius, Metam. IX, 231 : « Inque pyram structis, arcus pharetramque capacem, Regnaque visuras iterum Trojana sagittas Ferre jubet Pœante satum, quo flamma ministro Subdita ». Pari modo Lactantius, lib. I, cap. 9, et Hyginus, Fab. XXXVI, ut dubium non sit, quin immerito Ciceronem redarguerit egregius ille criticus. Dav.

9. *Consolantur.* Ita vulgo dant *consolabantur*, sed tum demum paullo post legendum *cierent*, ut edidere Pet. Victorius et D. Lambinus; qua tamen ratione versus non stabit. Hoc ut vitetur incommodum, reponas oportet *consolantur*, uti nos exhibendum curavimus. Davis. — Sch. Davisium sequutus est, Neid. vulgatam retinente.

10. *E viperino ... cient.* Alii vocem *quum* ante *E viperino* poetæ attribuunt. Hos versus iterum laudat Noster Fin. III, 29, ubi legitur *cui viperino*. Ex Nonio v. *imbuere* patet eos ex Accii Philocteta fuisse desumptos. Cf. Sophocl. Phil. 269.

Itaque exclamat auxilium expetens, mori cupiens :

> Heu quis salsis fluctibu' mandet
> Me ex sublimi [11] vertice saxi?
> Jamjam absumor; conficit animam
> Vis vulneris [12], ulceris æstus.

Difficile dictu videtur, eum non in malo esse, et magno quidem, qui ita clamare cogatur [13].

VIII. Sed videamus [1] Herculem ipsum, qui tum do- 20
lore frangebatur, quum immortalitatem ipsa [2] morte quærebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis [3] edit? Cui quum Dejanira sanguine centauri tinctam tunicam induisset, inhæsissetque ea visceribus, ait ille :

> O multa dictu [4] gravia, perpessu aspera,

11. *Me ex sublimi.* Ex MSS Balliol. et Vatic. legendum videtur *sublimo.* Sic enim loqui solent Veteres. Vide modo Nonium in *sublima.* Dav. — *Sublimo* Wolf. Schütz. Neid. arripuerunt.

12. *Vis vulneris.* G. J. Vossius et Jac. Gronovius metri gratia reponunt *virus vulneris;* quæ non inelegans conjectura videri possit : omnes enim norunt Philoctetæ vulnus gravem odorem emisisse ; quam ob causam a Græcis Lemni fuit relictus. Omnino tamen retinenda est vulgata lectio. Tacitus, Hist. I, 79 : « Ibi sævitia hiemis et vi vulnerum absumpti ». Amm. Marcellinus, XXV, 3 : « Vi vulneris interiit ». Nec fuit cur propterea ruina versui metueretur : nam in sententiæ clausula anapæstus catalecticus locum habet. Vide præstantissimi viri Ric. Bentleii Epistolam Malelæ subnexam, pag. 27. Is versus παροιμιακὸς dicebatur. Adi sis Aristophanem in Pluto, vs. 618, et ejus Scholiasten ad vs. 598. Dav.

13. *Cogatur.* Recentiores *cogitur ;* at nulla necessitate coacti MSS fidem suspectam habuerunt. Certe Norvic. Petrens. Cantab. ac editt. Ven. Froben. Victor. aliæque lectionem a nobis restitutam constanter exhibent. Dav.

VIII. 1. *Sed videamus Herculem.* Forsan, *sed audiamus Herculem.* Hæ certe voces alibi confunduntur. Dav.

2. *Immortalitatem ipsa morte.* Sic plures codices. At omnino rescribendum *ipsam*, ut ad *immortalitatem* referatur : ac ita diserte MS Cantabr. Dav.—Et sic reipsa edidit Davis. sed eum ceteri reliquerunt.

3. *Apud Sophoclem in Trachiniis.* Vers. 1063, seqq.

4. *O multa dictu.* Qui hos versus Accii esse, non Ciceronis putant, H. Stephanus, in Trachin. Sophoclis, et G. J. Vossius, in Fragm. veter. Tragic. nihil afferunt, quo dictum confirment; et eo refelluntur, quod Cicero, ubi alienos describit versus, non solet nisi pauculos, et qui ad rem faciant. Locum hunc totum expressit

Quæ corpore exantlavi [5], atque animo pertuli!
Nec mihi Junonis terror implacabilis,
Nec tantum invexit tristis Eurystheus mali,
Quantum una vecors OEnei partu edita [6].
Hæc me irretivit veste furiali inscium;
Quæ lateri [7] inhærens morsu lacerat viscera,
Urgensque graviter pulmonum haurit spiritus.
Jam decolorem [8] sanguinem omnem exsorbuit:
Sic corpus clade horribili absumptum extabuit.
Ipse illigatus peste interimor textili.
Hos non hostilis dextra, non Terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu [9]

Ovidius, Metam. IX, 165, et seq. Bunerius.

5. *Quæ corpore exantlavi*. Davisius, suadente Bentl. dedit *exanclata*, quum vulgo scriberetur *exanclato*, quod recte statuit Bentleius pro *exhausto* dici non posse. Nos, inquit Davisius, Reg. Eliens tert. ac tres Gebhardianos sequimur. Græce: Καὶ χερσὶ καὶ νώτοισι μοχθήσας ἐγώ. Legisse videtur Cicero, ΝΟΟΙΣΙ, vel νόεσσι, μοχθήσας ἐγώ. Nam, quod hanc vocem plurali carere jactitant, plane falsum est. Porphyrius Epist. ad Anebonem, pag. 2: Εἰ δὲ θεοὺς μὲν λέγωμεν, ὥς τινες, ΝΟΑΣ εἶναι καθαροὺς, etc. Vide Sallustium de Diis et mundo, capp. 3, 12, ac Synesium Dione, pag. 60, D. et de Insomn. pag. 133, C. — Schütz. et Neid. *exanclavi*.

6. *Vecors OEnei partu edita*. Quæ nostro *vecors*, ea Sophocli vs. 1067, est δολῶπις. Apposite Festus: « Vecors est turbati et mali cordis ». Vide et eumdem in *vegrande*. Andr. quidem Dacerius perperam, « sine corde; particula minuit »; non enim privationem, sed malitiam, seu pravitatem ibi denotat, quemadmodum etiam in *Vejove*, licet eam vocem aliter interpretetur A. Gellius N. A. V, 12. Notandum superest, OEneum fuisse Dejaniræ patrem, unde liquet *partum* hic de masculo dici, quæ rarissima est ejus significatio. Vide Quintilianum Inst. Orat. VIII, 6, et Nonium in *parere*. Græcis tamen τόκος hoc modo frequenter usurpatur. Sophocles OEdip. Colon. vs. 1379: Οἰνέως ΤΟΚΟΣ Τυδεύς. Et in Philoct. vs. 632: Λαέρτου τόκος Ulysses. Iterum vs. 1242: Νέον μὲν οὐδὲν τῷδε Ποίαντος ΤΟΚΩι. Similiter Æschylus et Euripides. Philo apud Eusebium Præp. Evang. lib. IX, cap. 24: Ἰακὼβ εὐτέκνοιο ΤΟΚΟΣ Ἰωσήφ. Adi sis et Chrysostomum Homil. IV, in Matthæum, tom. II, pag. 24, ed. Eton. Dav. — Bentleius mallet *OEneo patre edita*, quia *partus* de masculo dici non potest.

7. *Quæ lateri*. *Latere* dedit Davis. e cod. Reg. et Eliens. tert.

8. *Jam decolorem*. Charisius, lib. II, col. 178, « Decolorem, *sine colore*, Cicero Tusculanarum secundo, quum Herculem daret ingemiscentem, Jam decolorem sanguinem omnem exsorbuit ». Sophocli χλωρὸν αἷμα dicitur. Diomedes, lib. I, col. 363, « Cicero in Tusculanarum secundo, sanguinem omnem sorbui ». Leg. *exsorbuit*. *Decolor* autem non est *sine colore*, sed cui vitiatus est color. Dav.

9. *Non biformato impetu Centaurus*

Centaurus ictus corpori infixit meo [10],
Non Graia vis, non barbara ulla immanitas,
Non sæva terris gens relegata ultimis,
Quas peragrans, undique omnem hinc [11] feritatem expuli :
Sed feminea vi [12], feminea interimor manu.
O nate [13], vere hoc nomen usurpa patri [14],
Nec me occidentem matris superet caritas.
Huc arripe [15] ad me manibus abstractam piis.
Jam cernam, mene, an illam potiorem putes.

Sophocles vs. 1076, Οὔτε θήρειος βία, ubi Scholiastes : Λέοντος, ὕδρας, Κιρβέρου καὶ λοιπῶν. Sed rectius intellexit Cicero ; nam Centauri θῆρες aliquando nominantur. Sic infra vs. 1111 : Διφυῆ τ' ἄμικτον ἱπποβάμονα στρατὸν ΘΗΡΩΝ. Homerus, Iliad. A, 267, de Lapithis : Κάρτιστοι μὲν ἔσαν καὶ καρτίστοις ἐμάχοντο ΦΗΡΣΙΝ ὀρεσκῴοισι. Centauros ibi significat, ut recte Veteres. Rursus Iliad. B, 743 : Ἤματι τῷ ὅτε ΦΗΡΑΣ ἐτίσατο λαχνήεντας. Λέγει δὲ τοὺς κενταύρους, inquit Didymus. Ita Pindarus Pyth. III, 8, Chironem centaurum vocat φῆρ' ἀγρότερον. Nec aliter in eo loco, quem profert Athenæus, lib. XI, pag. 476, B. Vide et Palæphatum de Incred. cap. 1. DAV. — *Biformato impetu Centaurus.* Eadem figura, quæ poetis familiaris, dixit Horatius *crines Paridis adulteros.* Cicero ipse : *barbara immanitas*, id est, *barbarorum.* BUHERIUS.

10. *Corpori infixit meo.* Davisius *inflixit* scribit. Lectionem, inquit, quam recepi, præstat Pal. pr. eamque merito probarunt Turnebus, Lambinus et Bentleius. Vide Senecam de Ira, III, 28. — Davisium Ern. Wolf. Schütz. Neid. sequuti sunt.

11. *Omnem hinc feritatem.* Davis. e codd. suis ferę *omnem hic ferit.* sequentibus Wolf. Schütz. Neid.

12. *Sed feminea, vi.* Davis. *sed feminea vir.* Ne, inquit, veteres editos memorem, Reg. Eliens. tert. et Cantabr. nostram firmant lectionem. DAV. — *Vir* dederunt Wolf. Schütz. Schütz. Neid. quam lectionem Schützius defendit e græco Sophoclis ; sed si *vir* receperis, minus bene videtur loco convenire repetita v. *feminea.* Adde quod *vir* concinnitatem loci videtur turbare : nam v. *feminea* opponi debet non voci *vir*, sed versibus præcedentibus, quibus Hercules enumerat vires illas ingentes quibus profligari non potuit : dolet se, qui tantas vires vicerit, a femina vinci. Sic *vir* antithesis concinnitatem turbat ; addito quod *vir* frigidum est, postquam eos labores Hercules enumeravit, per quos heroum numero addictus est. Bentleius legi vult « sed feminea vis », ut est in codd. quibusdam : « feminæ interimor manu » : sic post *fem. vis* subaudies « hos ictus inflixit », et hoc verum esse potest : sed ei non concedimus, quod *feminæ* pro *feminea* reponat.

13. *O nate.* Hyllum quem cum Dejanira genuerat, et qui tum patris cruciatus videbat.

14. *Patri.* Wolf. dedit *patre.* Neid. legit : « O nate, vere hoc nomen usurpa! patre Neve occidente ». Davis. « ne me occidentem » e Reg. et Med. Wolfius et Schutzius ediderunt « neve occidentem ».

15. *Huc arripe ad me.* Vulgo *heu.* Male contraque MSS fidem. DAV. —

21 Perge, aude, nate, illacryma patris pestibus;
Miserere! gentes nostras flebunt miserias.
Heu! virginalem [16] me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemiscentem malo?
Sic feminata [17] virtus afflicta occidit [18].
IX. Accede, nate, adsiste, miserandum adspice
Evisceratum corpus lacerati patris [1].
Videte cuncti; tuque cælestum sator [2],
Jace, obsecro, in me vim coruscam fulminis.
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vertices [3];
Nunc serpit [4] ardor: o ante victrices manus,
22 O pectora, o terga, o lacertorum tori!
Vestrone pressu quondam Nemeæus leo

Quem Wolf. Schützius et Neid. sequuti sunt.

16. *Heu! virginalem me ore ploratum edere.* Ita codices: similique modo « virginalem verecundiam » dixere Noster pro Quinctio, c. 11, et Hieronymus ad Eustochium, Epist. XIX, p. 136, D. autem Lambinus et Fr. Fabricius reponunt, « Heu virginali more ploratum edere », quia Sophocles, vs. 1088, habet ὅστις, ὥστε παρθένος, βέβρυχα κλαίων. Miror equidem doctos illos viros hac de causa lectionem vulgatam mutasse, quum cuivis pateat, eum, qui, ὥστε παρθένος, βέβρυχε κλαίων, « virginalem ploratum edidisse ». Henr. tamen Stephanus Castig. in Cicer. pag. 37, hanc παραδιόρθωσιν est amplexus, additque ploratum non *ore*, sed *oculis* edi. Et sane Servius ad Æn. VI, 427, « ploratum lacrymarum tantum esse » confirmat. Sed rectius idem Grammaticus Æn. XI, 211, « plorare, cum voce flere » explicat. Noster infra cap. 15: « Videmus ex acie efferri sæpe saucios, et quidem rudem illum et inexercitatum, quamvis levi ictu, ploratus turpissimos edere ». Livius lib. XXII, cap. 14: « Strepunt aures clamoribus plorantium sociorum ». Idem XXIII, 42: « Quum ploratum prope conjugum et liberorum nostrorum exaudire ... posses ». Seneca Epist. LXIII: « Lacrymandum est, non plorandum ». Hinc apud Veteres *inclamandi* significationem obtinuit, quod docebit Festus. Dav. — Wolf. tamen Schütz. et Neid. « virginali more » dederunt, quæ lectio nobis altera frigidior videtur.

17. *Sic feminata.* Sophocles, vs. 1092: Νῦν δ' ἐκ τοιούτου θῆλυς εὕρημαι τάλας. Igitur lege, *sed feminata*, etc. Dav. — Quem nemo audivit, et merito, ut nobis videtur.

18. *Afflicta occidit.* Neid. scribit « afflicto occidit » et legi vult *accidit*, quod est barbarum.

IX. 1. *Evisceratum corpus lacerati patris.* Davisius dat « Evisceratum c. laceratum patris ». Hanc, inquit, lectionem præstant codices: et veteribus poetis non insolita sunt hæc ἀσύνδετα. — Buher. Wolf. Schütz. Neid. « Evisceratum corpus laceratum patris ».

2. *Cælestum sator.* Jupiter, pater deum atque hominum rex. Neid.

3. *Anxiferi ... vertices.* Summi dolores. Neid.

4. *Serpit.* Buherius conj. *sævit.*

Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetram [5], mactata excetra,
Placavit; hæc bicorporem afflixit manum [6];
Erymanthiam hæc vastificam abjecit belluam;
Hæc a Tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra [7] generatum canem [8];
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem [9], auriferam obtutu observantem arborem [10].
Multa alia victrix nostra lustravit mauus,
Nec quisquam [11] e nostris [12] spolia cepit laudibus.

Possumusne [13] nos contemnere dolorem, quum ipsum Herculem tam intoleranter [14] dolere videamus?

5. *Hæc dextra, Lernam tetram, mactata excetra, Placavit.* Cur, obsecro, *Lernam tetram?* quippe lacus erat amœnissimus, nisi quum ab Hydra infestaretur; scis illud Senecæ, « Ubi Lerna puro gelida perlucet vado ». Lege ergo hic, « Hæc dextra Lernam, tetra mactata excetra ». Mirabar equidem tam couspicuum mendum tot interpretum acumen potuisse effugere. Postea comperi Lambinum id vidisse: sed bonus Gebhardus aprevit, et silentio transiit. Bentl. — Dav. Bentleium sequutus est. Sic, inquit, Reg. Med. et Eliens. pr. Forsan etiam legendum *pacavit*, ut apud Virgilium, Æn. VI, 803. Pari modo *pacatum mare* de Oceano prædonibus non infesto dixit Horatius, lib. VI, Od. 5. — *Tetra* Wolf. Schütz. et Neid. dederunt.

6. *Bicorporem ... manum.* Centauros, qui semihomines et semiequi erant. διφυῆ στρατὸν Soph. Nain.

7. *Hydra.* V. D. Buherius conjicit *Echidna.*

8. *Tricipitem ... canem.* Cerberum.

9. *Draconem.* Qui custodiebat hortos Hesperidum. Nein.

10. *Observantem arborem.* MSS Norvic. Petrena. aliique multi repræsentant *adservantem*, quam quidem scripturam ex glossa natam arbitror. Portius Latro Declam. in Catil. cap. 32: « Quid est, quod illum observatum dicas in perpetua custodia atque oculis senatorum »? Eumenius, Panegyr. VII, cap. 4, 2: « Tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, quas fessi observare non possent ». Cæsar, B. C. lib. III, cap. 28: « Qui eam partem oræ maritimæ observabant »; sic recte editt. veteres, quum vulgo legatur *asservabant.* Eadem vox nobilissimo scriptori, B. C. lib. I, cap. 21, est reddenda. Vide Pet. Fabrum Semest. lib. I, cap. 20. Dav.

11. *Nec quisquam.* Nos vicit et superavit; ita Ernesti e Sophoclis verbis: κ' οὐδεὶς τρόπαι' ἔστησε τῶν ἐμῶν χερῶν explicavit. Nain.

12. *E nostris.* Olim alii *a nostris.*

13. *Possumusne.* Nonne videtur dolor non contemnendus esse, quum ipsum Herculem, i. e. deum, tam intoleranter, etc. Nain.

14. *Intoleranter.* Unus cod. Leid. *intolerabiliter.*

13.

23 X. Veniat Æschylus non poeta solum, sed etiam Pythagoreus : sic enim accepimus. Quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium [1],

> Unde ignes [2] cluet mortalibus
> Clam divis olim doctu' Prometheus
> Clepsisse dolo, pœnasque Jovi
> Fato expendisse supremo?

Has igitur pœnas pendens, affixus ad Caucasum hæc dicit :

> Titanum soboles [3], socia nostri sanguinis,

X. 1. *Furtum Lemnium.* Ita vocatur furtum illud, quod Prometheus commisit, quum ignem de cælo in terram subripuit. Lemnius autem cognominatur Vulcanus, et Vulcanus sæpius ponitur pro igne ; ergo furtum Lemnium idem ac furtum ignis.

2. *Unde ignes?... supremos.* Hæc vulgo prosaico tenore sic edebantur : « Unde ignis lucet mortalibus clam divisus ? Eum doctus Prometheus clepsisse dolo, pœnasque Jovi fato expendisse supremo ». Davis. hos versus, haud secus ac nos dedimus, repræsentavit, nisi quod omisit *olim*, et pro *fato* dedit *forti*. Hi, inquit, procul dubio sunt versus, et eorum quidem principium sic exstat apud Varronem, de L. L. lib. VII, p. 67 : « Unde ignes cluet mortalibus Divis ». Jul. quidem Scaliger Castig. pag. 108, ad anapæsticos hoc modo reducit : « ... Unde ignes mortalibus Divisse cloet doctu' Prometheus, Clepsisse dolo, pœnasque Jovi Fato expendisse supremo ». Hunc heroem sequitur D. Lambinus. Octav. autem Pantagathus miros ex iis iambos facit : « Dolorem quem percipit ob furtum Lemnium Unde ignis lucet mortalibu' clam diditus : Eum Prometheus clepsisse est dictus dolo, Pœnasque Jovi fato expendisse pessimo ». Hæc ratio longe longeque Scaligerana deterior est ; attamen infeliciore, si fieri potest, conatu rem aggreditur Hadr. Turnebus Advers. lib. II, cap. 8. Mihi cum primis arridet elegantissima viri summi Ric. Bentleii conjectura, qui reponit : « Unde ignes cloet immortalibus Clam divis doctu' Prometheus Clepsisse dolo, pœnasque Jovi Furti expendisse supremo ». Vide sis Epist. Malelæ subjectam pag. 27. — *Unde ignis.* Latinus poeta, Attius fortasse, versus Æschyli Prom. Vinct. 7, 8, 9, hic ob oculos habuisse videtur : Τὸ σὸν (sc. Jovis) γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας Θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν· τοιᾶσδέ τοι ἁμαρτίας σφὲ δεῖ θεοῖς δοῦναι δίκην. Nᴇᴏ. — *Cluet*, id est, dicitur; *clepsisse*, furto subduxisse; *clepere*, furari, a græco κλέπτω.

3. *Titanum soboles.* Hic locus e tragœdia deperdita, quæ inscribitur Prometheus λυόμενος, ab Attio latine facta, depromptus est. Hinc etiam liquet cur hic res in Caucaso monte

Generata cælo [4], adspicite religatum asperis
Vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitæ.
Saturnius me sic infixit Jupiter,
Jovisque numen Mulcibri adscivit manus [5].
Hos ille cuneos fabrica crudeli inserens [6],
Perrupit artus: qua miser solertia
Transverberatus, castrum hoc furiarum [7] incolo. 24
Jam tertio me quoque funesto die,
Tristi advolatu, aduncis lacerans unguibus
Jovis satelles [8] pastu dilaniat fero.
Tum jecore opimo farta et satiata [9] affatim
Clangorem fundit vastum, et sublime avolans [10],

geratur, quum scena Promethei vincti sit in Scythia. Notandum enim Prometheum bis in rupe vinculis constrictum esse, primum in rupe Scythica, deinde in Caucasi jugo, et eadem hac altera vice a Jovis aquila jecur ei dilaniabatur. Vid. Illustr. Schützii Comment. ad Æsch. Prom. Vinct. p. 10, 11. Nauo.

4. *Generata Cælo.* Terra (Γῆ) enim ex Cælo (Οὐρανῷ) progenuit Titanas, Cœum, Crium, Hyperionem et Japetum, qui pater erat Promethei. Nauo.

5. *Jovisque numen Mulcibri adscivit manus.* Lambinus ad suæ editionis oram adlevit, *forsan arcivit.* Quid vero in mentem fuerit viro doctissimo, me plane fugit, nisi forsan huic verbo *ciendi* vel *arcessendi* vim tribuit. Utcumque sit, movenda non est lectio recepta. Certe quamvis huic muneri solum Mercurium præficiant Hyginus Fab. CXLIV; Servius ad Eclog. VI, 42, aliique; has tamen partes egisse cum Vulcano Mercurium patet vel ex Luciani Prom. tom. I, pag. 173, 174. Davis.

6. *Fab. crudeli inserens.* Quidam *fideli:* Davis. in prima ed. *inferens.*

7. *Castrum hoc furiarum.* Est locus ubi habitant furiæ, est ergo locus Tartaro similis. Neuo.

8. *Jovis satelles.* Ille aquila, qui jecur Promethei depascebat. Neuo.

9. *Tum jecore opimo farta et satiata.* Laudat Priscianus, lib. X, col. 907. Dav.

10. *Sublime avolans.* Davis. scribit *advolans*, notatque: Turnebus Advers. lib. II, cap. 9; D. Lambinus et Fr. Fabricius reponunt, *sublime avolans:* sed mutatione non est opus, quum *sublime advolans* idem valeat ac ad sublime, seu sublimem locum, volans. Sane Prometheus non summo, sed medio Caucaso fuit adfixus. Vide Lucianum Prom. tom. I, pag. 173. Claudianus de III Cons. Honorii, vs. 165: « . . . et Veneris clementes advolat auras ». Idem in Probini et Olybrii Cons. vs. 174: « . . . velox jam nuntius advolat urbem ». Amm. Marcellinus, XVI, 9: « Perduelles advolaret assiduos ». Multa sunt hujusmodi. Vide sis Salmasium ad Tertullianum de Pallio, pag. 404. Porro Nonius in *adulatio* hosce versus Accii Prometheo acceptos refert. Is Accianæ hujus fabulæ meminit etiam in *Gelus*, subscri-

Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem[11].
Quum vero adesum inflatu renovatum est jecur,
Tum rursus tetros avida se ad pastus refert.
Sic hanc custodem[12] mœsti cruciatus alo:
Quæ me perenni vivum fœdat miseria.
Namque, ut videtis, vinclis constrictus Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.
25 Sic me ipse viduus[13] pestes excipio anxias,
Amore mortis terminum anquirens[14] mali.
Sed longe a leto numine aspellor Jovis.
Atque hæc vetusta sæclis glomerata[15] horridis,
Luctifica clades nostro infixa est corpori;
E quo[16] liquatæ solis ardore excidunt
Guttæ, quæ saxa assidue instillant Caucasi.

26 XI. Vix igitur posse videmur ita affectum non miserum dicere; et si hunc miserum, certe dolorem, malum.

AUD. Tu quidem[1] adhuc meam causam agis[2]. Sed

bente Prisciano, lib. VI, col. 685; quapropter Ciceronem dissimulati scriptoris incusat Pet. Scriverius Fr. Trag. pag. 142. At Tullius hujusce libri cap. 10, se hunc locum de græco vertisse confirmat; nec tam inops erat, vel tam perfrictæ frontis, ut aliena sibi adscriberet. Memoria igitur lapsus est Marcellus, nec tamen Prometheum Accii fuisse fabulam negarim: nam Προμηθέα δεσμώτην, λυόμενον, et πυρκαέα sive πυρφόρον scripsit Æschylus; quorum δραμάτων primum forsan Accius in linguam latinam transtulit; Noster, hanc secundi particulam. DAV.

11. *Adulat sanguinem*. Prima et antiquissima significatione *adulare* hic positum esse videtur, ut sit *tergere*, *stringere*. NEID.

12. *Sic hanc custodem ... Quæ me perenni*. Vulgo *hunc ... qui*. Sed emendatio Cl. Bentleii mihi probatur, quod in hac re « genus femininum » prius adhibuit. DAV. — Sch. et Neid. *hunc ... qui*.

13. *Me viduus*. Quum mihi ipsi opitulari nequeo. Constrictus enim erat vinculis atque compedibus. NEID.

14. *Anquirens*. Sic Gebhard. e MSS. Vulgo olim *inquirens*.

15. *Sæclis glomerata*. Tempore adaucta. NEID.

16. *E quo*. Davisius scribit *ex quo*. Has, inquit, voces temporis longitudinem denotare perperam judicavit Joach. Camerarius; ad ipsum enim Promethei corpus respiciunt. Adi sis Hadr. Turnebum Advers. II, 9.

XI. 1. *Tu quidem ... latina oratio*. Brevis hæc est digressio de usu poetarum in disputationibus philosophicis. NEID.

2. *Meam causam agis*. A partibus meis stare videris, dicens, dolorem malum esse. NEID.

hoc mox videro. Interea unde isti versus? Non enim agnosco. — CIC. Dicam hercle. Etenim recte requiris. Videsne abundare me otio[3]? — AUD. Quid tum? — CIC. Fuisti sæpe, credo, quum Athenis esses, in scholis philosophorum. — AUD. Vero[4], ac libenter quidem. — CIC. Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verumtamen versus ab his admisceri orationi. — AUD. Ac multos quidem a Dionysio stoico. — CIC. Probe dicis. Sed is quasi dictata[5], nullo delectu, nulla elegantia. Philo noster[6] et pro-

3. *Videsne abundare me otio?* Me ergo ad tuam quæstionem respondere posse. NEIN. — Nescimus quid velit hæc interpretatio : Cicero longa utitur suspensione, ut dicat quomodo utatur otio. Sensus est : Otio illo, quo vides me abundare, utor in vertendis græcis versibus.

4. *Vero, ac libenter quidem.* Lambinus et Fabricius : « fui vero et l. q. » Sed non semel *vero* in sententiæ principio ponitur; vid. Brut. cap. 87, Divin. I, 46. Victorius omittit *quidem.*

5. *Quasi dictata.* Vid. not. seq.

6. *Philo noster et proprium numerum.* Sic Pall. pr. quint. Fabr. contra Pal. tert. « Philo et pr. noster » ; sec. « Philo etiam proprius noster », olim omittebant *noster.* Davis. vv. « et proprium numerum » uncis inclusit, quas nesciunt MS Norvic. Med. et Bak. cui Davisio sic respondet anonymus apud Olivetum : *Et proprium numerum.* Has voces Davisius uncinis eioxit veluti spurias, et amputandas. Est tamen sine illis manca et parum concinna oratio. Si quid habet caliginis, conabor depellere. Duos Cicero philosophos, Dionysium Stoicum, et Philonem Academicum, quos Athenis audiverat, eorumque stylum, et explicandæ publicis dictionibus philosophiæ rationem comparat. Uterque admiscebat versus orationi. « Sed is quasi dictata ». Phrasis per ellipsin mutila ; sed quam facile supplet qui scit qua de re agatur. *Dictata* hoc loco sic intelligi decet, quemadmodum in istis : de Fin. I, 4 : « Iisdem de rebus semper quasi dictata decantare ». De Nat. Deor. I, 26 : « Ista tamen a vobis tamquam dictata redduntur ». Hoc itaque dicit Cicero : Dionysius, ut Stoicus, nullum sequens florem orationis, ita dicebat, *quasi dictata* redderet ; nullum adhibebat delectum, nullam elegantiam aspergebat. Philo adjungebat verbis et versibus proprium numerum; seligebat poemata, e quibus versus excerperet, et excerptos collocabat eleganter *loco* idoneo. Dionysius non adjungebat *proprium numerum*, quoniam *quasi dictata* reddebat. ANONYM. — Neid. vv. *quasi dictata* notari putat Dionysii ineptam declamationem, qua videretur scribentibus versus dictare; contra *proprium numerum* intelligit de laudabili declamatione : et Schützius eamdem sequitur interpretationem, quæ satis apta nobis videtur.

prium numerum, et lecta poemata, et loco[7] adjungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem[8], studiose equidem utor nostris poetis[9]. Sed, sicubi illi defecerunt, verti ipse[10] multa de Græcis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret latina oratio. Sed videsne, poetæ quid mali

27 afferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros; molliunt animos nostros; ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque umbratilem[11] et delicatam quum accesserunt etiam poetæ, nervos omnis virtutis elidunt. Recte igitur a Platone educuntur ex ea civitate[12], quam finxit ille, quum

7. *Et loco adjungebat.* MS Norvic. habet *locos.* Non equidem accedo: nam vult Noster, Philonem non modo in poematis habuisse dilectum; sed etiam illa ipsa locis commodis adjunxisse. DAV.

8. *Quasi senilem declamationem.* Philosophicas disputationes; ad distinguendam eam a declamatione juvenili, quæ fiebat in rhetorum scholis a juvenibus; ut declamando vocem et orationem formarent. NEID.

9. *Nostris poetis.* Victorius et Gruterus sic legunt, ac distinguunt, « nostris poetis, sed sicubi illi defecerunt. Verti enim multa, etc. » ut hoc vulnerit Cicero: uti se studiose quidem latinis poetis; sed tunc tantum, quum e Græcis nihil suppetit. Multa enim a se versa esse de Græcis, quæ ornandæ adhibeat latinæ orationi. Pro ea quam recepimus lectione stant Manutius et Lambinus, ex qua elicitur sensus item commodus, et apertus. OLIVETUS.

10. *Verti ipse.* Vulgo *verti enim.* Sed veteres editos sequor, quos Gebhardus male deseruit. DAV. — Wolf. et Neid. neque *ipse*, neque *enim* habent.

11. *Vitamque umbratilem.* Vitam otiosam, lenem, non asperam. ERN.

12. *Educuntur ex ea civitate.* Eliens. sec. et Bak. *ejiciuntur*, quod quidem verbum est vehementius; « quia ejici est inde expelli unde invitus recedas », prout recte Seneca Epist. LIV. Ita loquuntur et alii scriptores, ubi Platonis hoc memorant facinus. Augustinus C. D. II, 14: « An forte Platoni Græco potius palma danda est, qui quum ratione formaret, qualis esse civitas debeat, tamquam adversarios civitatis, poetas censuit urbe pellendos? » Minutius Felix Octav. cap. 22: « Plato ideo præclare Homerum ... de civitate, quam in sermone instituebat, ejecit ». Quocirca magnis auctoritatibus se tueatur ista vox. Sed tamen ipse Plato de Rep. lib. III, pag. 437, mitiorem φράσιν, ἀποπέμπειν adhibet; quod facit etiam Maximus Tyrius, Diss. XXIII, 3, ut temere movenda non sit recepta lectio. DAV. — Legisse neminem pœnitebit ea quæ in hanc rem

mores optimos, et optimum reipublicæ statum exquireret. At vero nos, docti scilicet a Græcia, hæc et a pueritia legimus, et discimus; hanc eruditionem liberalem, et doctrinam putamus.

XII. Sed quid poetis[1] irascimur? virtutis magistri 28
philosophi inventi sunt, qui summum malum dolorem dicerent. At tu adolescens, quum id tibi paullo ante[2] dixisses videri, rogatus a me, Etiamne majus, quam dedecus? verbo[3] de sententia destitisti. Rogo[4] hoc idem Epicurum: majus dicet esse malum, mediocrem dolorem, quam maximum dedecus; in ipso enim dedecore mali nihil esse, nisi sequantur dolores. Quis igitur Epicurum[5] sequitur dolor, quum hoc ipsum dicit, summum malum esse dolorem, quo dedecus majus a philosopho nullum exspecto? Quare satis mihi dedisti, quum respondisti, majus tibi videri malum, dedecus, quam dolorem. Hoc ipsum enim si tenebis, intelliges, quam sit obsistendum dolori. Nec tam quærendum est, dolor malumne sit, quam firmandus animus ad dolorem ferendum. Concludunt 29
ratiunculas[6] stoici, cur non sit malum: quasi de ver-

Morgenstern V. Cl. elegantissime ac eruditissime disputavit in Comment. de Platonis republ. p. 237 sq. Neid.

XII. 1. *Sed quid poetis irascimur? ... ad dolorem ferendum.* Poetis saltem concedi potest, eos dolorem summum malum putare; minus philosophis virtutis magistris. Dolor omnino malum est, nec tamen summum. Ergo non quærendum, malumne sit, nec ne; sed quomodo firmandus animus ad eum ferendum. In hoc quasi cardo totius rei vertitur. Neid.

2. *Paullo ante.* § 14.

3. *Verbo.* Paucis monitus, facile cessit. Ern. — Forsan sensus est: Uno sublato verbo, sententiam tuam correxisti: et quum primum dixisses dolorem summum malum esse, tum a me admonitus, solum dixisti, dolorem malum esse.

4. *Rogo.* Ernest. e conjectura reposuit *roga.* Sed sensus est: Si rogo hoc idem Epicurum, ut modo te rogavi. Sch. — Cui J. V. L. assentitur.

5. *Quis igitur Epicurum sequitur.* Sensus esse videtur: Dolorem sane Epicurus non sensit, quia dixit dolorem summum esse malum; attamen hæc sententia ei, tamquam philosopho, summo est dedecori. Neid.

6. *Concludunt ratiunculas.* Sic Cl.

bo, non de re laboretur. Quid me decipis, Zeno? Nam quum id, quod mihi horribile videtur, tu omnino malum esse negas, capior [7], et scire cupio, quo modo id, quod ego miserrimum existimem, ne malum quidem sit. « Nihil est, inquit, malum, nisi quod turpe atque vitiosum est. » Ad ineptias redis [8]. Illud enim, quod me angebat, non eximis. Scio dolorem non esse nequitiam. Desine id me docere : hoc doce, doleam, necne, nihil interesse [9]. « Numquam quidquam, inquit, ad beate quidem vivendum [10], quod

Bentleius; et sic, præter Gebhardianos quinque, Reg. Eliens. duo, Petrons. Bak. et Balliol. nec aliter interdum loquitur Cicero. Vulgo *ratiunculis :* cui lectioni solus e nostris favet Med. Dav. — Davisium ceteri sequuntur. — *Concludunt ratiunculas ... relinquet et deseret.* Stoicorum probandi ratio, cur dolor non sit malum, tamquam insufficiens rejicitur. Synonymorum copia obtundunt Stoici auditorem, neque tamen rem expediunt. Ostenditur, quomodo secundum rationes Stoicas probari possit : dolorem esse contemnendum. Nein.

7. *Capior.* Hic agit Cicero partes hominis, qui amet persuaderi sibi, in dolore malum non esse. Itaque *capior* perinde valet ac *inescor.* Passeratius. — *Capior.* Attentus fio, novitate rei afficior et audiendi cupidus sum, quibus rationibus probet Zeno. Nein. — Virgil. Georg. IV, 348 : « Carmine quo captæ, dum fusis mollia pensa Devolvunt ».

8. *Ad ineptias redis. Illud enim, q. me angebat, non eximis.* Verissime codex tuus, « Illud autem, quod me angebat ». Nam τὸ *enim* hic locum non habet. Non enim, quia non eximebat, *ideo* ad ineptias redibat. Bentl. — At certe ideo ad ineptias redit, quia non eximit id, quod angebat. Nam si, quum tibi probandum est dolorem non esse rem tristem et acerbam, mihi dicis dedecus pejus esse dolore; non eximis quod me angit; nam etiamsi quid sit dolore pejus, dolor tamen res est tristis et acerba : ergo inepta est, sc. ad locum non apta, sententia tua.

9. *Nihil interesse.* Quum sentiendi facultas me doceat, plane aliud esse dolere, aliud non dolere. Nein. — Dav. Schützius et Neld. « doleam, necne doleam, nihil interesse ». Ern. alterum *doleam* ejecit.

10. *Numquam quidquam, inquit, ad beate quidem vivendum.* D. Lambinus contra MSS fidem reposuit *nihil quidquam.* Male. Plautus Amph. act. I, sc. I, vs. 92 : « Numquam etiam quidquam adhuc verborum est proloquutus perperam ». Idem Asin. act. I, sc. III, vs. 44 : « Nam si ea durarent mihi, Mulier mitteretur ad te; numquam quidquam poscerem ». Et Rud. act. II, sc. VII, vs. 23 : « Tibi ego numquam quidquam credam nisi accepto pignore ». Terentius Eun. act. V, sc. VII, vs. 1 : « Numquam ædepol quidquam jamdiu, quod magis vellem evenire, Mi evenit ». Vide sis et

est in una virtute positum; sed est tamen rejiciendum [11]. » Cur? « Asperum est, contra naturam, difficile perpessu, triste, durum. »

XIII. Hæc est copia verborum [1], quod omnes uno verbo malum appellamus, id tot modis posse dicere. 30
Definis tu mihi, non tollis dolorem, quum dicis asperum, contra naturam, vix quod ferri tolerarique possit: nec mentiris; sed re succumbere [2] non oportebat, verbis gloriantem [3], dum « nihil bonum, nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe ». Optare hoc quidem est, non docere [4]. Illud et melius et verius:

Adelph. act. I, sc. II, vs. 18, et act. IV, sc. I, vs. 12. Dav.—*Ad beate... vivendum*. Facit dolor. Non impedit quo minus beate vivas.

11. *Rejiciendum*. Stoici, quum nollent boni malique loco ponere quidquam præter virtutem et turpitudinem, ceteras res, quibus non potest eodem modo animus humanus moveri, tamquam valitudinem rectam, morbum, dolorem, voluptatem, vitam, mortem, divitias, paupertatem, etc. distribuebant in προηγμένα et ἀποπροηγμένα, h. e. digna, quæ deligerentur vel repudiarentur (rejicienda) ut v. c. valitudo recta προηγμένον esset, morbus ἀποπροηγμένον. Ern.

XIII. 1. *Copia verborum*. Synonymorum. Neid.

2. *Sed re succumbere non oport.* Et certe Stoicus re succumbit, qui, quum negat dolorem malum esse, concedit eum esse rem duram, tristem, asperam: nam nihil aliud malum est, quam quod durum, triste, asperum. Inepte Neid. vv. *sed re succ. n. op.* tangi putat stoicum aliquem v. c. Catonem, qui se interfecerat.

3. *Gloriantem, dum nihil bonum.* Lego « gloriantem: dicis enim nihil bonum ». Festinantes sane librarii *dicis n.* non difficulter in *dum* possunt mutare, præsertim si, quod sæpe contigit, literæ parum distincte sint scriptæ. Si displicet hæc ratio, secunda vox est cum Lambino delenda; nam supervacua prorsus et inanis videtur. Dav. — Sed in vulgata *dicis* intelligi potest ex antecedentibus *quum dicis asperum*. Schutz.

4. *Optare hoc quidem est, non docere*. Petr. Fabro legendum placet *captare*, cumque viro illo docto facit D. Lambinus; quod equidem miror, siquidem loquendi modum, quem repræsentant omnes libri, Tullio non inusitatum esse probe sciret. Sic Acad. II, 38: « Somnia censet hæc esse Democriti, non docentis, sed optantis ». Ac de Fato, cap. 20: « Optare hoc quidem est, non disputare ». Eodem modo Hieronymus adv. Pelagium ad Ctesiph. pag. 546: « Hoc est enim hominem ex homine tollere ... et optare potius quam docere ». Pariter Græci. Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypot. lib. III, cap. 25: ΕΥΧΟΜΕΝΩΝ μᾶλλον ἢ τἀληθῆ λεγόντων. Vult autem Noster Zenonem rem tantum non ἀδύνατον ponere; sed id

« omnia[5], quæ natura aspernetur[6], in malis esse; quæ adsciscat, in bonis ». Hoc posito, et verborum concertatione sublata, tantum tamen excellet illud, quod recte amplexantur isti[7], quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia præterea, quæ bona corporis et fortunæ putantur, perexigua et minuta videantur: ne[8] malum quidem ullum, nec, si in unum locum collata omnia sint[9], cum turpitudinis malo comparanda. Quare, si, ut initio
31 concessisti, turpitudo pejus est, quam dolor, nihil est plane dolor. Nam dum tibi turpe, nec dignum viro videbitur gemere, ejulare, lamentari, frangi, debilitari dolore[10], tum honestas, tum dignitas, tum decus aderit : quumque in ea intuens[11], te continebis; cedet

quod ponit non omnino demonstrare. Davis. — *Optare.* Optare dicuntur philosophi, qui aliquid contendunt verum esse, et cupiunt propugnare et confirmare, sed non possunt idonea argumenta afferre. Ern.

5. *Illud et melius...omnia.* Jam Cic. demonstrat, quo modo a Stoicorum principiis probari possit, omnem dolorem esse contemnendum. Omnia, inquit, quæ natura aspernatur, mala, quæ adsciscit, bona sunt. Omnium autem bonorum honestum (virtus, decor, rectum) est summum, et omnia cetera, tamquam infinite parva præ honesto, tamquam infinite magno, evanescunt. Eadem est ratio malorum. Si itaque turpitudo (inhonestum, vitium) pejor est, quam dolor, evanescit omnis dolor præ turpitudine, quæ mollitiei in perferendis doloribus, gemitibus, ejulationibus, etc. inest. Jam aut nulla virtus est, aut contemnendus omnis dolor. Est autem virtus; relinquitur ergo, dolorem omnem esse contemnendum. Neid.

6. *Aspernetur ... adsciscat.* Vulgo, *aspernatur... adsciscit.* Sed *adsciscat* est a Reg. aliisque codicibus; ut Dav. necessario mutanda fuerit vox prima.

7. *Isti.* Stoici.

8. *Ne.* Hæc particula in *ut non* est dissolvenda, ut sententiæ constet structura : atque hoc secundum *ut*, sicuti primum, pendebit a præcedentibus *tantum ... excellet.*

9. *Collata omnia sint.* Alii *sunt.* Davis. in prima ed. *collata sunt omnia* e MS Petreus.

10. *Frangi, debilitari dolore.* Vulgo *debilitari, dolere.* Sed omnino legendum, prout edidimus, quod recte vidit Manutius. Adi lib. II de Fin. cap. 29, et hujusce libri cap. 26. Davis. — Ceteri Davisium sequuntur.

11. *Tum hon. tum dig. tum decus aderit : quumque in ea intuens, te cont.* Davisius e Bentleii conj. locum

profecto virtuti dolor, et animi inductione[12] languescet. Aut enim nulla virtus est, aut contemnendus omnis dolor. Prudentiamne vis esse[13], sine qua ne intelligi quidem ulla virtus potest? Quid ergo ea? patieturne te quidquam facere nihil proficientem, et laborantem[14]? An temperantia sinet te immoderate facere quidquam? An coli justitia poterit ab homine propter vim doloris enuntiante commissa, prodente conscios, multa officia relinquente? Quid? fortitudini, 32
comitibusque ejus, magnitudini animi, gravitati, patientiæ, rerum humanarum despicientiæ, quo modo respondebis? Afflictusne, et jacens, et lamentabili voce deplorans, audies[15], « O virum fortem? » Te vero ita affectum ne virum quidem dixerit quisquam.

sic constituit : « dum hon. dum dig. dum dec. aderit; tuque in ea intuens, te cont. » Idem *intuens* dedit ex Reg. et Eliens. quum alii legerent *intueberis*, ut Pall. duo, vel *intueris*, ut Vatic. Ulrich. et Petreus. Ceterum vulgata olim erat *tuque*, ut Davisius edidit, non *quumque*. — Davisium Schütz. et Neid. sequuntur.

12. *Animi inductione.* Hac cogitatione.

13. *Prudentiamne vis esse.* Lustrat jam Cicero omnes virtutes, quas vocant, cardinales : Prudentiam, Temperantiam, Justitiam, Fortitudinem, ostenditque nulli harum satisfieri posse, nisi dolor contemnatur. Naid.

14. *Nihil proficientem, et laborantem?* Inepta sane oratio, ut nihil supra. Omnino dicendum erat, mutato ordine, « Patieturne te quidquam facere, laborantem, et nihil proficientem ». Hoc quidem ferri posset, ut illud Tusc. I, 5 : « Sudans ... neque proficit hilum ». Verum, quum omnia exemplaria hunc verborum ordinem servent, pro certo habeo vocabulum excidisse, et reponendum, « Nihil proficientem, et frustra laborantem ». Quod et jam video Lambinum occupavisse; sed ejus conjecturæ ne mentionem quidem facere dignatus est Gebhardus. Bentleius. — Wolfius, quem Sch. et Neid. sequuntur, edidit *et laborantem tamen.* — Sensus : Num prudentiæ consentaneum erit, dolore affici, si aliquo suscepto negotio nihil proficere possis? Prudentia te potius docebit, primum, eventum non semper voluntati nostræ respondere; deinde te prudentia adhibita sæpius vitia commissa reparare posse. Naid. — Errat certe Neid. Prudentia non sinet te dolere : nam dolere, est facere aliquid quod nihil omnino proficiat, est frustra atque inutiliter laborare; nam nullus certe est fructus doloris. Ergo dolor contrarius est prudentiæ.

15. *Audies, O virum fortem?* Sc. te aliquem vocantem. Naid. — Davis. ex Eliens. *audieris.*

Amittenda[16] igitur fortitudo est, aut sepeliendus[17] dolor.

XIV. Ecquid scis igitur[1], si quid de Corinthiis[2] tuis amiseris, posse habere te reliquam supellectilem salvam: virtutem autem si unam amiseris (etsi amitti non potest virtus); sed si unam confessus fueris te non
33 habere, nullam te esse habiturum[3]? Num igitur fortem virum, num magno animo, num patientem, num gravem, num humana contemnentem potes dicere, aut Philoctetam illum[4] (a te enim malo discedere)?

16. *Amittenda.* Davis. *aut mitte-* Nos, inquit, Eliens. sec. paruimus. *Mittenda* valet idem quod omittenda, deponenda. Vide Virgilium Æn. I, 207; Horatium lib. I, Od. 38; Senecam Thyeste, vs. 954, et Nonium in *mittere*. Dav. — Schütz. et Neid. Davisio obtemperaverunt.

17. *Sepeliendus.* Hujus v. nimiam vim putat Bentleius, qui legi vult *despiciendus* ex præcedd. « aut enim nulla virtus est, aut contemnendus omnis dolor ».

XIV. 1. *Ecquid scis igitur.* Cicero sine dubio nil aliud dicere vult, quam: Virtutis plane alia est ratio, ac supellectilis. Si unum supellectilium amiseris, reliqua salva habere poteris; si autem una tibi desit virtus, nullam habebis: nam honestum unum est ac integrum, constans quatuor elementis, nec sine detrimento totius unum elementorum amitti potest. Nein.

2. *De Corinthiis.* De his vasis vid. Muret. Varr. Lect. III, 5; Bisciola, hor. subseciv. XV, 10.

3. *Si unam confessus fueris te non habere, nullam te esse habiturum?* Hæc Stoicorum fuit sententia quam sequuti sunt alii nonnulli. Laertius, VII, 125: Τὰς δὲ ἀρετὰς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν. Noster lib. I Acad. cap. 10: « Quumque superiores genera virtutum sejungi posse arbitrarentur; hic (Zeno) nec id ullo modo fieri posse disserebat ». Et lib. I de Orat. c. 18, « Mnesarchus dicebat, qui unam virtutem haberet, omnes habere ... ita qui esset eloquens, eum virtutes omnes habere, atque esse sapientem ». Infinita colligi possint hanc in rem. Vide Plutarchum de Aud. Poet. pag. 25, et de Repugn. Stoic. pagg. 1034, 1046; Hieronymum ad Pamm. Epist. XXVI, pag. 168, ac Dial. I adv. Pelag. pag. 561. Origenem Philos. pag. 127, 128, et Just. Lipsium Manud. ad Phil. Stoic. III, 4. Dav.

4. *Potes dicere, aut Phil. illum (a te enim malo discedere)?* Davisius dedit « potes te dicere aut Phil. etc. » nostri omnes, inquit, cum Gebhardianis plerisque habent: « potes dicere aut Philoctetam illum? a te enim malo discere ». Nisi quod Eliens. sec. det « potes dicere Prometheum aut Philoctetam »; ac ita Manutius et Lambinus in duobus MSS repererunt; unde viri illi docti rescripsere, « Potes di-

sed ille certe non fortis, qui jacet in lecto humido[5], qui

> Ejulatu, questu, gemitu, fremitibus,
> Resonando, multum[6] flebiles voces refert.

Non ego dolorem, dolorem esse nego. Cur enim fortitudo desideraretur? Sed eum opprimi dico patientia, si modo est aliqua patientia: si nulla est[7], quid exornamus philosophiam? aut quid ejus nomine gloriosi sumus? Pungit dolor. Vel fodiat sane[8]. Si nudus

cere Prometheum aut Philoctetam illum: illos enim quam te malo dicere». Sane veteres editi dant, «Philoctetam illum, quam te enim malo dicere»; quare, si vestigiis eorum adhæreamus, legi possit, «potes dicere Philoctetam (illum quam te enim malo dicere), sed ille certe non fortis». At elegantiorem Ciceronis emendandi rationem invenisse videtur sagacissimus Bentleius; qui reponit, «num humana contemnentem potes te dicere? aut Philoctetam illum; a te enim malo discedere». — Schützius Davisium sequitur: Neid. scribit: «potes dicere [aut Prometheum] aut Phil. illum».

5. *Qui jacet in lecto humido, qui Ejulatu*, etc. Davisius, Bentleio suadente, voces *in lecto humido* poetæ adscribit, quasi versus finem, sequentemque versum incipit ita: *Quod ejulatu*. Ipse notat: *Quod* exhibent Reg. Eliens. tert. Bak. aliique MSS. Recte: nam *lectum* quandoque neutro genere ponitur. Vide Digg. lib. XXXII, tit. I, Leg. LII, 9. — Et Davisium Schütz. Wolf. et Neid. sequuntur. — *Lectum humidum*, est saxum illud Lemnium, in quo jacebat Philoctetes. — Buherius conj. e Fin. II, 29, *tecto humido*.

6. *Multum*. Davis. suadente Bentleio, *mutum*, quod ab iis refertur ad *lectum*, sc. saxum Lemnium. Jam *mutum* Gruterus e MSS suis probaverat. Schützius et Neid. tamen retinuerunt *multum*.

7. *Si nulla est, quid exornamus philosophiam?* Aliquanto venustius, mea quidem sententia, legitur apud Nonium: «Sin nulla est, quid exornamur philosophia?» Damus enim nos philosophiæ exornandos, ut fortiter dolorem ferre possimus: quam hic esse Ciceronis mentem apparet. Si nulla est, inquit, patientia, frustra excolimur præceptis philosophiæ, frustraque præclarum philosophi nomen ambimus. Passerat. — Et quidem Bentleius legi vult *sin nulla est*, ut infra *sin tectus*: at Davisius dicit ed. Nonii qua ipse utitur habere «quid exornatur philosophia». Sed, inquit, hoc librariis imputandum; nam MS C. C. C. C. *exornamur*, unde codices ejus ad Ciceronem exigendos esse manifestum est; nam falsum puto Fr. Fabricium, qui Tullianos libros ex Nonianis emendandos censuit.

8. *Vel fodiat sane*. Cl. Bentleio placet *fodicet*. Favet certe Med. qui dat, *vel fodicat sane*. Infra, III, 16: «Non est enim in nostra potestate, fodicantibus his rebus quas malas esse

es[9], da jugulum[10]. Sin tectus Vulcaniis armis[11], id est, fortitudine, resiste. Hæc enim te, nisi ita facies,
34 custos dignitatis, relinquet et deseret. Cretum quidem leges[12] (quas sive Jupiter, sive Minos sanxit[13], de Jovis quidem sententia[14], ut poetæ ferunt), itemque Lycurgi[15], laboribus erudiunt juventutem, venando,

opinemur, dissimulatio vel oblivio ». Hunc locum profert etiam Nonius in *fodicare*. Dav. — Ex his Schützius scripsit *fodicet*, non satis validis nititur auctoritatibus.

9. *Si nudus es.* Si eges armis.

10. *Da jugulum.* Sumptum de gladiatoribus, quorum qui inferior erat adversario jugulum dissecandum porrigebat, et hoc se victum profitebatur. Naud.

11. *Vulcaniis armis.* Nemini latet, quod heroibus officium præstitisse fingatur Vulcanus. Hinc Augustinus adv. Acad. lib. II, cap. 1 : « arma invicta et quasi Vulcania » dicit. Ad eamdem fabulam alludit Themistius Orat. XXIII, pag. 284. Dav. — Vid. Homer. Iliad. XVIII, 478.

12. *Cretum quidem leges ... et mortem disciplina.* De constantia in perferendis doloribus per exercitationem et consuetudinem acquisita. Multum in hoc consuetudo valet (hoc docent multa exempla Spartanorum juvenum, exercituum, Eurypyli apud Homerum, venatorum, pugilum, gladiatorum); ergo ratio multo magis valebit. Naud.

13. *Quas sive Jupiter, sive Minos sanxit.* Reg. Med. Eliens. tert. Petr. Bak. et Cantab. omissis duabus vocibus, dant, « quas sive Minos sanxit »; Pal. quart. et Ulrich. « Cretum quidem leges, Minos »; quæ scriptura, licet Jano Gebhardo placeat, solœcam reddit orationem. Quod ad ipsam rem, « Minos se in antrum Jovis recondebat, et ibi diu moratus leges tamquam sibi a Jove traditas adferebat », ut verbis utar Lactantii Div. Inst. lib. I, cap. 22. Et sane Minoem per novem annos cum Jove versatum esse tradidit Antiquitas. Vide Strabonem, lib. X, pag. 730; XVI, pag. 1105, et Stobæum Serm. XLII, pag. 294. Præivit Homerus Odyss. T, 178, de quo loco vid. Plato in Minoe, pag. 46, G. Cf. Clemens Alexandrinus Strom. lib. I, pag. 423. Vide nos ad Maximi Tyrii Dissert. XXXVIII, 2. Dav.

14. *De Jovis quidem sententia, ut poetæ ferunt.* Eliens. sec. duabus vocibus interpositis, habet « sive Rhadamanthus ». Docte quidem; hanc enim famam prodidere nonnulli. Vide Strabonem, lib. X, pag. 730; Eustathium ad Odyss. T, pag. 690, et Platonem in Min. pagg. 46, 47. Hunc vero librum nimis interpolatum statuo, quam ut ei soli credere sit tutum. Dav. — Intell. ferunt Minoem a Jovis numine afflatum fuisse in Cretum legibus conscribendis.

15. *Itemque Lycurgi.* Non mirum est, Cretenses et Lacedæmonios iisdem fere institutis regi, quum Lycurgus Cretam insulam adierit, ut incolarum leges cognosceret. Vide Strabonem, lib. X, pag. 476, et Aristotelem, Polit. lib. II, cap. 10. Has tamen Resp. a se invicem in multis discrepare docet Polybius in Except. Hist. lib. VI, cap. 43. Dav.

currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Spartæ vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis[16] exeat; nonnumquam etiam, ut, quum ibi essem, audiebam, ad necem : quorum non modo nemo exclamavit umquam, sed ne ingemuit quidem. Quid ergo? Hoc pueri possunt, viri non poterunt? et mos valet, ratio non valebit?

XV. Interest aliquid inter laborem et dolorem : 35
sunt finitima omnino, sed tamen differt[1] aliquid. Labor, est functio quædam vel animi, vel corporis, gravioris operis et muneris : dolor autem, motus asper in corpore, alienus[2] a sensibus. Hæc duo Græci illi, quorum copiosior est lingua, quam nostra, uno nomine appellant[3]. Itaque industrios homines, illi

16. *Ut multus e visceribus sanguis*. MSS Gryph. Bak. Med. Eliens. tert. *multis;* erratque I. M. Brutus, qui lectionem hanc vulgata potiorem judicat. Frustra etiam est Fr. Hotomannus, dum Observ. V, 40, legit, « ut multus e vibicibus sanguis exeat », quod ex Seneca Thyest. vs. 765, ac hujusce libri cap. 8 bene notavit Jac. Gronovius. Isidorus, Orig. lib. XI, pag. 1 : « Viscera non tantum intestina dicimus, sed quidquid sub corio est, a visco quod est inter cutem et carnem ». Servius ad Æn. VI, 253: « Viscera sunt quidquid inter ossa et cutem est ». Adde quæ habet Cl. Salmasius Exerc. Plin. pag. 219, D. De more vero Laconum ad aram Dianæ Orthiæ pueros verberantium, inter alios, adiri possint Lucianus de Gymn. pagg. 296, 297; Simplicius in Epict. pag. 64, 90; Noster de Fin. V, 27; Tertullianus Apol. cap. 50, iique, quos laudant Interpretes ad Petronii cap. 15, pag. 488. Vide et nos ad lib. V Tusc. cap. 27.

XV. 1. *Sed tamen differt aliquid.* Davisius cum Wolf. Schütz. Neid. *differunt;* qua de lectione Bentleius ad Davisium : Victorius et Gebhardus ex codicibus receperunt in textum, « differt aliquid ». Tu ab *aliquid* discedis, et recte quidem : sed nihil in notis admones. Opinionem tamen tuam luculente confirmat locus ille Tuscul. III, 34 : « Ea verba non easdem res significant, sed aliquid differunt ». Et sic alibi non semel.

2. *Alienus a sensibus*, id est, a quo sensus alieni sunt, quod iis contrarius est, a quo natura sensus abhorrent.

3. *Uno nomine appellant.* Πόνον intelligit, quod addidit doctus Eliens. secundi librarius. Ceterum non satis æquus erga Græcos est hoc in loco Tullius; nam, præterquam quod apud illos ὀδύνη, ἄλγος et hujusmodi plura

studiosos, vel potius amantes doloris[4] appellant; nos commodius laboriosos: aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Græcia! Aliud, inquam, est dolere, aliud laborare. Quum varices[5] secabantur C. Mario, dolebat: quum æstu magno ducebat agmen, laborabat. Est inter hæc tamen quædam similitudo: consuetudo enim laborum perpessionem dolorum
36 efficit[6] faciliorem. Itaque illi, qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt. Quod Spartiatæ etiam in feminas transtulerunt; quæ ceteris in urbibus mollissimo cultu, parietum umbris occuluntur. Illi autem voluerunt[7] nihil horum simile esse «apud Lacænas virgines; quibus magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis,

dolorem solum denotent, non erat cur hac in parte Cicero linguam græcam magis quam suam vocaret inopem, siquidem *labor* inter Latinos etiam doloris obtinet potestatem. Plautus Curc. II, 1, 4: «Valetudo decrescit, accrescit labor». Idem Casin. act. II, sc. 3, 63: «De labore pectus tundit». Plura non desunt; ex hisce vero satis constat nostrum amore patrii sermonis actum fuisse transversum. Dav. — In prima ed. Davisius e MS Norvic. addiderat «uno n. appellant πόνον».

4. *Studiosos, vel potius amantes doloris*. Φιλοπόνους. Dav.

5. *Quum varices secabantur C. Mario*. Varices, notante Papia, sunt venæ surarum. Historiam suppeditabunt Noster infra cap. 21; Plinius H. N. lib. XI, cap. 45, et Plutarchus in Mario, pag. 408. Dav.

6. *Efficit*. Davis. e Reg. et Eliens. tert. *efficiat*.

7. *Illi autem voluerunt ... barbara*. Davisius hunc locum in versus distribuit ita: «Illi autem voluerunt: Nihil horum simile *esse* apud Lacænas virgines, Quibus magis palæstra, Eurota, sol, pulvis, labor, Militia in studio est, quam fertilitas barbara». Versus sunt, inquit, ex antiquo poeta desumpti, quibus suos numeros sic reddidit Jos. Scaliger: «Nihil horum simile apud Lacænas virgines: Queis magi' palæstra, Eurota, sol, pulvis, labos, Militia in studio est, quam fertilitas barbara». Ac *Eurota* quidem, non *Eurotas*, in MSS Reg. Pet. Bak. et Eliens. tert. diserte legitur. — Bentleius mallet *Duritia* pro *Militia*, et *futilitas* pro *fertilitas*. Buberius legit: «apud Lacænas virgines, Queis magi' palæstræ, Eurotas, sol, pulvis, labor Militiæ studio est, quam teneritas barbara». — Schütz. et Neid. vv. «nihil horum simile esse» Ciceroni, non poetæ, tribuerunt.

labor, militia in studio est, quam fertilitas[8] barbara». Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit nonnumquam; impelluntur, feriuntur, abjiciuntur, cadunt; et ipse labor quasi callum[9] quoddam obducit dolori.

XVI. Militiam vero[1] (nostram dico, non Spartia- 37
tarum, quorum procedit mora ad tibiam, nec adhi-

8. *Militia in studio est, quam fertilitas barbara. Fertilitatem* ἀντὶ τῆς πολυτεκνίας perperam capit Joach. Camerarius cui assentitur Passeratius, notans : « In Asiæ gentibus feminæ nun slin, landabili certe, qosm quærendorum liberorum studio tenentur. Vid. Serv. in Æn. II, 501 et 504 ». Cum Turnebu malim luxum seu rerum copiam intelligere. Ita Sedulius Carm. IV, 10 : « . . . sic dives opima Fertilitate tumens ». *Militia* vero, quum laboriosam quamvis exercitationem denotet, hic εἰδικῶς venationem possit denotare : osm, qood sit Noster lib. II, N. D. cap. 64, « exercemur in venandu ad similitudinem bellicæ disciplinæ ». Horatius Serm. lib. II, 2, 9 : « . . . Leporem sectatus equuve Lassus ab indomito; vel (si romana fatigat Militia adsuetum græcari) seu pila velox Molliter austerum, etc. » Et Epist. II, lib. II, 67 : « Militat in silvis Catulus ». Venationem Spartanis virginibus usitatam esse docet Virgilius Æn. I, 320, ubi vide Servium, ut et Propertium Eleg. XII, lib. III, 23. Ille quidem vs. 11, ait « Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit, Virgineumque cavo prætegit ære caput ». Ut *militia* proprio sensu capi queat. Conf. Chrysostomus de mulieribus Christianis, Hom. VIII in Matthæum, tom. II, pag. 53. ed. Eton. Ad Lacænarum imitationem bellicis rebus feminas immiscuisse videtur Plato. Vide lib. V de Rep. pag. 328; lib. VI de Leg. pag. 627, et Apuleium de Habit. Doct. Plat. pag. 625. Davis.

9. *Callum quoddam:* Petr. Eliens. sect. tert. habent *callum quemdam.* Audi vero Charisium lib. I, col. 55 : « Callum neutro genere dicitur ». Cicero Tuscul. « Ipse labor quodam callo obducit ». Lege *quoddam callum;* ad hunc enim locum respicit ille Grammaticus, et vulgatam lectionem cum pluribus MSS tuetur. Dav.

XVI. 1. *Militiam vero (nostram dico . . . hortatio) nosti exercitus primum unde nomen habeat; vides deinde qui labor, quantus agminis! Ferre*, etc. Sic post Wolfium Schütz. et Neid. Contra Davis. locum sic constitutum præbet : « Militiæ vero (nostram dico . . . hortatio) nostri exercitus primum unde nomen habeant, vides: deinde qui labor, et quantus agminis, ferre, etc. « Sic, inquit, legendum conjecit J. F. Gronovius, Observ. lib. III, cap. 6, nec emendationem, quam recepit, alios exturbare volui; probabilis enim videtur et elegans, siquidem *mora* Latinis etiam cohors est Lacedæmonis, quod patet ex Corn. Nepotis Iphicr. cap. 2. MSS dant, « militiam vero, nostram dico, non Spartiatarum, quorum procedit admodum ad tibiam ». Lambinus, præeunte viro

betur ulla sine anapæstis[2] pedibus hortatio) nosti exercitus primum unde nomen habeat; vides deinde qui labor, quantus agminis! Ferre plus dimidiati mensis[3] cibaria; ferre, si quid ad usum velint; ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim, membra militis esse dicunt. Quæ quidem ita geruntur[4] apte, ut, si usus fe-

docto, rescribit, « militia vero, nostram dico non Spartiatarum, quorum procedit agmen ad modum, ad tibiam, nec adhibetur ulla sine anapæstis pedibus hortatio, quam laboriosa est! Nosti exercitus, etc. » I. M. Brutus, ex verborum transpositione mendum esse natum censens, hunc eorum constituit ordinem: « Nostri exercitus ... agminis (militiam vero ... hortatio) ferre plus dimidiati mensis cibaria ». Sed hic durus, ille licentiosus est emendandi modus, nec Gronovianus leniorem corrigendi rationem facile reperies. Attamen vel illa nimia a codicibus abit, quam ut ita scripsisse Tullium certissima sit fides. Nos e cod. Eliens. *et* ante *quantus* addidimus. Utut autem hæc se res habeat, Lacedæmonii αὐλοῖς ἐν ταῖς μάχαις ἀντὶ σαλπίγγων ἀεὶ χρῶνται. Verba sunt Nicolai Damasceni apud Stobæum, Serm. XLII, pag. 294. Idem narrant alii bene multi, e quibus vide sis Athenæum, lib. XII, pag. 517; XIV, pag. 626, 627; A. Gellium, lib. I, cap. 11; Maximum Tyrium, Diss. XXXVII, 6; Plutarchum t. II, pag. 458, 1140; denique Lucianum de Saltat. tom. I, pag. 790. Dav. — *Procedit mora*. Buberius MS quodam innixus legit « procedit motus ad tibiam ». Alii « quorum procedit ad modum, ad tibiam », ut *modus* et *tibia* sint quasi synonyma. — *Mora*. Λόχος, cohors militum, de quorum numero non satis certo constat, quum alii quingentos, alii plures tradant. Ern. — *Exercitus* nempe nomen ducit ab *exercendo*.

2. *Sine anapæstis*. Thucyd. V, 70: Λακεδαιμόνιοι δὲ, βραδέως καὶ, ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν νόμῳ ἐγκαθεστώτων· οὐ τοῦ θείου χάριν, ἀλλ' ἵνα ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες προέλθοιεν, καὶ μὴ διασπασθείη αὐτοῖς ἡ τάξις· ὅπερ φιλεῖ τὰ μεγάλα στρατόπεδα ἐν ταῖς προσόδοις ποιεῖν. Val. Max. II, 6, ext. 7. Lacedæmoniorum exercitus non ante ad dimicandum descendere solebant, quam tibiæ concentu et anapæsti pedis modulo cohortationis calorem animo traxissent, vegeto et crebro ictus sono strenue hostem invadere moniti. Cf. Gell. N. A. I, 9. Hephæstion Alexandrinus servavit nobis primum versum carminis alicujus, alternis anapæstis et spondeis decurrentem: Ἄγετω Σπάρτας ἔνοπλοι κοῦροι ποτὶ τὰν Ἄρεως κίνασιν. Nein.

3. *Dimidiati mensis*. De loquendi modo A. Gellius N. A. lib. III, cap. 14. De militum vero romanorum fasce J. Fr. Gronovius ad Taciti de Mor. Germ. cap. 30. Dav.

4. *Ita geruntur apte, ut, si usus ferat*. Davisius: *ita gerunt*, etc. Vulgo, inquit, « Quæ quidem ita geruntur

rat, abjectis oneribus, expeditis[5] armis, ut membris, pugnare possint. Quid? exercitatio legionum? quid? ille cursus, concursus, clamor[6], quanti laboris est? Ex hoc ille animus in præliis paratus ad vulnera. Adduc pari animo inexercitatum militem : mulier videbitur. Cur tantum interest[7] inter novum, et vete- 38
rem exercitum, quantum experti sumus? Ætas tironum, plerumque melior; sed ferre laborem, contemnere vulnus, consuetudo docet. Quin etiam videmus, ex acie efferri sæpe saucios; et quidem rudem illum et inexercitatum, quamvis levi[8] ictu, ploratus turpissimos edere. At vero ille exercitatus, et vetus, ob eamque rem fortior, medicum modo requirens[9], a quo obligetur,

apte, ut, si usus foret, etc. » Sed locum recte constituit Cl. Bentleius. Certe *gerunt*, non *geruntur*, est in Eliens. pr. et alteram mutationem postulat latinitas, ut etiam Lambinus vidit. Dav. — Wolf. Schütz. Neid. Davis. sequuntur. Olivetus vulgatam retinuit, hoc notato. *Feret* Vict. Man. Grut. *foret*. Lamb. *ferat*. Istud autem *feret* in prioribus editionibus a typographis nostris proficiscitur. Qui Lambino au fuerint infeliciores, dispiciant critici. Ego juberem edi *foret*: nulla tamen alia ratione adductus, nisi quod a majori editorum parte discedere, sine causa, non placet.

5. *Expeditis armis*. Quæ nullo jam impedimento probibentur moveri.

6. *Quid? ille cursus, concursus, clamor*. Vulgo olim *concursus* aberat. Vid. Just. Lips. de militia Romana lib. IV, Dialog. 9, et lib. V, dialog. 12.

7. *Cur tantum interest*. Vulgo, « Cur? Tantum interest ». Male : quod Cl. Bentleius animadvertit : nec distinctionem Reg. et Med. agnoscunt. Dav. — Huic quæstioni « cur tantum interest, etc. » statim respondetur « hoc fieri vi consuetudinis ».

8. *Quamvis levi ictu*. Bentleius ad Davisium : fert opem et salutem tuus ille codex, qui pro *levi ictu* hic exhibet, « leviter ictum ». Verissime : nam illud vulgatum ab ambiguitate laborat, et tam ictum significare potest quo is alium ferit, quam quo ipse ab alio feritur. Firmat emendationem illud Tusc. II, 20 : « Tu quoque, Ulixe, Quamquam graviter cernimus ictum ». Sic de Inventione : « Leviter saucius ».

9. *Medicum modo requirens*. Ait Ursinus in suo MS legi *requirit*, quod melius pronuntiat. Fallitur omnino; nam σύνταξις est, « medicum modo requirens inquit, O Patrocles, etc. » Movenda igitur non est lectio quæ reliquis omnibus libris nititur. Dav. — Namque *inquit* in primo versu Ciceroni tribuendum est.

O Patrocle (inquit[10]), ad vos adveniens, auxilium et vestras manus peto,
Priusquam oppetam malam pestem, mandatam hostili manu.
Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere:
Si qua sapientia magis vestra devitari mors[11] potest.
Namque Æsclapii liberorum saucii opplent porticus;
Non potest accedi.

XVII. Certe Eurypylus[1] hic quidem est. Hominem

10. *O Patrocle, inquit*, etc. Sic Davis. versus in prima ed. constituerat, quem Bentleius ita monuit: Peccas cum eruditissimis viris, qui ad iambicos octonarios hæc redigunt, quos, ut dixi, tragœdia non recipit. Nos ad septenarios trochaicos sive tetrametros catalecticos partim ex codicibus, partim ex conjectura sic reducemus, et, ut opinor, vere: » O Patrocles, ad vos adveniens auxilium et vestras manus Peto, priusquam oppeto malam pestem datam hostili manu. Seu sanguis ullo poti' pacto profluens consistere; Seu sapientia magi' vestra devitari mors potest. Nam Æsculapi liberorum saucii opplent porticus: Non potest accedi ». *Patrocles* legendum auctoritate codicum, a græco Πατροκλῆς: deinde *pestem datam* potius quam *mandatam*; quum ex lege versus, tum ex consuetudine loquendi; ut « dare malum, dare perniciem ». Lucret. V, 1351: » Quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire ». Postea pro *Neque sanguis*, et *potis est*, et *siqua sapientia*, codex tuus præstantissimus *seu sapientia* et *nec sanguis*; unde facile fuit restituere ut vides: nam Victorius et codex tuus *nam Æsculapi*, non ut vulgo *namque*. — In secunda ed. non omnino Davisius Bentleium audivit: nam servavit » mandatam... Neque sanguis ullo potis est... » scripsit « Si qui sapientia » e codd. Reg. et Vatic. probante Gronovio, et « Non potest accedi certe », hac voce ultima ab initio seq. capitis desumpta. Wolf. et Schütz. Bentleium fere sequuntur, nisi quod habent » oppetam ... ullo potis est » et » Seu qua sapientia ». Neid. a Bentleio non recessit. — *Priusquam oppeto malam pestem*. Mortem subeo. Sic Plautus Captiv. act. III, sc. III, vs. 11: » Occidam oppetamque pestem, heri vicem meamque ». Nonius Marcellus, cap. 4, pag. 688: « Oppetere, incidere ». Plautus Asin. « Atque illa viva vivus ut pestem oppetas ». Locus exstat act. I, sc. 1, 7. Hinc » oppetere pœnas « dixit Phædrus lib. III, Fab. 16, 2 et » mortem aut præmia laudis » Catullus in Epith. Pelei, vs. 102. Dav.

11. *Devitari mors*. Præterea Davis. transp. *mors devitari* e Reg. Eliens. tert. Med. aliisque codd.

XVII. 1. *Certe Eurypylus hic quidem est. Hominem inexercitatum! ubi tantum luctus continuatur?* Sic edidit Gebhardus; sed nec ipse sibi nec mihi satisfecit. D. Lambinus ex ingenio reponit: « hominem exercitatum! Quis tot verba tanto in luctu continuat? » Hunc sequuntur Fr. Fabricius aliique; verum repugnant codices, quorum varias lectiones videamus. Pall. tres, Vatic. Ulrich. Petrens. ac Norvic. repræsentant » hominem exercitum ». Pal. tert. Ven. 1491, Froben, Manut.

exercitatum! Ubi tantum luctus continuatur? Vide, 39
quam non flebiliter respondeat; rationem etiam afferat, cur æquo animo sibi ferendum sit :

Qui alteri exitium parat,
Eum scire oportet sibi paratam pestem [2], ut participet parem.

Abducet Patrocles [3], credo, ut collocet in cubili, ut vulnus obliget, si quidem homo esset [4]. Sed nihil vidi minus. Quærit enim, quid actum sit.

Eloquere : res Argivum prælio ut se sustinet?
— Non potis [5] ecfari tantum dictis, quantum factis suppetit

aliique veteres impressi « ubi tantum luctus continuatus ». Petrens. « ubi tantum luctum continuatus »; nec aliter Ulrich. nisi quod ille *continuamus*. Pal. prim. « ubi tantum luctum continuam » ; quart. quint. Norvic. *continuat.* — Hæc Davis. in prima ed. qui in posteriori, ut diximus, v. *certe* superiori versu addidit; in ceteris vulgata servata, nullaque nota admota. Bentleius vv. « Certe Eurypylus hic quidem est ; hominem exercitum » poetæ tribuit, atque a Patrocle dicta putat, eumque Schütz. et Neid. sequuti sunt. Buherius totum locum conturbat, transpositis ex arbitrio sententiis. Nos optime locum sese habere putamus, modo scribatur *contineatur*, et nota interrogationis huic voci addicta sustollatur. Sic enim probus sensus apparet : Cicero exclamat : En vere audio Eurypylum loquentem! En virum fortem exercitatum ferendo dolore! ubi tantum luctus contineatur, id est, ubi tanto luctui locus est, vide quam non flebiliter loquatur. Sicilicet *respondeat* causa fuit cur Patroclem loqui fecerint VV. DD. sed forsan in fabula est Patrocli oratio quam, ut minime necessariam, auctor non citavit.

2. *Scire oportet sibi paratam pestem, ut participet parem.* Bentleius corrigit « scire opus est sibi paratum, pestem ut participet parem ». Et ita Davisius edidit, nisi quod retinuit *oportet*. Neid. scripsit : « qui alteri exitium parat, sibi Eum scire oportet paratum, pestem ut participet parem ».

3. *Abducet Patrocles.* Vulgo *Patroclus*, ex conjectura Turnebi, Advers. lib. IV, cap. 18. Nihil autem opus est a MSS recedere, quum Græcis tam Πατροκλῆς quam Πάτροκλος dicatur. Vide Scholiasten ad Iliad. Λ, 337. Davis.

4. *Si quidem homo esset.* Si quidem aliquid in eo humanitatis esset, ut dolenti opem ferret. Neid.

5. *Non potis ecfari.* Vulgo, *non potest effari* : quod Cl. Bentleius ob versum mutavit. Davis. — Ceterum Bentleius locum sic constitui vult : Patr. Eloquere, res Argivorum prælio ut se sustinet? Eury. Non potest affari dictis, quantum factis suppetit. Patr. Laboris : quiesce igitur, at vulnus alliga : tace ». Sed ne hanc conjecturam infelicitatis arguamus, nimium licentiæ sibi indulgere videtur Bentleius tum hoc loco, tum in ceteris.

Laboris. — Quiesce igitur tu [6], et vulnus alliga [7].

Etiam si Eurypylus posset, non posset Æsopus [8].

Ubi fortuna Hectoris
Nostram acrem aciem inclinatam.....

et cetera explicat in dolore: sic est enim intemperans militaris in forti viro gloria. Ergo hæc veteranus miles facere poterit: doctus vir, sapiensque non poterit? Ille vero [9] melius, ac non paullo quidem. Sed de consuetudine adhuc exercitationis [10] loquor: nondum de ratione et sapientia. Aniculæ sæpe inediam biduum, aut triduum ferunt. Subduc cibum [11] unum diem

6. *Quiesce igitur tu.* Davisius *tu* omittit.

7. *Vulnus alliga.* Lambinus ex veteri libro reposuit *vulnus obliga*, nec aliter habet Med. Deserenda tamen non est optimorum codicum lectio. Livius, VII, 24: « Consul, vulnere adligato, revectus ad prima signa ». Ibi plura locutionis hujus exempla congessit J. Fr. Gronovius. Addi possint et hæc Bedæ, H. E. IV, 22: « Residens, sua vulnera, prout potuit, ipse adligavit ». Pari modo « dissolutam hemicranii juncturam componere atque adligare » dixit idem, V, 9. Davis.

8. *Etiam si Eurypylus posset, non posset Æsopus.* Pal. tert. « etiamsi Eurypylus non posset, posset Æsopus », et ita quidem rescripsit Hadr. Turneb. Advers. IV, 18. Incommoda quidem: nec ceterorum librorum fides videtur in dubium revocanda, nam hæc de veterano milite dici, non de histrione, qualis erat Æsopus, ex sequentibus patet. Davis. — Hæc Schützius collocari vellet post « non potis... laboris », vel legi: « Etiamsi Æsopus posset (quiescere), n. p. Eurypylus ». — *Æsopus.* Cicero fortasse dicere vult: Æsopus, histrio ille, qui Eurypyli personam agebat, hoc non potuisset, etiamsi Eurypylus posset. Nein.

9. *Ille vero.* Philosophus melius et quidem multo melius facere hoc poterit. Neio.

10. *Sed de consuetudine adhuc exercitationis.* Davisius quum hanc lect. non probaret, ut Tullio inusitatam, reposuit: « sed adhuc de consuetudine et exercitatione ». Nos, inquit, Eliens. primum sequimur, ut Ciceroniano mori geramus morem. Sic. lib. I de Offic. cap. 18: « Ut nec medici nec imperatores ... quidquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt; sic ... rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat ». Sic « de exercitatione et consuetudine » dixit infra cap. 17. Dav.

11. *Subduc cibum ... non posse clamabit.* Hoc ait, quod athletis non modo cibi genus atque copia, verum etiam horæ quibus victum sumerent, erant præscriptæ, unde factum ut a Græcis ἀναγκοφαγία diceretur. Ratio-

athletæ : Jovem Olympium[12], eum ipsum, cui se exercebit, implorabit; ferre non posse clamabit. Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores in nive; in montibus uri se patiuntur. Inde[13] pugiles cæstibus contusi, ne ingemiscunt quidem.

Sed quid hos, quibus Olympiorum victoria[14], con- 41
sulatus ille antiquus videtur? gladiatores, aut perditi

nem nominis ab eo quidem petit Hier. Mercurialis Art. Gymn. lib. I, cap. 15, quod plus, quam ferre possent, edere cogerentur. Eadem mens est H. Hammundi ad 1 Cor. IX, 25. Sed falluntur. Vide Pet. Fabrum Agon. lib. III, 3, et Josch. Kuhnium ad Æliani lib. XI, cap. 3. Alioqui vero celebris est athletarum voracitas, « quorum vita et ars sagina est », ut loquitur Hieronymus adv. Jovin. lib. II, pag. 366. Omnino vide Athenæum lib. X, pagg. 413, seqq. Dav.

12. *Jovem Olympium.* Davis. e MS Gryph. « Jovem, Jovem Olympium », quod certe non est Ciceronis. — *Jovem Olympium.* Quia ludi Olympiei in Jovis honorem haberentur. Nsu.

13. *Pernoctant venatores in nive; in montibus uri se patiuntur. Inde pugiles.* Oratio minus recte procedit : nam *uri* de iis, qui frigus tolerant, dici simpliciter haud potest. Igitur J. F. Gronovius, Observ. lib II, cap. 2, trajectionem suspicatus legit, « pernoctant venatores in montibus, in nive uri se patiuntur ». Ant. autem Augustino et Fulv. Ursino placent *nudi*, non *inde, pugiles.* Nec hi nec ille quidem absurde. Videamus tamen an a nobis felicior adhiberi possit medicina. Lego, « pernoctant venatores in nive; nive in montibus uri se patiuntur Indi : pugiles cæstibus, etc. » *Urere* quidem « nive, gelu, frigoribus » passim Latini. Ovidius Fast. I, 680 : « Nec nova per gelidas usta sit herba nives ». Et IV, 918 : « Nec sic marmoreo pallet adusta gelu ». Vide sis et Metam. XIV, 763 ; Trist. lib. III, El. IV, 48, et lib. V, El. II, 66 Claudianus Laud. Serenæ, vs. 6 : « Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit Æstibus ». Ne vero nimis huc poeticum censeamus, prohibent auctores. Minutius Felix Oct. cap. 17 : « Ne hiems sola glacie ureret ». Justinus lib. II, cap. 2, 9 : « Quamquam continuis frigoribus urantur ». Ambrosius Offic. lib. I, cap. 14, n. 55 : « Radices arborum urantur frigore ». Sed de phrasi satis; quod vero nivis montanæ vim summa patientia tolerent Indi, constat : nam « apud eos sunt, qui omne vitæ tempus nudi exigant, Caucasi montis glaciali rigore corpora sua durantes ». Verba sunt Valerii Maximi, lib. III, cap. 3, 6 ext. Vide et Nostrum lib. V, cap. 27. Dav. — Non videmus cur *uri* de solis ardore capi nequeat, ut sit oppositio inter frigus et calorem: montes opponuntur vallibus, in quibus umbra.

14. *Quibus Olympiorum victoria, consulatus ille antiquus videtur?* MSS Colon. et Cantab. habent, « quibus Olympiorum victoria nihil antiquius videtur ». Sane licet ea lectio scholiastæ debeatur, Tullii mentem non inepte declarat ; nam « magnis in lau-

homines, aut barbari, quas plagas perferunt? quo modo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare? quam sæpe apparet nihil eos malle, quam vel domino [15] satisfacere, vel populo? Mittunt etiam vulneribus confecti [16] ad dominos, qui quærant, quid velint: si satis his factum sit [17], se velle decumbere. Quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutavit umquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis quum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit? Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet. Ergo hoc poterit

Samnis [18], spurcus homo, vita illa dignu' locoque:

vir natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione et ratione corroboret? Crudele gladiatorum spectaculum, et inhumanum nonnullis videri solet: et haud scio [19] an ita sit,

dibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari »; ut ait Corn. Nepos Præf. § 5. Cicero pro Flacco, cap. 13: « Atlnas pugil, Olympionices? Hoc est apud Græcos (quoniam de eorum gravitate dicimus) prope majus et gloriosius, quam Romæ triumphasse ». Vide nos ad lib. I, cap. 46, et Petr. Fabrum Agon. II, 16. Dav. — *Consulatus ille antiquus.* Summus honor, qui idem erat, ac nobis consulatus. Nein.

15. *Domino.* Dominus est is, qui alebat gladiatores, quos populo spectandos daret. Agonothetam talem dicere solebant. Nein.

16. *Confecti.* In prima ed. Davis. e MS Norvic. dederat *defecti.*

17. *Si satis his factum sit.* Hadr. Turnebi codex, « si satis his factum non sit », negantemque particulam repræsentant Pall. sec. tert. Cum iis facit vir doctissimus Advers. IV, 18, et eodem sensu D. Lambinus rescribendum conjicit « ni satisfactum sit ». At omnino sana est lectio jam recepta, nam vult Tullius miseros illos homines non ante jugulum præbere, quam a dominis operæ gnaviter editæ reportent testimonium. Hunc sensum recte vidit J. F. Gronovius Observ. II, 2, qui tamen primam vocem, quam retinent MSS, male repudiavit. Davis. — Oliv. Wolf. Schütz. Neid. *non sit* dederunt, J. V. L. non assentiente.

18. *Samnis, spurcus homo.* Lucilii versus est e libro Satirarum quarto. Vide Nonium in *comparare* et *spurcum*; nam lapsus est Victorinus qui de rat. Metr. col. 1963, ejus auctorem facit Ennium. Dav.

19. *Haud scio an ita sit.* Plerique

ut nunc fit. Quum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multæ[20], oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina.

XVIII. De exercitatione[1], et consuetudine, et com- 42
mentatione[2] dixi. Agesis[3], nunc de ratione videamus: nisi quid vis ad hæc. — Aud. Egone ut te interpellem? Ne hoc quidem vellem : ita me ad credendum tua ducit oratio. — Cic. Sitne igitur malum[4] dolere, necne, stoici viderint, qui contortulis quibusdam ac

codices habent, « et adhuc scio an ita sit »; at ipse sensus postulat, ut vel recepta lectio servetur; vel rescribatur, « et adhuc nescio an ita sit », quemadmodum dant Pal. quart. Med. Balliol. et Eliens. sec. Prius tamen malo. Utcumque sit, Noster gladiatorii spectaculi crudelitatem merito damnat, quod tamen apertius et vehementius facit Seneca Epp. VII, 95. Vide et Philostratum vit. Apoll. lib. IV, cap. 22, ac Lactantium Div. Inst. lib. VI, cap. 20. Licet autem hominum jugulationem cum plausu risuque contemplati sint Romani, quod monet Nicolaus Damascenus apud Athenæum, lib. IV, pag. 153, Græci tamen Judæique Romanis nihilo meliores a muneribus hisce primum conspectis abhorruerunt. Vide doctissimum virum Joan. Clericum Art. Crit. part. II, sect. 1, cap. 6, 7. Hinc constat quanta sit consuetudinis vis et potestas. Dav. — Nobis locutio « haud scio an » pro levi affirmatione habenda videtur, quem sensum quasi per litoten usurpat.

20. *Auribus fortasse multæ*. Scilicet, esse poterant contra dolorem et mortem disciplinæ fortiores. — Putat philosophorum commentationes contra dolorem ac mortem in scholis traditas. Neid.

XVIII. 1. *De exercitatione, et consuetudine*, etc. Nunc agit Cicero de constantia in perferendis doloribus per rationem acquisita. Neid.

2. *Commentatione*. Buherius conjecit *commendatione*. Sed frustra. J. V. L.

3. *Agesis*. Ita olim correxit Faernus. Ant. autem Augustinus ex corrupto verbo *agapetis*, quod est in libris MSS, fecit *atagesis*. Ursinus.

4. *Sitne igitur malum dolere*. Schütz. et Neid. post Wolfium « sit n. i. m. dolor. » — *Sitne igitur*. Munit jam Cicero sibi viam ad disputationem, qua docere vult, quænam sint argumenta rationis ad facilius ferendum dolorem. Quod ut eo facilius posset, prius de hoc statuendum erat, anne omnino dolor ab homine tolerari possit? Potest autem homo dolorem tolerare: nam fortitudo, unum honesti elementorum, in perferendo dolore continetur. Jam autem fortitudo tamquam officium a quovis homine honesto exspectatur; sequitur ergo hominem fortem esse, i. e. dolorem tolerare posse. Nomen adeo *virtutis* a *viro* derivatum satis ostendit doloris contemptionem κατ' ἐξοχὴν notioni virtutis inesse, neque quemquam virtuti deditum dici posse, nisi ferre dolorem sciat. Neid.

minutis conclusiunculis, nec ad sensus permanantibus[5], effici volunt, non esse malum[6], dolorem. Ego illud, quidquid sit, tantum esse, quantum videatur, non puto; falsaque ejus visione et specie[7] moveri homines dico vehementius, doloremque [ejus][8] omnem esse tolerabilem. Unde igitur ordiar? An eadem breviter attingam, quæ modo dixi, quo facilius oratio
43 progredi possit longius? Inter omnes igitur hoc constat, nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortium, et magnanimorum, et patientium, et humana vincentium, toleranter dolorem pati. Nec vero quisquam fuit, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. Quod ergo et postulatur a fortibus, et laudatur, quum fit, id aut extimescere veniens, et non ferre præsens, nonne turpe est? Atqui vide, ne, quum omnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen

5. *Nec ad sensus permanantibus.* Quia Stoici non rationem habent sensuum, qui satis docent, dolorem omnino esse malum. Vid. ad § 30. Nein.

6. *Non esse malum, dolorem.* Davisius delevit *dolorem*. Hanc, inquit, vocem merito delevit Cl. Bentleius, quum necessaria non sit, et sequentium verborum latinitatem vitiet. Davis.

7. *Falsaque ejus visione et specie.* Illud, quidquid est mali, tantum esse, quantum videatur, non puto; fingunt in eo sibi monstrum homines, cujus « falsa visione et specie moveri eos dico vehementius », quam deceat. Dolorem ideo formidant, quod, ejus, quæ natura sit, non recte intelligunt. Anonymus

8. *Doloremque [ejus] omnem.* Absurda est hæc lectio; quapropter Manutius et Lambinus reponunt, « doloremque eis omnem ». Sed vel hac emendatione recepta, vox media videri possit otiosa, quam propterea nescit Med. Eliens. tert. et Petrens. dant, « doloremque ejus modo omnem ». Probabili conjectura lego, « doloremque, velis modo, omnem esse tolerabilem ». Si tamen aliorum librorum ductus sequendus videatur, ejecto *modo*, rescribatur, « doloremque, velis, omnem esse tolerabilem ». Utrumque quidem latine, quamvis oratio priore methodo fiat numerosior. Horatius, lib. I, Serm. IX, 54: « ... velis tantummodo, quæ tua virtus, Expugnabis ». Seneca Cons. ad Marciam, cap. 16: « Par ad honesta, libeat, facultas est ». Hujusmodi plura legentibus occurrent et nonnulla congessit Priscianus, lib. XVIII, col. 1145. De re ipsa vid. cap. 21. Dav. — Bentleius conj. « doloremque rebus

omnium; sed ab ea, quæ una ceteris excellebat[9], omnes nominatæ sint. Appellata est enim ex viro virtus[10] : viri autem propria maxime est fortitudo. Cujus munera duo sunt maxima, mortis, dolorisque contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel potius si viri volumus esse, quoniam a viris virtus nomen est mutuata[11].

XIX. Quæres fortasse[1], quo modo : et recte[2]. Talem enim medicinam philosophia profitetur. Venit 44
Epicurus[3], homo minime malus, vel potius vir optimus, tantum monet, quantum intelligit : « Neglige, inquit, dolorem ». Quis hoc dicit? Idem, qui dolorem summum malum. Vix satis constanter[4]. Audiamus. « Si summus dolor est[5], inquit, necesse est brevem

omnem esse toler. » sc. *rebus* posito pro *re ipsa*, oppositisque vv. « falsa visione et specie ». Buherius legi volebat « coloremque ejus », qui observat : Sumitur enim *color* metaphorice. Virgilius, Georg. II, 178; Hor. II, sat. 1, 60; Epist. XVIII, 3. — Schützius vocem omnino delevit, quod tutius nobis videtur, quam in incertas conjecturas abire.

9. *Excellebat.* Alii *excellat*, quod verum esse Camerarius putabat.

10. *Appellata est enim ex viro virtus.* Non aliter Lactantius de Opif. Dei, cap. 12 : « Vir itaque nominatus est, quod major in eo vis est, quam in femina, et hinc virtus nomen accepit » ; quem locum fere descripsit Isidorus Orig. lib. XI, cap. 2. Veriverbii ratio est, quod *virtus*, ut Græcis ἀρετὴ, proprie *fortitudinem* denotabat. Dav.

11. *Quoniam a viris virtus nomen est mutuata.* Hæc ab aliquo σχολιαστικῶς addita merito censet Ursinus, quum in nonnullis libris vett. eo tests non compareant. Ea tamen retinent omnes nostri. Dav. — Wolf. Schütz. Neid. has voces expunxerunt.

XIX. 1. *Quæres fortasse ... stranguria sua præbeat.* Quæritur : quo modo ratio efficit, ut dolor tolerabilis fiat ? Epicurus nihil profert, quod satisfacere quæstioni possit. Dicit enim : Neglige dolorem! Nam dolor summus brevis est, et si est diuturnus non est summus. Neid.

2. *Et recte.* In prima ed. Davis. dederat *et recte quidem* e MS Norvic.

3. *Venit Epicurus ... intelligit.* Laudat Charisius Inst. Gramm. lib. II, col. 185. Dav.

4. *Vix satis constanter.* Hoc scilicet non est constare secum, dicere dolorem summum esse malorum, et tamen eum negligendum esse.

5. *Si summus dolor est ... necesse est brevem esse.* De hoc Epicuri dicto Veterum loca diligenter collegit Th. Gatakerus ad Antonini VII, 33. Quem legere operæ pretium est, Dav.

esse ». Iteradum eadem ista mihi[6]. Non enim satis intelligo, quid summum dicas esse, quid breve. « Summum, quo nihil sit superius; breve, quo nihil brevius. Contemno magnitudinem doloris, a qua me brevitas temporis vindicabit ante pæne, quam venerit. » Sed, si est tantus dolor, quantus Philoctetæ? « Bene plane[7] magnus mihi quidem videtur, sed tamen non summus : nihil enim dolet, nisi pes; possunt oculi[8]; potest caput, latera, pulmones; possunt omnia. Longe igitur abest a summo dolore. Ergo, inquit, dolor diuturnus habet lætitiæ plus, quam molestiæ[9] ».

45 Nunc ego non possum, tantum hominem nihil sapere, dicere : sed nos ab eo derideri puto. Ego summum dolorem (summum autem dico, etiam si decem atomis[10] est major alius) non continuo dico esse bre-

6. *Iteradum eadem ista mihi*. Pars est versiculi ex antiquo poeta deprompti, quem integrum sic profert Noster Acad. Quæst. lib. IV, cap. 27 : « Age adsta : mane : audi: iteradum eademmet ista mihi ». Hoc in loco codd. nonnihil variant. Ven. « itera eadem mihi ista ». Norvic. et Petrens. « iteranda eadem ». Froben. Paris. 1562, Stephan. « iterandum eadem », quam quidem lectionem ambabus ulnis amplectimur. — Hæc Davis. in prima ed. in secunda *iterandum* in textum intulit, his additis : Nos Reg. Med. Bak. et editionem Victorianam sequimur; elegans enim est hellenismus, veteribus poetis aliisque bonæ notæ scriptoribus non infrequens. Lucretius, I, 112 : « Æternas quoniam pœnas in morte timendum ». Et vs. 139 : « Multa novis verbis præsertim quum sit agendum ». Iterum vs. 382 : « Aut igitur motu privandum est corpora quæque ». Ac alibi passim. Vide Casp. Scioppium Veris. lib. III, cap. 3, et J. F. Gronovium, Observ. lib. I, cap. 7. Ex Ennii Iliona desumpta verba sunt, ad eaque plus vice simplici respicit Cicero. Vide lib. XIV ad Attic. Ep. 14, et Acad. lib. II, cap. 27. Ceteri Davisium non sequuntur. — *Iteradum*. *Dum* redundat, uti particula græca πω præcedente imperativo. Ceterum hæc verba sunt cujusdam in fabula scenica aliqua. Nauo.

7. *Bene plane magnus*. Ernest. edidit : « bene sane. Magnus ».

8. *Possunt oculi*. Posse hic idem est ac valere. Nauo.

9. *Dolor diuturnus habet lætitiæ plus, quam molestiæ*. Sic mentem suam effert Epicurus : Αἱ πολυχρόνιοι τῶν ἀῤῥωστιῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκὶ, ἤπερ τὸ ἀλγοῦν. Vide Diogenem Laertium, X, 140. Davis.

10. *Decem atomis*. Hæc ironice in Epicurum dicuntur.

vem; multosque possum bonos viros nominare, qui complures annos doloribus podagræ crucientur maximis. Sed homo catus[11] numquam terminat nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum, ut sciam, quid summum dicat in dolore, quid breve in tempore. Omittamus hunc igitur, nihil prorsus dicentem; cogamusque confiteri, non esse ab eo doloris remedia quærenda, qui dolorem malorum omnium maximum dixerit: quamvis idem forticulum[12] se in torminibus[13], et in stranguria[14] sua præbeat. Aliunde igitur est quærenda medicina, et maxime quidem, si[15], quid maxime consentaneum sit, quærimus, ab iis[16], qui-

11. *Homo catus.* Quum Davis. in prima ed. dedisset *cautus*, et notavisset: « In Nonio Marcello, cap. 2, legitur *homo catus;* at in recentiore scriptura tuenda conspirant libri manu exarati, et huc optime quadrat vulgaris *cauti* potestas: præterquam quod ea vox *acutum* etiam denotat; unde Cautius Romanorum Deus. Adi sis Augustinum Civ. Dei lib. IX, cap. 21 »: postea sententiam mutavit, Bentleio suadente; a quo recte monitus est in v. *cautus* minime significationem *acuti* contineri.

12. *Quamvis idem forticulum se in torminibus, et in stranguria sua præbeat.* Laudat Nonius in *tormines.* Epicurus in Epist ad Hermachum, lib. II de Fin. cap. 30: « Quum ageremus vitæ beatum et eumdem supremum diem, scribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant vesicæ et viscerum (inepte Pal. pr. et Victorius habent *torminum*, licet hanc Tullii manum esse vociferetur Jac. Gronovius) ut nihil ad eorum magnitudinem possit (leg. *posset*) accedere ». Hæc tamquam ex literis ad Idomeneum datis græce sic refert Laertius, X, 22: Τὴν μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα ΤΕΛΕΥΤΩΝΤΕΣ ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί· στραγγουρία τε παρηκολούθει καὶ δυσεντερικὰ πάθη ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους. Ex Ciceronis versione rescribendum τὴν μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα ΤΕΛΕΥΤΑΙΑΝ ἡμέραν τοῦ βίου, quod vel res ipsa satis doceat. Emendationem tamen nostram firmabit, si opus est, Arrianus, Epict. lib. II, cap. 23, pag. 292: Νῦν δὲ τί ἐστιν, Ἐπίκουρε ... τὸ γράφον, ὅτε ἀπέθνησκεν, ὅτι τὴν ΤΕΛΕΥΤΑΙΑΝ ἄγοιθ' ἅμα καὶ μακαρίαν ἡμέραν. Epicuri fortitudinem in perferendis vesicæ et viscerum morbis prædicat etiam Seneca Epp. 66, 92. Dav. — *Forticulum.* Paullo fortem.

13. *Torminibus.* Doloribus in ventre. Cf. de Fin. B. et M. II, 30, et Diog. Laert. X, 22. Rath.

14. *Stranguria.* Urinæ reddendæ difficultas. Nard.

15. *Si, quid ... quærimus.* Hæc quasi per parenthesim dicuntur; et *ab iis*, quod sequitur, pendet a præced. « medicina quærenda est ».

16. *Ab iis.* Fortasse vero Stoici,

bus, quod honestum sit, summum bonum; quod turpe, summum videtur malum.

XX. His tu præsentibus gemere, et te jactare[1] non audebis profecto. Loquetur enim eorum voce virtus
46 ipsa tecum: «Tune, quum pueros Lacedæmone, adolescentes Olympiæ, barbaros[2] in arena videris excipientes gravissimas plagas, et ferentes silentio, si te forte dolor aliquis pervellerit[3], exclamabis, ut mulier? non constanter[4], et sedate feres? Fieri[5] non potest: natura non patitur. Audio. Pueri ferunt; gloria ducti ferunt; pudore alii[6]; multi metu: et tamen veremur, ut hoc, quod a tam multis, et quod tot locis perferatur, natura patiatur[7]? Illa vero non modo patitur, verum etiam postulat. Nihil enim habet præstantius, nihil, quod magis expetat, quam honestum[8],

quibus, quod honestum est, summum bonum, quod turpe, summum videtur malum, melius rem expediunt. NEIO.

XX. 1. *Jactare*. Commovere te. EAN.

2. *Barbaros*. Gladiatores. NAIN.

3. *Pervellerit*. *Perculerit* habet MS liber. URSINUS.

4. *Non const*. Davisius *nec const*. Sequor, inquit, MS Cantab. cum quo facit Charisius lib. II, col. 195.

5. *Fieri non potest*. Ern. cum aliis *ferri non p.* Alterius lectionis sensus idem est: tu me jubes ferre: sed fieri non potest, ut feram.

6. *Pueri ferunt; gloria ducti ferunt; pudore alii*. Vulgo, « pueri ferunt gloria ducti, ferunt pudore alii ». Sed pravam illam interpunctionem mutandam fuisse Cl. Bentleius recte vidit. DAVIS. — Schütz. Davisium non secutus est.

7. *Veremur, ut hoc ... patiatur*. Vulgg. « veremur ut hoc natura non patiatur », et ante Gebhardum sic exhibebant Ven. 1491. Froben, Paris. 1562, ac Lamb. Verum MSS Norvic. Cantab. Petrens. a prima manu, editique Mannt. Victor. Steph. particulam negantem, nec immerito quidem, prorsus omittunt. Haud tamen alteram loquendi rationem latinam esse negaverim, id quod fecit V. C. Jac. Perizonius. Tibullus Paneg. ad Messalam, lib. IV, Carm. 1: « ... quamquam me cognita virtus Terret, ut infirmæ nequeant subsistere vires ». Similem φράσιν in Quintiliano, lib. VIII, cap. 3, et in Cæsare, lib. IV B. G. cap. 47, præter unum Ciacconianum servant omnes MSS. Vide Fr. Sanctii Min. lib. IV, cap. 15. — Hæc Davis. in prima ed. qui postea sententiam mutavit; particulamque negantem nullo modo ferri posse ob latini sermonis rationem in posteriori ed. affirmavit.

8. *Honestum*. Davis. *honestatem*.

quam laudem, quam dignitatem, quam decus. Hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo; sed utor[9], ut quam maxime significem, pluribus. Volo autem dicere[10], illud homini longe optimum esse, quod ipsum sit optandum per se, a virtute profectum, vel in ipsa virtute situm, sua sponte laudabile: quod quidem citius dixerim solum[11], quam non summum bonum. Atque, ut hæc[12] de honesto, sic de turpi contraria: nihil tam tetrum, nihil tam aspernandum, nihil homine indignius.

Quod si tibi persuasum est[13] (principio enim di- 47
xisti, plus in dedecore mali tibi videri, quam in do-
lore), reliquum est, ut tute tibi imperes[14]. Quam-
quam hoc[15] nescio, quo modo dicatur, quasi duo
simus, ut alter imperet, alter pareat: non inscite
tamen dicitur.

Miror, inquit, unde factum, ut Janus Gebhardus hic *honestum* ediderit, quum *honestatem* repræsentent omnes nostri MSS, omnesque, quos quidem inspexerim, veteres impressi; et cum iis facit Sosipater Charisius Inst. Grammat. lib. II, col. 198.

9. *Sed utor.* Vulgo *utar*, quod ipsa res male se habere confirmat, licet ab eo stent Victorius et omnes fere MSS. In lectione, quam dedi, repræsentanda, Manutius, Lambinus, et I. M. Brutus præivere. Dav.

10. *Volo autem dicere ... laudabile.* Hunc locum profert Charisius lib. II, col. 123. Dav.

11. *Citius dixerim solum.* Si non possem dicere hoc esse summum bonum, tum dicerem hoc esse solum bonum.

12. *Ut hæc de honesto*, vera sunt, scilicet, honestum esse summum bonum.

13. *Quod si tibi persuasum est ... languidum non virile.* Quod si tibi persuasum est, hominem tolerare posse dolorem, virtutemque esse summum bonum, vitiumque summum malum, prima ad ferendum dolorem regula recte præcipitur hæc: « tibimet ipsi imperes », et quidem hoc imperium sit vel lenius, vel severius pro naturæ indole, vel ut domini in servos, vel ut imperatoris in milites, vel ut patris in filios. Natn.

14. *Ut tute tibi imperes.* Et certe tibi imperabis, ut dolorem feras: nam males vitare turpitudinem, quæ ex ignavia oritur, quam succumbere dolori; quia turpitudinem pejorem esse dolore cognovisti.

15. *Hoc nescio, quo modo dic.* Hoc, scil. « ut tute tibi imperes », nescio quomodo dici possit; quia homo dividi non posse videtur in servum et dominum.

XXI. Est enim animus in partes tributus[1] duas: quarum altera rationis est particeps, altera expers. Quum igitur præcipitur, ut nobismet ipsi[2] imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coerceat[3] temeritatem. Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodam modo, et languidum [senile]. Si nihil aliud; nihil esset[4] homine deformius. Sed præsto est domina omnium et regina ratio, quæ connixa per se, et progressa longius, fit perfecta virtus. Hæc ut imperet illi parti animi, quæ
48 obedire debet, id videndum est viro. Quonam modo? inquies. Vel ut dominus[5] servo, vel ut imperator militi, vel ut parens filio. Si turpissime se illa pars animi geret, quam dixi esse mollem, si se lamentis muliebriter lacrymisque dedet[6], vinciatur et constringatur

XXI. 1. *Est enim animus in partes tributus duas.* Ostendimus ad lib. I, cap. 10, animam a Platonicis in tres partes fuisse divisam; iidem tamen philosophi duas aliquando solas adsignant. Tertullianus de Anim. cap. 14: « Dividetur (anima) in partes, nunc in duas a Platone, etc. » Et cap. 16: « Plato bifariam partitur animam, per rationale et irrationale ». Cf. Maximus Tyrius, Diss. XXVI, 4; XXXIII, 5. Vide Platonem, lib. IV de Rep. pag. 302, et Heraclidem Ponticum Alleg. Homer. pagg. 431, 432. Dav.

2. *Nobismet ipsi.* Alii « nobismet ipsis ». Videtur respexisse ad Homericum illud de Ulysse: τέτλαθι δὴ κραδίη. Urstn.

3. *Ratio coerceat temeritatem.* Τὸ ἄλογον, id quod rationis est expers, quodque nos sensualitatem dicimus. Neid.

4. [*Senile*]. *Si nihil aliud; nihil esset.* Davisius, deleto v. *senile*, scribit: « Si nil esset aliud, nihil esset homine deformius », notatque: Gebhardus Victorium sequutus edidit, « senile. Si nihil aliud, nihil esse homine deformius ». At Cantab. habet, « languidum. Et si nihil aliud, nihil esset homine deformius ». Non male quidem. Plures vero codices exhibent, « senile. Sed aliud, nihil esset homine deformius »: unde facile nascitur ea, quam amplexi sumus, lectio; nam *senile sed* prono librariorum lapsu ἀντὶ τοῦ « si nil esset » scribebatur, ut animadvertit I. M. Brutus. Præivere Manutius, Lambinus, alii. — Wolf. Schütz. Neid. Davisium sequuntur: habet unus e regiis « Sed si nihil aliud », quod Laliem. vulgato præferendum putat, J. V. L. refragante.

5. *Vel ut dominus.* Vulgo *velut*, hic et postea. Sed in Balliol. ea vox divisim scripta legitur, ut fieri debere Cl. Bentleius vidit. Dav.

6. *Si se lamentis muliebriter lacrymisque dedet.* Hic locus apud Chari-

amicorum propinquorumque custodiis. Sæpe enim vidimus[7], fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. Ergo hos quidem, ut famulos, vinclis prope ac custodia[8] coerceamus. Qui autem erunt firmiores, nec tamen robustissimi, hos admonitu oportebit, ut bonos milites, revocatos, dignitatem tueri. Non nimis in Niptris[9] ille sapientissimus Græciæ saucius lamentatur, vel modice potius :

Pedetentim[10], inquit, ite, et sedato nisu, ne succussu arripiat
major dolor.

Pacuvius hæc[11] melius, quam Sophocles : apud illum 49
enim perquam flebiliter Ulysses lamentatur in vulnere. Tamen huic[12] leviter gementi, illi ipsi, qui ferunt saucium, personæ gravitatem intuentes, non dubitarunt dicere :

sium, lib. II, col. 185, sic legitur, « si se lamentis muliebriter lacrymisque dedecoret » : receptam vero scripturam præstant quum libri manu exarati, tum verbum futuri temporis quod antecedit, ut ex nostro corrigendus sit iste Grammaticus. Dav.

7. *Vidimus.* Sic Eliens. sec. et ita reposuit Cl. Bentleius. Vulgo *videmus.* Dav.

8. *Ac custodia coerceamus.* Sic Ern. e cod. apud Buberium. Alii *arceamus.* Neutrum agnoscunt codd. Reg. Pith. Vatic. Med. Guelf. quos sequuti sunt Davis. Wolf. Schütz. Neid.

9. *In Niptris.* Νίπτρα ἢ Ὀδυσσεὺς ἀκανθοπλὴξ est nomen fabulæ scenicæ Sophoclis, cujus argumentum fuit mors Ulyssis pastinacæ radio icti a Telegono filio. Hanc fabulam Pacuvius latinam fecit, vel potius imitatus est. Versus citati sunt e Pacuvio. Nagn.

10. *Pedetentim ... dolor.* Davisius delevit *ite*, et versus sic distinxit : « Pedetentim (inquit), et sedato nisu Ne succussu arripiat major Dolor » ; notatque : Charisius, Inst. Gr. lib. II, col. 190, initium sic laudat, « Pedetentim ac sedato nisu ». Recte quidem et vere, quod ostendit metrum; nam versus anapæstici sunt, ut edidimus, distinguendi. Sententiæ complendæ vox tertia σχελιαστικῶς fuit adjecta. — Bentleius Davisio assentitur, eumque Schütz. et Neid. sequuntur.

11. *Pacuvius hæc.* Davisius, quem Schütz. Neid. sequuntur, *Pac. hoc.* Ita, inquit, Reg. Pithœan. Eliens. et Balliol. probante Cl. Bentleio.

12. *Tamen huic.* Sic quidem codices. At inter se comparari Sophoclem et Pacuvium satis quidem constat : quapropter Cl. Bentleius bene rescribit *apud hunc.* Forte vero Tullius scriptum reliquit « Pacuviano huic

Tu quoque, Ulysses[13], quamquam graviter cernimus ictum,
Nimis pæne animo es molli, qui consuetus in armis ævum agere.

Intelligit poeta prudens, ferendi doloris consuetudinem, esse non contemnendam magistram. Atque ille non immoderate magno in dolore,

Retinete, tenete, opprimite[14],
Ulcus nudate. Heu miserum me! excrucior.

Incipit labi; deinde illico desinit,

Operite[15], abscedite, jamjam mittite.
Nam attrectatu et quassu sævum amplificatis dolorem.

Videsne, ut obmutuerit non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor? Itaque in extremis Niptris alios quoque objurgat, idque moriens,

leviter, etc. » Librarii nomina propria miris modis passim deformaverunt. Davis.

13. *Tu quoque, Ulysses ... agere.* Hos versus sic Davisius constituit : « Tu quoque, Ulixe, quamquam graviter Cernimus ictum, nimis pæne animo es Molli, qui consuetus in armis Ævum agere ». In his se dicit Davisius Bentleium sequi : tamen hic eos versus sic ad numeros reduci jubet : « tu quoque Ulixe. Quamquam graviter cernimus ictum Nimi' pæne animo es molli, qui con-Sueris in armis ævum agere «. Gerh. Vossius posteriores versus sic digeri volebat : « Nimis es pæne animo molli qui Consuetus in armis agere ævum ». Neid. Davisio obtemperavit : nec ab eo Wolf. et Sch. recesserunt, nisi quod habent *consueris.*

14. *Opprimite, Ulcus nudate.* Davisius v. *Ulcus* priori versui attribuit, notatque : « Retinete, tenete, opprimite ». Pithœanus codex *opprimit te,* unde Janus Gulielmius legebat, *opprimit heu Ulcus ;* at illi quidem metricæ leges adversantur, pro quibus, præeunte Joach. Camerario, sic distinguas velim : « Retinete, tenete, opprimite, ulcus Nudate ; heu miserum me! excrucior ». V. C. G. J. Vossius Fragm. Tragic. pag. 101, interpunctione mutata, reponit, « Retinete, tenete, opprimit ulcus, Nudate, etc. » Non autem video, cur a libris scriptis abeamus. — Schützius cum Wolf. et Neid. Vossium sequuntur, rescribuntque « Heu me miserum! «, Bentleio suadente.

15. *Operite ... dolorem.* Davisius sic hos versus distribuit : « Operite, abscedite, jamjam Mittite : nam attrectatu et quassu Sævum amplificatis dolorem ». Versus, inquit, eo quo fecimus modo disponendi sunt ut anapæstici sint. Ultimo, ut putabat, fulciendo G. J. Vossius ad Fragm. Tragic. pag. 101, scribebat, « sævum hunc amplificati' dolorem ». Nihil

Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet.
Id viri est officium: fletus muliebri ingenio additus [16].

Hujus [17] animi pars illa mollior rationi sic paruit, ut severo imperatori miles pudens.

XXII. In quo vero [1] erit perfecta sapientia (quem 51
adhuc nos quidem vidimus [2] neminem; sed philosophorum sententiis, qualis futurus sit [3], si modo aliquando fuerit, exponitur), is igitur, sive ea ratio [4], quæ erit in eo perfecta, atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut justus parens probis filiis; nutu, quod volet, conficiet, nullo labore, nulla molestia; eriget ipse se, suscitabit [5], instruet, armabit, ut tamquam hosti, sic obsistat dolori. Quæ sunt ista arma? Contentio, confirmatio, sermoque intimus, quum ipse secum, Cave turpe quidquam, languidum, non virile.
Obversentur species [6] honestæ animo: Zeno propo- 52

opus est, quum, pro vocabulo omisso, ruina non sit metuenda; quo de re diximus ad hujusce libri cap. 7. — Schütz. et Neid. Davisium sequuntur, nisi quod scribunt *amplificati*.

16. *Additus*. Elegantius et plenius scribas more veterum poetarum, *additu' st*. Bentleius. — Atque ita Sch. et Neid. dederunt.

17. *Hujus*. Se. Ulyssis.

XXII. 1. *In quo vero*. Vulgo *viro*. Nos Cl. Bentleio credimus, id quod postulat nexus orationis. Dav. — *In quo vero erit perfecta sapientia*. Sapiens, qualis est e mente Stoicorum. Neid.

2. *Vidimus*. Sic Lamb. Davis. et MS Norvic. Ern. e MS Guelf. Schütz. Neid. olim *videmus*. — *Vidimus neminem*. Qualis in nulla adhuc experientia repertus, sed tantum in idea philosophorum effictus est. Neid.

3. *Qualis futurus sit*. Davis. quem Schütz. et Neid. sequuntur, dedit « qualis hic fut. sit », e Reg. Med. et Balliol.

4. *Is igitur, sive ea ratio*. Vulgo « si ea ratio ». Setho duce, nos alteram legendi rationem cum Erasmo Lambinoque recepimus. Eam repræsentant Reg. Med. Pithœan. Bak. Petrens. Balliol. et Eliens. tert. Dav.

5. *Suscitabit, instruet*. Victorium et e suis MSS nonnullos male sequutus Gebhardus, edidit *suscitabitur*: hoc enim modo parum latina fit oratio. Nos igitur veterem lectionem reduximus, quam dant Med. Bak. et Pall. quart. quint. Dav.

6. *Obversentur species ... ut tibi imperes*. Altera regula est: diligenter intuearis eorum exempla; qui dolorem fortiter tolerarunt, ut ipse pari fortitudine accingaris. Neid.

natur Eleates [7], qui perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret. De Anaxarcho Democritio cogitetur, qui quum Cypri in manus Nicocreontis regis [8] incidisset, nullum genus supplicii

7. *Zeno proponatur Eleates.* De hac re sic Suidas : Καθελεῖν δὲ θελήσας Νέαρχον, οἱ δὲ Διομέδοντα τὸν Ἐλέας τύραννον, ἑάλω· καὶ ἐρωτώμενος ὑπ' αὐτοῦ, τὴν γλῶτταν αὐτοῦ ἐνδακὼν καὶ ἀποτεμὼν, προσέπτυσε τῷ τυράννῳ, καὶ ἐν ὅλμῳ βληθεὶς συνετρίβη πτισσόμενος. Et tyranno quidem Nearchi nomen indunt Philostratus vit. Apoll. lib. VII, cap. 2; Diodorus in excerpt. Peiresc. pag. 250, et Valerius Maximus, lib. III, cap. 3; extern. Modo tamen nonnihil diverso rem narrant, cujus etiam meminere Philo Judæus in libro « quod omnis probus, liber », pag. 681; Eusebius Præp. Ev. lib. X, cap. 14; Theodoretus Therap. VIII, pag. 120; Boetius Cons. lib. II, Pros. VI, et Plutarchus de Garrul. tom. II, pag. 505, licet, quis fuerit tyrannus ille, non indicant. At hic de Repugn. Stoic. pag. 1051, et adv. Colot. pag. 1126, eum Demylum vocat. Sane tyrannum οἱ μὲν Νέαρχον, οἱ δὲ Δημύλον προσαγορεύουσιν, ut observat Clemens Alexandrinus Strom. IV, pag. 589. Horum locorum nonnulla jam laudarunt Henr. Valesius ad Ammiani Marcellini lib. XIV, cap. 9, et Æg. Menagius ad Laertii IX, 26. Ab hisce vero diversus abit Tertullianus Apol. cap. 50 : « Zeno Eleates, inquit, consultus a Dionysio, quidnam philosophia præstaret? quum respondisset, contemptum mortis, flagellis tyranni subjectus sententiam suam ad mortem usque signabat ». At quum Zeno noster CL circiter annis Dionysio fuerit antiquior, Rigaltius voces *a Dionysio* supposititias esse censuit; Menagius autem legit *a Demylo*. Sed doctissimos illos viros fugit locus e libri de Anima cap. 58 : « Respice, inquit, ad Zenonis (animam) quum illam Dionysii tormenta prætereunt ». Adeo ut nihil in Tertulliano sit mutandum, ipsique, non librariis, error sit imputandus. Pariter etiam Nemesius de Nat. hom. cap. 30, pag. 233, pudendum admisit hac de re ἀναχρονισμόν. Hippiam tyrannum in hac re memorat Seneca de Ira, II, 23. Sed Leænam meretricem cum Zenone, nisi fallor, confundit. Vide Tertullianum ad Martyres, c. 4. Dav.—Ceterum nihil frequentius in his memorabilibus narrandis auctores parum inter se constare.

8. *In manus Nicocreontis regis.* Omnes quantum constat MSS dant, « in manus Timocreontis regis ». Sed recte se habet recepta lectio, quam tuentur Valerius Maximus, lib. III, cap. 3, 4 ext. Nemesius nat. Hom. cap. 30, pag. 233, aliique tantum non innumeri. Vide Menagium ad Laertii IX, 59, et Gatakerum ad Antonini VIII, 37; Origenes tamen in Celsum, lib. VII, pag. 368, Aristocreontem memoriæ vitio, prout videtur, pro Nicocreonte posuit. Nonnus quidem ad Gregorii Nazianzeni Stelit. Hist. I, 15, et Elias Cretensis ad Orat. III, hunc tyrannum vocant Archelaum, cum quibus facit Apostolius Proverb. Cent. XVI, 92. Sed ii ... οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ sunt habendi. Adi sis porro Joan. Harduinum ad Plinii H. N. VII, 23. Dav.

deprecatus est, neque recusavit. Calenus[9] Indus, indoctus ac barbarus, in radicibus Caucasi natus, sua voluntate vivus combustus est[10]. Nos, si pes condoluit, si dens, si tactum dolore corpus[11], ferre non possumus. Opinio est enim quædam effeminata ac levis, nec in dolore magis, quam in voluptate[12]; qua quum liquescimus, fluimusque mollitia, apis aculeum
sine clamore ferre non possumus. At vero C. Ma- 53
rius[13], rusticanus vir, sed plane vir, quum secaretur, ut supra dixi, principio vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo postea alii? valuit auctoritas. Videsne igitur, opinionis esse, non naturæ malum? Et tamen fuisse acrem morsum doloris, idem Marius ostendit: crus enim alterum non præbuit. Ita et tulit dolorem, ut vir, et, ut homo, majorem ferre sine causa necessaria noluit. Totum igitur in eo est, ut tibi imperes. Ostendi autem[14], quod esset imperandi genus; atque hæc cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit, non solum ani-

9. *Calenus.* Davis. Oliv. Schütz. Neid. *Calanus*, ut nesciamus an altera lectio errore operarum in ed. J. V. L. irrepserit.

10. *Vivus combustus est.* Ellens. sec. *vivus sepultus est;* quæ quidem scriptura rejicula est habenda, quum de vivicomburio germanus sit auctorum consensus. Vide Plutarchum in Alex. tom. I, pag. 703; Ælianum V. H. lib. V, cap. 6; Lucianum Peregr. tom. II, pag. 576; Strabonem, lib. XV, pag. 1045, aliosque bene multos. Dav.

11. *Si tactum dolore corpus.* Vulgo, « sed fac totum dolere corpus ». Pithœan. « sed factorum dolore corpus ». At Pal. sec. lectionem, quam damus, exhibet. Dav.

12. *Quam in voluptate.* Alii « quam eadem in vol. » Quæ vox *eadem* prorsus ab auctore est aliena.

13. *C. Marius ... se alligari.* Profert hæc Charisius Instit. Grammat. lib. II, col. 191. Vide supra cap. 14. Hominem vero, « qui, dum varices exsecandas præberet, legere librum perseveravit », memorat Seneca Epist. LXXVIII. Dav.

14. *Ostendi autem ... tamquam custodia.* Tertia prodit regula: Cogita ipse tecum, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit. Nean.

mum comprimit[15], sed ipsum etiam dolorem, nescio quo pacto, mitiorem facit.

54 XXIII. Ut enim fit in prælio, ut ignavus miles ac timidus[1], simul ac viderit hostem, abjecto scuto[2] fugiat, quantum possit, ob eamque causam pereat nonnumquam, etiam integro corpore[3], quum ei, qui steterit, nihil tale evenerit: sic, qui doloris speciem

15. *Comprimit.* De hac lectione Bentleius ad Davisium: Recte quidem castigas Gebhardum, qui *comprimet* in textum recepit, contra omnium editionum fidem; sed hoc crediderim typothetæ, non ipsi imputandum esse: verum aliud multo majus est, quod nollem præterisses. Quid enim? ain' tandem eam cogitationem animum *comprimere?* quid ergo est *animum comprimere?* nempe sine dubio coercere, frangere, contundere. Ita Noster ubique, « Comprimere furorem, lætitiam, audaciam, cupiditatem ». In Vatinium, cap. 1: « Ut ferocitatem, inquit, istam tuam comprimerem, audaciam frangerem, loquacitatem retardarem ». Ergo hoc omnium portentosissimum, si cogitatio de fortitudine animum comprimit et retundit. Quin potius in perferendo dolore erecto animo opus est et quum maxime excitato. Tolle igitur lectionem et rei ipsi et auctoris sententiæ repugnantem; sic fidenter repone, « Non solum animum confirmat, sed ipsum etiam dolorem mitiorem facit ». Ita mox cap. 23: « Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur ». Epist. ad Fam. VI, 6: « His autem literis animum tuum, quem minime imbecillem esse et audio et spero, confirmandum etiam atque etiam puto »: et sæpe alibi. — Ipse Davis. in posteriori editione Bentleio non assentiens, notavit: Legendum videtur *componit*, ut olim monuimus ad Epitom. Lactantii, cap. 35, pag. 82. Ita certe passim loquuntur auctores. Seneca de Ira, lib. III, cap. 39: « Contigit jam nobis, Novate, bene componere animum ». Idem Epist. IV: « Quo diutius frui emendato animo et composito possis ». Sic etiam Epp. XI et LXXXIX. Petronius Satir. cap. 4: « Ut sapientiæ præceptis animos componerent ». Ambrosius de Offic. lib. I, cap. 21, n. 97: « Animos nostros ratio componat ». Vide et Tacitum Annal. III, 1; IV, 42. — Si retinea *comprimit*, subaudias: In ignavas cogitationes evadentem; ita vetat ne quid ignavi faciat.

XXIII. 1. *Timidus, simul ac ... ob eamque causam.* Davisius scribit: « timidus, si simul ac ... ob eam causam », notatque: Reg. et Pithœan. habent « ob eam causam »: secunda vero vox a nobis est addita; nec difficulter excidere potuit, quum sequentem ordiantur eædem literæ.

2. *Abjecto scuto.* Neque enim retento scuto fugere poterat, neque abjecto pugnare. Itaque ῥιψάσπιδας dixere, qui e prælio fugissent. CAMERAR.

3. *Etiam integro corpore.* Etiam antequam ullum vulnus acceperit, quum ei vires integræ adhuc essent ad se tuendum.

ferre non possunt, abjiciunt se, atque ita afflicti[4] et exanimati jacent; qui autem restiterunt[5], discedunt sæpissime superiores[6]. Sunt enim quædam animi similitudines cum corpore. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum; remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. Et, si verum quærimus, in omnibus offi- 55
ciis persequendis animi est adhibenda contentio. Ea est sola officii tamquam custodia. Sed hoc quidem[7] in dolore maxime est providendum[8], ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter, muliebriterve faciamus; in primisque refutetur ac rejiciatur Philocteæus ille clamor. Ingemiscere nonnumquam viro concessum est, idque raro: ejulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est lessus[9], quem

4. *Afflicti et exanimati.* Petrens. « afflicti, exanimati », conjunctione prætermissa. Norvic. « affecti et exanimati ». Probe. *Affecti* sunt morbo aut mœrore graviter vexati. Propertius lib. II, Eleg. XXI, 1 : « Juppiter, affectæ tandem miserere puellæ ». Ovidius Trist. lib. III, Eleg. III, 14 : « Et subit affecto nunc mihi, quidquid abest ». Apuleius, Metam. lib. I, pag. 6 : « Ultime affectus, ad quamdam cauponam devorto ». Fallitur Jo. Priczus, qui verberibus mulatum denotari existimat. Pari modo Noster Epist. ad Octav. p. 3984 : « Prope jam affectam et prostratam remp. tuis opibus extulisti »; ubi quidam codd. *afflictam* ex glossemate repræsentant. Dav.

5. *Qui autem restiterunt.* Ita Gruterus, quem sequeris, et editiones pleræque aliæ : sed legendum *restiterint* ex Victoriana et tuo codice. Bentl.

6. *Superiores*, dolori, quem vicerunt.

7. *Sed hoc quidem ... muliebri viro turpius.* Quarta regula : ne quid remisse, abjecte, timide, ignave, serviliter, muliebriter in dolore, sed potius cum aliqua contentione facias; in primis rejicias clamorem muliebrem in doloribus. Nein. — Hæc quarta, quam Neid. distinguit regula, multis videri possit cum tertia (scil. cogita quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit) misceri et confundi.

8. *Est providendum ... faciamus.* Hæc habet Charisius lib. II, col. 182. Davis.

9. *Hic nimirum est lessus.* Vulgo *fletus*. Sed nos M. A. Muretum sequimur. Si enim illi Varr. Lect. lib. IX, cap. 19, credimus, in antiquis codd. legitur *lessus*; eaque vox est XII Tabularum. Noster de Legg. lib. II, cap. 23 : « Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo ha-

56 duodecim Tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt. Nec vero umquam ne ingemiscit quidem vir fortis ac sapiens[10], nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant, quam maxime possunt. Faciunt idem, quum exercentur athletæ: pugiles vero, etiam quum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt; non, quod doleant, animove succumbant, sed quia profundenda voce[11] omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.

XXIV. Quid? qui volunt exclamare majus[1], num satis habent latera, fauces, linguam intendere, e quibus ejici vocem[2], et fundi videmus? Toto corpore,

beuto. Hoc veteres interpretes S. Ælius, L. Acilius non satis se intelligere dixerunt, sed auspicari vestimenti aliquod genus funebris : L. Ælius, lessum, quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat ». Sic « lessum facere filio » dixit Plautus Trucul. act. IV, sc. II, 18. Dav. — Alii vocem *lessum* restituunt loco v. *fletu* in hoc carmine Ennii non semel a Nostro laudato, « Nemo me decoret lacrymis, nec funera fletu, etc. » Sch. Neid. h. l. restituerunt *fletus*.

10. *Vir fortis ac sapiens*. Davis. reponit *patiens*. Vulgo, inquit, *sapiens*, nec aliter MSS. At *patiens* et *sapiens* inter se passim confunduntur, sensusque vocem quam reposuimus omnino postulat, ut olim diximus ad Epit. Lactantii, cap. 35, pag. 82. Noster supra cap. 17 : « Virorum esse fortium et magnanimorum et patientium, et humana vincentium, toleranter dolorem pati ». Et cap. 21 : « Hæc cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi, etc. » Seneca de Tranq. animi, cap. 3 : « Quid patientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus ». Vide sis et de Vita Beat. cap. 25. — Davisio ceteri non obtemperaverunt.

11. *Profundenda voce*. Davisius in prima ed. dederat « in profundenda voce » ex Ven. 1491 et Manut.

XXIV. 1. *Qui volunt exclamare majus*. Eliens. sec. *magis*, nec incommoda videtur ea lectio. Vulgata tamen non est deserenda. Plautus Mostell. act. II, sc. II, 57 : « Atque ille exclamat derepente maximum ». Sic « magnum loqui, et longum clamare » dixit Horatius Art. Poet. vss. 180, 459. Græci similiter ἀναβοᾶν παμμέγεθες. Vide Lucianum Contempl. tom. I, pag. 356. Dav.

2. *Ejici vocem, et fundi videmus?* Sic habent duo lib. MSS, quos sequor. Ita enim loquuntur Latini *ejicere* et *mittere* et *fundere* vocem : quod Græci dicunt ἀφιέναι φωνήν. In vulgg. mendose legitur *elici*, quod minus probo. Lamb. — Gebhardus defendit *elici* e MSS tum suis, tum Gulielm. ed. Victorii reliquisque : idque edidit Davisius, notans : Omnes MSS nostri receptam lectionem præstant, nec ab ea videtur discedendum. Lucret. III, 57 : « Nam veræ voces tum demum

atque omnibus ungulis[3], ut dicitur, contentioni vocis asserviunt[4]. Genu mehercule M. Antonium vidi, quum 57
contente pro se ipse lege Varia[5] diceret, terram tan-

pectore ab imo Eliciuntur ». Noster pro Cœlio, cap. 24 : « Nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat ? » Sic utrobique codices, licet Lambinus et Gifanius id mutent. Josephus Iscanus Bell. Troj. I, 208 : « . . . gratas plebs obvia voces Elicit . . . » Hæc, nisi fallor, id quod volumus probant. — Schütz. Neld. *ejici.*

3. *Omnibus ungulis.* Lambinus se cum iis facere testatur, qui legunt *unguiculis*, et ita in suo codice scribi dicit Fulv. Ursinus, probante Bentleio. At ejus fides est fluxa. Certe vulgatam lectionem servant omnes nostri, nec satis est causæ, cur ab ea recedamus. Isidorus de partibus hominis Orig. lib. XI, cap. 1 : « Ungulas ex græco vocamus, illi enim has ὄνυχας dicunt ». Rufinus Invect. II in Hieronymum, tom. IX, pag. 150, ed. Victor. : « Nam quis est qui, quum morbo regio laboret . . . magnopere clamet quod non leve παρωνύχιον pellis aut perfacilis ungulæ suæ offensa curetur? » Plautus Pseud. act. III, sc. II, 47 : « . . . nunc certe scio Hoc, febrim tibi esse, quia non licet hoc injicere ungulas ». Iterum act. III, sc. II, 63 : « An invenire postulas quemquam coquum Nisi milvinis aut aquilinis ungulis ? An tu coquinatum te ire quoquam postulas, Quin ibi constrictis ungulis cœnam coquas? » Sic et alibi; sed ex hisce satis constat, ungulas de solis bestiis non semper usurpari. Dav.

4. *Asserviunt.* Bentleius ex cod. Davisii legi vult *deserviunt*, quia *asservire* dicit nec in Cicerone alibi, nec usquam quod sciat occurrere. At certe *deserviunt* h. l. bene non quadrat.

5. *Quum contente pro se ipse lege Varia diceret.* Hunc locum illustrabit Valerius Maximus lib. III, cap. 7, 9 : « Contra M. Antonius ille disertus; non enim respuendo, sed amplectendo causæ dictionem, quam innocens esset, testatus est. Quæstor proficiscens in Asiam, Brundisium jam pervenerat; ubi literis certior factus est incesti se postulatum apud L. Cassium prætorem (cujus tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur), quum id vitare beneficio legis Memmiæ liceret, quæ eorum, qui reip. causa abessent, recipi nomina vetabat, in urbem tamen recurrit; quo tam pleno fiduciæ bonæ consilio quum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consequutus est ». Ejusdem rei meminit lib. VI, cap. 8, 1. Eliens. sec. *lege agraria.* Perperam. Lex Varia a Q. Vario, tribuno plebis, fuit lata. Vide Cic. in Bruto, capp. 56, 89. Dav. — *Lege Varia.* Lex Varia lata a Q. Vario Hybrida trib. pl. a. U. 662 de majestate; qua sancitum est, ut quæstio haberetur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum R. arma sumpsissent. Hoc in loco Buherius intelligi vult aliam legem Variam de incestu : quod Val. Max. III, 7, M. Antonium de incestu accusatum tradit, eumque locum huc retulere interpretes. Sed temporum ratio facile arguit sententiam. Cicero dicit, se vidisse Antonium pro se dicentem causam lege Varia. At accusatio de incestu facta est anno quæsturæ provincialis 640, quo Cicero nondum natus erat. Ern. — Cf. Max. VIII, 6, 4. Nein.

gere. Ut enim balistæ lapidum[6], et reliqua tormenta telorum, eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius: sic vox, sic cursus, sic plaga, hoc gravior, quo est missa contentius[7]. Cujus contentionis quum tanta vis sit, si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur. Sin erit ille gemitus lamentabilis[8], si imbecillus, si abjectus, si flebilis; ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. Qui quidem gemitus si levationis aliquid afferret, tamen videremus, quid esset fortis et animosi viri. Quum vero nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus? Quid est enim fletu muliebri viro turpius?

58 Atque hoc præceptum[9], quod de dolore datur, patet latius. Omnibus enim rebus, non solum dolori, simili contentione animi resistendum est. Ira exardescit? libido concitatur? in eamdem arcem confugiendum est; eadem sunt arma sumenda. Sed quoniam de dolore loquimur, illa omittamus. Ad ferendum igitur dolorem[10] placide et sedate, plurimum proficit, toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit. Sumus enim natura, ut ante dixi (dicendum

6. *Ut enim balistæ lapidum, et reliqua tormenta telorum, eo*, etc. Locus ob sensum hoc modo distinguatur: « ut enim balistæ, lapidum, et reliqua tormenta, telorum eo graviores emissiones habent », nam verba *lapidum* et *telorum* ad *emissiones* sunt referenda. Dav.

7. *Quo est missa contentius*. Davis. scribit « quum est missa cont. », e MSS Norvic. Petrens. et Cantabr. ceteris edd. non sequentibus.

8. *Lamentabilis*. Sic Ern. ex edd. vett. alii *elamentabilis*.

9. *Atque hoc præceptum* . . . *omittamus*. Quæ regula de adhibenda contentione non solum in dolore, sed et in ira, libidine ceterisque animi commotionibus valet. Neld.

10. *Ad ferendum igitur dolorem* . . . *fomenta summorum dolorum*. Regula quinta: Toto semper pectore cogita, quam honestum sit, dolorem placide ac sedate ferre. Ne quis forte Ciceronem unum idemque ac in regula tertia præcipere putet, in primis notandum, honestum h. l. non esse virtutem, ut innumeris aliis in locis, sed veram laudem atque gloriam virtute partam, ut sequentia perspicue do-

est enim sæpius[11]), studiosissimi appetentissimique honestatis; cujus si quasi lumen aliquod adspexerimus, nihil est, quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre, et perpeti. Ex hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem atque honestatem[12], illa pericula adeuntur in præliis; non sentiunt viri fortes in acie vulnera, vel si sentiunt[13], se mori malunt, quam tantum modo de dignitatis gradu demoveri.
Fulgentes gladios hostium videbant Decii, quum in 59
aciem eorum irruebant: his levabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis, et gloria. Num tu[14] ingemuisse Epaminondam putas, quum una cum sanguine vitam effluere sentiret? imperantem enim patriam Lacedæmoniis relinquebat, quam acceperat servientem. Hæc sunt solatia, hæc fomenta summorum dolorum.

XXV. Dices[1], quid in pace? quid domi? quid in 60
lectulo? Ad philosophos me revocas, qui in aciem non sæpe prodeunt. E quibus homo sane levis Heracleotes Dionysius, quum a Zenone fortis esse didicis-

cent. Nab. — Nos in his non videmus novam regulam; sed præcedentium conclusionem quamdam vel perorationem cum amplificatione.

11. *Dicendum est enim sæpius.* Leg. *autem*. Nemo fere nescit, quam crebro librarii voces hasce miscuerint. Davis.

12. *Impetu animorum ad veram laudem atque honestatem.* MSS Colon. et Cantab. annectunt *tendente*. Mihi vero dubium non videtur, quin ea vox a librario quodam semibarbaro sit addita. Dav.

13. *Vel si sentiunt, se mori malunt.* Alii, « vel sentiunt, sed se mori malunt ».

14. *Num tu ingemuisse.* Alii, « nunc tum ingem. ».

XXV. 1. *Dices, quid in pace?* Dices, quum homines studiosissimi sint honestatis (i. e. gloriæ) ejusque acquirendæ occasio sit in bellis, quem stimulum ad perferendum dolorem habebunt, quibus splendida desit opportunitas gloriæ acquirendæ, nimirum ii, quibus in pace, domi, in lectulo cum dolore conflictandum est? Ad hæc respondet Cicero, sed indirecte. Verum quidem est, inquit, sæpius philosophos inveniri, qui relinquunt optima decreta, et in alia castra transeant, ut Dionysius. Verumtamen et alii sunt, qui, fortiter

set, a dolore deductus est[2]. Nam quum ex renibus laboraret[3], ipso in ejulatu clamitabat, falsa esse illa, quæ antea de dolore ipse sensisset. Quem quum Cleanthes condiscipulus rogaret, quænam ratio eum de sententia deduxisset, respondit, « Quia, quum tantum operæ philosophiæ dedissem[4], dolorem tamen ferre non possem; satis esset argumenti, malum esse dolorem. Plurimos autem annos in philosophia consumpsi, nec ferre possum: malum est igitur dolor». Tum Cleanthem, quum pede terram percussisset, versum ex Epigonis[5] ferunt dixisse:

Audisne hæc, Amphiarae, sub terram abdite?

adhærentes principiis suis, nullo dolore abstrahi se ab illis patiantur. Exemplu est Posidonius. Horum exempla docent vim honestatis. Neid.

2. *A dolore deductus est.* Unde, obsecro, *deductus est?* Num, obsecro, a magistro Zenone? an potius de sententia? ut paullo inferius habes, « Quænam ratio eum de sententia deduxisset? » Atqui hoc pacto non erat dicendum *A dolore;* sed sublata præpositione, « dolore deductus est », atque sic plane habet codex Petrensis, sed ille nullius auctoritatis. Manutii editio cum aliis nonnullis, « a dolore devictus est »: quod Lambinus in libri margine amplectitur, in annotationibus repudiat. Equidem vel hanc lectionem vulgatæ prætulerim: verum alia subest longe melior et sincerior; quam, licet a nullo libro (qui hodie supersit) confirmatam, præstare tamen ausim verissimam. Et hujusmodi est: « Quum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore dedoctus est »: hoc est, « dedoctus est esse fortis ». Agnoscis, opinor, elegantem oppositionem, inter *discere* et *dedocere;* quam alibi quoque Cicero adhibuit ut de Finibus, I, 6, « si a Polyæno geometriam discere maluisset, quam illam etiam ipsum dedocere ». Bentl. — Davis. Schütz. Neid. Bentleium sequuti sunt.

3. *Ex renibus laboraret.* Recte monuit Pet. Victorius, Ciceronem ab aliis et a se ipso dissentire: nam lib. V de Fin. cap. 31, sic ait: « Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descivisse videtur a Stoicis propter oculorum dolorem ». Et consentit Laertius in Zenone, lib. VII, § 37 et § 166. Hanc quidem μετάθεσιν memorant, ejus vero caussam non tradunt, Lucianus bis accus. tom. II, pag. 227, et Athenæus, lib. VII, pag. 281, ac lib. X, pag. 437. Dav.

4. *Quia, quum . . . dedissem, dolorem tamen ferre non possem.* Davisius, Bentleio suadente, correxit « quicumque tantum operæ ph. dedisset, d. t. f. non posset » dicitque ex syllogismi ratione certissimam fieri hanc conjecturam. Attamen eum ceteri non sequuti sunt.

5. *Ex Epigonis.* Erat Æschyli tragœdia, quam laudat Scholiastes Pin-

Zenonem significabat; a quo illum degenerare dolebat. At non noster Posidonius[6]; quem et ipse sæpe 61
vidi, et id dicam, quod solebat narrare Pompeius: se, quum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium; sed quum audivisset, eum graviter esse ægrum, quod vehementer ejus artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere; quem ut vidisset, et salutavisset, honorificisque verbis prosequutus esset, molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire; at ille, Tu vero, inquit, potes: nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit[7]. Itaque narrabat, eum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubantem disputavisse; quumque quasi faces ei doloris admoverentur; sæpe dixisse, « Nihil agis, dolor; quamvis sis molestus, numquam[8] te esse confitebor malum ».

XXVI. Omninoque omnes clari et nobilitati labo- 62
res contemnendo fiunt etiam tolerabiles[1]. Videmusne,

dari ad Isthm. VI, 10, eamque videtur Accius in linguam latinam vertisse. Vide Nonium quum alibi, tum in *mactare*. Falluntur ii, qui Euripidis drama fuisse censuerunt. Dav.

6. *At non noster Posidonius*. Scilicet deductus est de Stoicorum sententia (vel potius, « a Zenone degeneravit »; nam nimium distat altera sententia). Strabo lib. XIV, testatur, Posidonium fuisse Epamiensem ex Syria, sed Rhodium existimatum, quia Rhodi vixit et philosophatus est. A. Manot.

7. *Ut frustra tantus vir ad me venerit*. Plinius, VII, 30, sic narrat Posidonium a Pompeio fuisse visitatum: « Pompeius, confecto Mithridatico bello, intraturus Posidonii, sapientiæ professione clari, domum, fores percuti de more a lictore vetuit: et fasces literarum januæ submisit is, cui se oriens occidensque submiserat ». J. V. L.

8. *Numquam te esse confitebor malum*. Nam secundum ejus sententiam nil nisi inhonestum malum erat. Ceterum negandum non est dolorem esse incommodum aliquod. Nein.

XXVI. 1. *Omninoque omnes clari et nobilitati labores contemnendo fiunt tolerabiles*. Per *labores* intelligit ludos Gymnicos, Olympia, Pythia, et id genus, ut ex sequentibus constat. Quid ergo? an ejusmodi *labores* fiunt tolerabiles *contemnendo*? nihil vidi minus. Immo contra, qui admirantur, qui Olympiorum victoriam, ut superius

ut apud[2] magistros eorum ludorum, qui gymnici[3] nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? Apud quos autem venandi et equitandi laus viget, qui hanc petessunt[4], nullum fugiunt dolorem. Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? Quæ flamma est[5], per quam non cucurrerint ii, qui hæc olim punctis singulis[6] colligebant? Itaque sem-

dixit, antiquum illum consulatum arbitrantur, hi tanto facilius labores eos perpetiuntur, quanto in majore felicitatis parte ponunt. Lege ergo meo periculo, et librarios plorare jube: « Omninoque omnes clari et nobilitati labores contendendo fiunt tolerabiles ». Hoc enim est, quod sæpius inculcat Cicero, ut supra cap. 21 : « Quæ sunt ista arma contra dolorem? Contentio, confirmatio, etc. » et 22 : « Simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum ». Et ibidem : « In omnibus officiis persequendis animi est adhibenda contentio » ; et 23 : « Cujus contentionis quum tanta vis sit, si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur » : et iterum, « Omnibus enim rebus, non solum dolori, simili contentione animi resistendum est » ; et 26 : « Patientia dolorum, quam sæpe jam animi contentione dixi esse firmandam ». Et mox, « Iidem omissa contentione dolorem morbi ferre non possunt ». Dav. — Wolf. Seb. Neid. *contendendo*. Si *contemnendo* retineas, intellige contemni labores istos, quod pertinet ad dolorem et fatigationem subeunda.

2. *Videmusne, ut apud magistros eorum lud.* Sic Corrad. Ern. Contra Davisius cum ceteris, « Videmusne, apud quos eorum lud. » Quam lect. Neid. sic intp. *Videmusne.* Dicere debebat : Videmusne apud illos populos, apud quos, etc. — De honore in quo athletæ apud Græcos erant vid. Diog. Laert. lib. I, pag. 27 ; Lucian. de Gymnas. tom. II, pag. 269 sqq.

3. *Qui gymnici nominantur.* Γυμνὸς græce *nudus*, unde gymnici ludi dicti, quibus nudati exercent corpora.

4. *Qui hanc petessunt.* Auctius Ven. 1491, et Frob. « qui hanc gloriam petessunt » ; sed tali adsumento nihil est opus. De ultima voce sic Festus, « Petissere (ita enim nonnulli scribunt, licet, si modo sibi constant, *petessere* sit potius legendum), antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt lacessere et incessere. Sed, ut mihi videtur, tum significabant sæpius petere, ut petiissant, sæpius petant ». Hoc verbo usus est Lucretius, lib. III, pag. 354, ac lib. V, pag. 665. Dav.

5. *Quæ flamma est.* Metaphorice dictum. Sc. quod periculum non adierint ad hos honores adipiscendos ii, qui, etc.

6. *Punctis singulis.* Singulorum suffragiis. Horat. A. P. 345 : « Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci », ubi vetus Scholiastes : « omnium meruit favorem, juxta legem tabellariam, quæ caverat, non voce, sed puncto debere ferri suffragia ». Nam.

per Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat: cujus in primis laudabat illud, quod diceret, eosdem labores non esse æque graves imperatori, et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium[7]. Sed tamen hoc evenit[8], ut in 63
vulgus insipientium opinio valeat honestatis, quum ipsam videre non possint. Itaque fama, et multitudinis judicio moventur, quum id honestum putent, quod a plerisque laudetur. Te autem, si in oculis sis multitudinis, tamen ejus judicio stare[9] nolim, nec, quod illa putet, idem putare pulcherrimum. Tuo tibi judicio est utendum. Tibi si recta probanti placebis, tum non modo tu te[10] viceris, quod paullo ante præcipiebam, sed omnes, et omnia.

Hoc igitur tibi propone: amplitudinem[11] et quasi 64
quamdam exaggerationem quam altissimam animi,

7. *Laborem lev. f. imperatorium.* Davisius in prima ed. dederat *imperatori*, notans: Vulgg. *imperatorum*: Petrens. et alii MSS *imperatorium*; nos autem Pal. quart. et Norvic. sequuti sumus, ac merito quidem, ut ex Græcis patet, quæ sic se habent: Τῶν ὁμοίων σωμάτων οἱ αὐτοὶ πόνοι οὐχ ὁμοίως ἅπτονται, ἄρχοντός τε ἀνδρὸς καὶ ἰδιώτου ἀλλ' ἐπικουφίζει τι ἡ τιμὴ τοὺς πόνους τῷ ΑΡΧΟΝΤΙ. Exstant Cyropæd. lib. I, pag. 32. — In posteriori ad. Davisius restituit *imperatorium*.

8. *Sed tamen hoc evenit.* Fieri sæpius solet, ut insipientes falsa specie honestatis (i. e. sola fama et multitudinis judicio) decipiantur, idque solum honestum putent, quod a plerisque laudetur, quum ipsam (i. e. veram et genuinam) honestatem videre non possint, quia animus eorum est obtusior. Ceterum vide sis ea, quæ Cicero de hac vera et falsa gloria disputat lib. III, 2. Neid.

9. *Ejus judicio stare.* Confidere multitudinis judicio et in eo acquiescere. Neid.

10. *Tu te viceris.* Davisius *tete viceris* e Reg. et Pith. sequentibus Wolf. Schütz. Neid. Med. habet: « tu non modo tu viceris ». — *Tu te viceris.* Intellig. vetabis ne animus tuus dolore frangatur, sensuumque libidinem coercebis.

11. *Amplitudinem et quasi quamdam exaggerationem quam altissimam animi.* Pall. nostrique codices exhibent, « amplitudinem animi et quasi quamdam exaggerationem quam altissimam animi »: nec aliter edidit Gebhardus. At quum putida sit et inelegans *animi* repetitio, nos a veteribus editis stamus. Dav.

qui maxime[12] eminet contemnendis et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo[13], neque plausum captans, se tantum[14] ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quæ sine venditatione, et sine populo teste[15], fiunt: non quo fugiendus sit (omnia enim benefacta[16] in luce se collocari volunt), sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est.

65 XXVII. Atque in primis[1] meditemur illud, ut hæc patientia dolorum, quam sæpe jam animi[2] intentione dixi esse firmandam, in omni genere se æquabilem præbeat. Sæpe enim multi, qui aut propter victoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ[3], aut etiam ut jus

12. *Qui maxime.* Dav. Oliv. Neid. *quæ maxime.*

13. *Si vacet populo.* Si applausus populi desit. Neid.

14. *Se tantum ipsa d.* Davis. e suis codd. *se tamen i. d.* ceteris non sequentibus.

15. *Et sine populo teste, fiunt.* Ita Davisium Bentl. alloquitur: Probas lectionem, quæ apud Nonium ferebatur, « quæ sine populo recte fiunt ». Non enim, inquis, omnia, quæ sine populo teste fiunt, laudabilia sunt; nisi *recte* fiant, et proba sint. Itaque illud *recte* quasi sententiæ necessarium adsciscis. Laudo equidem conatum, et ingenio tuo faveo, quod ubi semel maturuit, præclarissimos fructus dabit. Sed opus est hic judicio subacto. Non enim dicit *laudabilia*, sed *laudabiliora*; ad quod attendisse te oportuit. Hoc enim perinde est, ac si dixisset, Omnia *laudabilia* eo esse *laudabiliora*, quod sine populo teste fiant. Itaque quod tu omitti putabas, illud ipsum inesse jam vides. Quid autem est *sine populo?* immo vero, *sine populo teste.* Scis illud in Epigrammate, « Ille dolet vere, qui sine teste dolet ». Accedit huc, quod ipse Nonius in accurata illa Merceri editione *teste* habeat, ut et hic habetur.

16. *Omnia enim benefacta. Recte facta* dat Augustinus hunc locum citans, C. D. lib. XIV, cap. 18, et ita loquitur Noster infra, lib. III, cap. 2. Davis.

XXVII. 1. *Atque in primis . . . ratione proficiscatur.* Sexta denique regula est: patientia dolorum in omni genere æquabilem se præbeat, i. e. ne aliis in doloribus fortiorem, aliis minus fortem te exhibeas. Neid.

2. *Animi intentione.* Leg. cum Norvic. « animi contentione », quod ad aures cadit jucundius, præterquam quod hanc vocem in eodem sensu adhibuit Tullius, ubi hac de re verba superius fecit. Davis. in prima ed.

3. *Aut propter gloriæ.* Wolf. Sch. Neid. cum Davisii ed. 2, « aut propter

suum, et libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter, et tulerunt, iidem omissa contentione dolorem morbi ferre non possunt. Neque enim illum, quem facile tulerant, ratione, aut sapientia tulerant, sed studio potius, et gloria. Itaque barbari quidam[4], et immanes, ferro decertare acerrime possunt, ægrotare viriliter non queunt. Græci autem homines[5], non satis animosi, prudentes[6], ut est captus hominum, satis hostem adspicere non possunt, iidem morbos toleranter atque humane ferunt. At Cimbri et Celtiberi in præliis exsultant, lamentantur in morbo[7]: nihil enim potest esse æquabile, quod non a certa ratione proficiscatur. Sed quum videas, eos, qui aut[8] studio, 66
aut opinione ducantur, in eo persequendo atque adipiscendo dolore non frangi, debeas existimare, aut non esse malum, dolorem, aut, etiamsi, quidquid

gloriam ». Alii, « aut propter gloriæ amorem ».

4. *Barbari quidam*. Davis. *barb. quidem* ex Eliens. tert. cum Erasmo.

5. *Homines*. Valkenaer. opp. tom. II, pag. 274, conj. *hodie*.

6. *Prudentes, ut est cap. h. satis*. Construe, « satis prudentes, ut est, etc. » — *Ut captus est hominum*. Ut eorum est ingenium. Terent. Adelph. eodem sensu dicit: « ut est captus servulorum ». Nein.

7. *In præliis exsultant, lamentantur in morbo*. Ita se gerebant fortes illæ nationes, non quod doloris stimulos metuebant; sed quia mortem in præliis gloriosam et felicem, eorum autem excessum, qui morbo peribant, turpem ac miserabilem censerent. Valerius Maximus, lib. II, cap. 6, 11: « Alacris et fortis Cimbrorum et Celtiberorum (philosophia) qui in acie exsultabant, tamquam gloriose et feliciter vita excessuri: lamentabantur in morbo, quasi turpiter et miserabiliter perituri ». Hoc idem Græcis quoque nonnullis videbatur. Cf. Clemens Strom. IV, pag. 570. Hinc Heraclitus apud Theodoretum Therap. VIII, pag. 117: Ἀρηϊφάτους οἱ θεοὶ τιμῶσι καὶ ἄνθρωποι. Vide Platonis Menexen. pag. 403, quæ laudat etiam Stobæus Serm. XLVIII, pag. 353; Tacitum, Hist. V, 4; Amm. Marcellinum, XXIII, 6, XXXI, 2, et Lampridium in Alex. Severo, cap. 62. Dav.

8. *Quum videas, eos, qui aut studio, aut opinione ducantur*. Reticenda non videtur Vaticani codicis scriptura, qui repræsentat, « quum videas quo quis aut studio aut opinione ducatur ». Ut opinor, haud male. Dav. — Schützius dedit « eos, qui quo aut studio », idemque Neid. sed *quo* uncis incluso. Vellemus Schützius dixisset unde illud *quo* hauserint.

asperum, alienumque natura[9] sit, id appellari placeat malum, tantulum[10] tamen esse, ut a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat.

Quæ meditare, quæso, dies et noctes. Latius enim manabit hæc ratio, et aliquanto majorem locum, quam de uno dolore, occupabit. Nam si omnia fugiendæ turpitudinis, adipiscendæque honestatis causa faciemus, non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit, præsertim quum paratum sit illud ex hesterna disputatione perfugium[11]. Ut enim si cui naviganti, quem[12] prædones insequantur, deus quis dixerit, « Ejice te navi; præsto est, qui excipiat, vel delphinus, ut Arionem Methymnæum[13], vel equi Pelopis illi Neptunii[14], qui per

9. *Natura*. Davis. *a natura* cum Balliol. et edd. vett.

10. *Tantulum*. In prima ed. Davis. dederat *tantillum*, cum MS Norvic. et ed. Froben. 1523. — *Quam de uno dolore*. Eadem ratio quæ te a dolore vindicabit, te quoque a fortuna adversa ceterisque malis præstabit inviolatum.

11. *Perfugium*. Si mortem contemnere didiceris. Nain.

12. *Si cui naviganti, q. præd. insequantur*. Davis. omittit *quem*, notatque: Sic edidit Janus Gebhardus. Ven. 1491, aliæque vett. « si cui naviganti, quem prædones insequantur »; sed vocem antepenultimam non agnoscunt MSS. Pal. tert. ac Pet. « si cui naviganti prædones insequantur, Deusque quis dixerit » : Cantabr. « si quem navigantem prædones insequantur ». Unde omnino legendum crediderim, « si quem navigantem prædones insequantur, Deusque quis dixerit »; nam utramque correctionem firmant codd.

13. *Delphinus, ut Arionem Methymnæum*. Nota fabula, quam tradunt Herodotus, I, 23, 24; Plutarchus in Conviv. septem Sap. pag. 161; A. Gellius, XVI, 19; Ovidius, Fast. II, 83; Augustinus C. D. I, 14; Lucianus in Dial. Neptuni et Delphinum tom. I, pag. 250, aliique. Similem historiam ex Phylarcho refert Athenæus, lib. XIII, pag. 606. Dav.

14. *Equi Pelopis illi Neptunii*. Pelops, ut Hippodamiam uxorem duceret, equos alatos a Neptuno ferebatur impetrasse. Pindarus Olymp. I, 139, post recitatas preces Pelopis ad Neptunum fusas sic infit : .... τὸν μὲν ἀγάλλων θεὸς Ἔδωκεν δίφρον χρύσεον ἐν πτεροῖ-Σίν τ' ἀκάμαντας ἵππους. Hinc Pausanias, lib. V, cap. 17 : Οἰνόμαος διώκων Πέλοπά ἐστιν ἔχοντα Ἱπποδάμειαν· ἑκατέρῳ μὲν δὴ δύο αὐτῶν εἰσιν ἵπποι, τοῖς δὲ τοῦ Πέλοπός ἐστι πεφυκότα καὶ πτερά. Eamdem fabulam tetigerunt Euripides in Rheso, vss. 187, 240, et Lucianus in Charid. tom. II, pag. 793. Narrant scholiastes brevia ad Iliad. Α, 38,

undas currus suspensos rapuisse dicuntur, excipient te, et, quo velis, perferent »; omnem omittat[15] timorem : sic urgentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti sint, ut ferendi non sint[16], quo sit confugiendum, vides[17].

Hæc fere hoc tempore putavi esse dicenda. Sed tu fortasse in sententia permanes.

AUD. Minime vero; meque biduo duarum rerum, quas maxime timebam, spero liberatum metu.—CIC. Cras ergo ad clepsydram[18] : sic enim dicimus[19]. Et

ac Tzetzes ad Lycophronis vs. 156. DAVIS.

15. *Omittat.* Davis. *omittas* cum Reg. Pith. Eliens. tert. Balliol. pessime, ut omnes facile sentient.

16. *Si tanti sint, ut ferendi non sint.* Sic Oliv. Ern. Schütz. Et sic olim correxerant Ursinus et Lamb. Vulgatum « si tanti non sint, ut ferendi sint », quod testatur Gebhard. in plerisque MSS esse, et Davis. in prima ed. dederat, interpretans, si eos ferre non sit operæ pretium. At Bentleius Davisium sic monuit : Dolet, quod, id quod in proximo erat, non videris, sic omnino legendum esse, « Si tanti non sit, ut ferendi sint ». Siquidem ipsi dolores *tanti* esse non possunt; nihil enim omnium minus; sed hoc vult, si res ipsa, si officium non sit tanti. Atque hæc quum scripseram, idem acutissimo Gulielmio visum esse intellexi. Sed eo nomine displicuit Gebhardo, quia ex conjectura profectum erat, librariis non adstipulantibus. Enimvero si talibus mancipiis edendorum librorum provincia semper dabitur; quid ultra operam et oleum perdimus? — His commotus Davisius in posteriori ed. Bentleio obtemperavit. — De re vid. Euripid. Hec. vs. 1107.

17. *Quo sit confugiendum, vides.* Reg. et Pithœan. *ut vides.* Lege *tu vides*, ut habent Med. et veteres editi. DAVIS.

18. *Ad clepsydram.* Ad exercitationes rhetoricas : nam clepsydra vas erat aqua plenum, ad cujus mensuram oratores verba faciebant. Vide Scholiasten Aristophanis in Acharn. vs. 693, et Suidam. Hinc Demades de Demosthenis ὑδροποσίᾳ dixit, ὡς οἱ μὲν ἄλλοι ΠΡΟΣ ΥΔΩΡ ΛΕΓΟΙΕΝ, τὸν Δημοσθένην δὲ πρὸς ὕδωρ γράφειν. Exstat apud Lucianum in Dem. Encom. tom. II, pag. 691. Ejus sæpe meminit Plinius in Epistolis; ad eam adludunt Synesius Dion. pagg. 54, 56; Themistius, Orat. XXVI, pag. 314, aliique; eam denique descripsit Apuleius, Metam. III, pag. 73. DAV.

19. *Sic enim dicimus.* Davis. scribit *diximus*, notatque : Pal. quart. Fabric. Vatic. Eliens. tert. Petrens. et Bak. lectionem, quam recepimus, exhibent. Merito quidem; nam huic verbo constituendi potestas est tribuenda. Vide Nonium in *dicere.* — Olivetus, qui scripsit *duximus*, observat : Ita primariæ quatuor editiones nostræ. Sed Buberius, *dicimus*; neque id recusabit, qui meminerit, quod supra cap. 3 dixit Tullius, se, quam-

tibi hoc video[20] non posse deberi. — Aud. Ita prorsus : et illud quidem ante meridiem, hoc eodem tempore[21]. — Cic. Sic faciemus, tuisque optimis studiis obsequemur.

diu in Tusculano cum amicis fuit, « ante meridiem dictioni », utique ad clepsydram, « operam dedisse ». Hic igitur discipulum in crastinum ad dicendi exercitationem invitat. « Cras ad clepsydram » dicemus more nostro; « sic enim dicimus » ; hæc nostra ratio est. Davis. vero, *diximus*, sensu valde commodo. « Sic enim diximus » facturos esse nos, et diem partituros. Nemo quæret, opinor, quandonam id Cicero amicique dixerint. Satis est hic significari fuisse dictum : neque enim omnia perscripta sunt, quæ illis diebus in Tusculano dici potuere.

20. *Et tibi hoc video non posse deberi.* Sic Hadr. Turn. conj. Advers. IV, 18, sequente Gebbard. et Davis. in prima ed. qui postea reduxit e codicibus vulg. « sed tibi hoc vid. », conjiciens « sed et tibi hoc vid. » — *Et tibi hoc video non posse deberi. Deberi* non potest : *debere* non posse : eleganter pro eo, quod præstandum, persolvendum, dandum. Cic. de Legib. II, 3 : « Præclare exigis, Quinte. At ego effugisse arbitrabar : et tibi horum nihil deberi potest » ; III, 11 : « Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem. Quippe quam tantopere populus, etc. » In Epist. ad Trebat. Famil. VII, 19 : « Quod præsenti tibi prope subnegaram, non tribueram certe, id absenti debere non potui ». Giphanius, Observ. in Ling. Lat.

21. *Hoc eodem tempore.* Sic edidere omnes. Etsi autem nemo non videt, agi de philosophica disputatione, cui assignatum erat tempus pomeridianum, ut antemeridianum oratoriæ declamationi : videtur tamen facilius ad intelligendum fore, si distinguas in hunc modum : « hoc, eodem tempore ». Est ergo *illud* dictio ad clepsydram : *hoc* designat philosophicam collocutionem : « eodem tempore », quo heri et hodie fecimus. Oliv.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM

LIBRI TERTII.

Hujus libri præfatio in laudibus philosophiæ versatur, quæ quum medicina animi sit, eaque in potestate nostra sita, dolendum esse dicit, medicinæ corporis multum et honoris haberi et temporis tribui, illam autem animi medicinam contemni et negligi, cap. 1-3. Ipsum autem hujus libri argumentum in eo versatur, ut « ægritudinem non cadere in sapientem » demonstretur. Hic primo rationes quædam leviores, et a verbis Latinorum ductæ præmittuntur, qui omnem animi affectionem lumine mentis carentem insaniam, amentiam, dementiam appellent, adeoque a sapiente removeant, cap. 4, 5. Sequuntur Stoicorum argumenta breviter adstricta, cap. 6-9. Quibus expositis latius ea dicit, sed ita ut sententiis utatur eorum potissimum, qui maxime forti et virili utebantur ratione atque sententia. Itaque Peripateticorum rationem qui mediocritates perturbationum probent, sibi placere negat, cap. 10. Ostendit autem omnis ægritudinis non modo, verum ceterarum etiam animi perturbationum causam esse ab opinione repetendam; et ægritudinis quidem ab opinione magni mali, cujus hanc definitionem proponit : esse opinionem magni mali præsentis, et quidem recentem opinionem talis mali, ut in eo rectum esse videatur angi, cap. 11. Ex hac igitur definitione in tres partes abit disputatio, quarum prima docet, ægritudinem esse ex opinione mali, cap. 13; in qua Epicurum refellit, qui ipsam opinionem esse ægritudinem contendit, et Cyrenaicos, qui non nisi inopinatum malum ad ægritudinem valere putant, quod, quamquam insperata sint graviora, et ipsa præmeditatio ægritudinem minuat, ut merito reprehendantur Epicurei, qui istam præmeditationem reprehendunt, c. 16; et cogitationes potius ad voluptates traducant corporis, aut quæ propter corpus, vel recordatione, vel spe cogitentur, cap. 17-21; tamen in isto non sint omnia, quum et nec opinatorum natura considerata intelligatur, propterea tantum magna videri, quod quanta sint, considerandi spatium non detur, et quasi culpa contractum omne non provisum malum videatur, cap. 22. Altera parte re-

futatur opinio eorum, qui putent ad officium pertinere, ægre ferre quod acciderit; qua ex opinione efficiatur gravis ægritudinis perturbatio, orianturque varia et detestabilia genera lugendi. Ex hoc ipso autem intelligi voluntate susceptam esse ægritudinem. Nihil autem esse, quod plus valeat ad ponendum dolorem, quam quum est intellectum nihil profici et frustra esse susceptum. Et quum multi multa sæpe perpessi facilius ferant, quidquid acciderit, ita ut ipsa defatigatio miseriarum ægritudines faciat leniores, intelligi, opinionem illam, non rem ipsam atque causam fontem esse mœroris. Quod confirmatur philosophorum exemplo, qui quum intelligant, se nondum sapientiam consequutos esse, tamen in hoc malo ægritudine non premantur, quia nulla admisceatur opinio officiosi doloris, cap. 23-28. His expositis adduntur nonnulla ad refutandam Crantoris sententiam, qui cedendum censuerit dolori, quia quum sit naturalis, naturæ obsisti nullo modo possit, cap. 29, 30. Tertia parte disseritur de eo, quod Zeno ad definitionem ægritudinis hoc addiderit, ut illa opinio mali præsentis sit recens; in quo ille non tantum illud recens esse velit, quod paullo ante acciderit, sed quam diu in illo opinato malo vis quædam insit, et vigeat, et habeat quamdam viriditatem, tamdiu illud appellet recens. Quo ipso utitur ad exponenda officia consolantium, variasque philosophorum de generibus consolandi sententias enumerandas, cap. 31-34.

M. T. CICERONIS
TUSCULANARUM QUÆSTIONUM
AD M. BRUTUM
LIBER TERTIUS.

DE ÆGRITUDINE LENIENDA.

I. Quidnam esse, Brute[1], causæ putem, cur, quum 1
constemus ex animo et corpore, corporis curandi
tuendique causa quæsita sit ars, ejusque[2] utilitas
deorum immortalium inventioni consecrata[3]; animi
autem medicina, nec tam desiderata sit, antequam

I. 1. *Quidnam esse, Brute... tum res acta sic est.* Singula procemii hæc sunt : § 1. Quænam causa fuit, cur, quum corporis curandi rationem omni tempore homines quæsivarint, animi medicina ab illis tantopere neglecta sit ? — § 2. De causis morborum animi, nimirum educatione, institutione, lectione poetarum, fama populari, deque necessitate curationis. — § 5. Morbi animi sunt perniciosiores et plures, quam corporis. — § 6. Philosophia solum tamquam inventum animi iis mederi potest. Naid.

2. *Quæsita sit ars, ejusque utilitas*, etc. Sic post Lamb. Wolf. Schütz. Naid. nisi quod Schütz. interpungit post *utilitas*. Davisius scribit « quæsita sit ars ejus, atque utilitas ». P. Manut. « quæsita sit ars, atque ejus utilitas ».

3. *Deor. immort. inventioni consecrata.* Buh. corrigebat *inventione;* sed hac lectione certum foret, eam artem a diis inventam fuisse, quod certe non voluit Cicero dicere : dicere voluit eam fuisse inventioni divinæ religione hominum attributam, assignatam. — Ciceronianæ similis est ἔννοια Plutarchi περὶ παιδαγ. pag. 7, D. Sane medicina : « Diis primum inventores suos assignavit et cælo dicavit », ut ait Plinius H. N. XXIX, 1. Hinc illam θεῶν παίδευμα vocat Lucianus in Abdic. tom. I, pag. 724. Apollo autem præcipue denotatur et Æsculapius. Vide sis, inter alios, Galenum Protr. ad artes, cap. 1; Platonem in Sympos. pag. 325; Theodoretum Therap. I, init. Quintilianum Inst. III, 7; denique Martianum Capellam, lib. II, pagg. 39, 40. Davis.

inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? An quod corporis [4] gravitatem [5] et dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non sentimus? Ita fit, ut animus de se ipse tum [6] judicet, quum
2 id ipsum, quo judicatur [7], ægrotet [8]. Quod si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce cursum vitæ conficere possemus; haud erat sane, quod quisquam [9] rationem et doctrinam requireret. Nunc parvulos nobis dedit

4. *An quod corporis.* An sc. forsan ea est causa? Sensus est: animus, qui est facultas judicandi, de corporis morbis judicat; vice versa corpus de animi morbis judicare nequit. Quod si animus ægrotat, solus est animus, qui de morbo suo judicare potest; quum vero ægrotet, id est, recte judicare non queat, judicium ejus de se ipso tum etiam pravum esse debebit. Nam.

5. *Corporis gravitatem.* Ea fit quum languescat corpus, et quasi quodam pondere prematur, ut membra suis ægre fungantur muneribus. Pari modo loquitur Noster de Fin. IV, 12, nec alio bonæ notæ scriptores. Celsus, Medic. lib. I, Præf. 19: « Magisque ut conquiescat iisdem aut locis aut temporibus, si quis gravitatem corporis sentit ». Et cap. 10: « Si qua gravitas in corpore est, tum neque mane surgendum, neque pedibus nudis ambulandum est ». Vide et lib. II, cap. 7, pag. 65. Similiter Græci. Porphyrius de Abstin. lib. I, cap. 51: Ἃ δ' ἂν συνεφελκύσηται ἡ παρασκευὴ ἐμπόδια ἐκ τῆς τοῦ ΣΩΜΑΤΟΣ ΒΑΡΥΤΗΤΟΣ, etc. Plutarchus de sanit. tuend. tom. II, pag. 127, D. ΒΑΡΥΤΗΤΕΣ καὶ κόποι, φησὶν Ἱπποκράτης, αὐτόματοι νοῦσον φράζουσι. Idem pag. 128, A, ΒΑΡΥΤΗΤΑ καὶ πλησμονὴν ΣΩΜΑΤΟΣ memorat. Dav. — Bentleius conjicit *pravitatem*, quod variis locis confirmare tentat; sed correctione nihil opus est, quoniam exemplis vulgata quoque firmatur.

6. *De se ipse tum judicet.* Sine causa idonea Buherius præfert lectionem cod. Leid. « de se ipse non tum judicet ». Schütz.

7. *Quo judicatur.* Sic primus emendavit Des. Erasmus; cum quo faciunt Reg. et Pithœan. anteriores enim editi præ se ferebant « quod judicatur ». At non æque felix erat vir summus, quum priorem partem sic refinxerit, « Ita fit, ut animus de se ipso non judicet »: si enim animus de se ipse non judicat, quum ægrotet; nullum omnino de se fert judicium; siquidem homines a primo fere spiritu perturbationibus, quæ morbi sunt animorum, vexantur. Omnino vide Plutarchum, tom. II, pag. 500, F. Dav.

8. *Ægrotet.* Buherius legi vellet *ægrotat.*

9. *Quod quisquam rationem.* Non opus fuisset ratione ac institutione. *Nunc*, quod sequitur, valet: « sed non nisi parvulos, etc. »

igniculos[10], quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis[11] sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum[12]; quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem, et suscepti sumus, in omni continuo pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur; ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Quum vero parentibus redditi[13], demum magistris[14] traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati[15] veritas, et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat.

II. Accedunt etiam poetæ: qui quum magnam spe- 3
ciem[1] doctrinæ sapientiæque præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhærescunt penitus in mentibus. Quum vero eodem[2] quasi maximus quidam

10. *Nunc parvulos nobis dedit igniculos*. Cf. Theodoretus Therap. IV, pag. 56. Cum primis autem eximia sunt, quæ habet Cicero de Legg. lib. I, capp. 12, 17. Dav.

11. *Opinionibusque depravatis*. Davisius *depravati*, notatque: Balliol. Med. et Bak. cum Pall. pr. sec. quint. *depravatos*; quam lectionem nullo suo merito probat Fr. Fabricius; *igniculos* enim *depravatos* fuisse nullus umquam dixit scriptor. — Non hinc certe colligitur scribendum esse *depravati*, quod nos exspectabimus.

12. *Semina innata virtutum*. Eodem fere modo Seneca dicit: « Semina nobis scientiæ natura dedit, scientiam vero non dedit ». Neid.

13. *Parentibus redditi*. Sc. a nutricibus; nam continuo, simul ac pueri a nutricum manibus essent dimissi, tradebantur magistris sive pædagogis. Neid.

14. *Demum magistris*. Davisius scribit *dein magistris*, notatque: Vulgo *demum*. Nos vero MSS Vatic. sequimur; id quod loci ratio postulat. Accedunt fere Reg. et Pithœan. qui *reddit idem* præ se ferunt. — Wolf. et Schütz. Davisium sequuntur. Neid. scribit: « id est, magistris ».

15. *Vanitati*, id est, erroribus.

II. 1. *Qui quum magnam speciem*. In eamdem mentem Noster supra, lib. II, cap. 10; Sextus Empiricus adv. Mathem. pag. 59, ed. Genev. et Boetius Cons. Philos. lib. I, Pros. 1, pag. 9. Ad eum locum vide quæ Ren. Vallinus adnotavit; quæque Jac. Ouzelius ad Minutii Felicis cap. 22, pag. 110. Dav.

2. *Quum vero eodem quasi maximus*. In prima ed. Davis. dederat, « quum vero accedit eodem », Sed idem hanc vocem in posteriori ed. delevit, quam Wolf. Schütz. Neid. a MS Leid.

magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur[3] opinionum pravitate, a naturaque desciscimus[4]: ut nobis optimam naturam[5] invidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil præstantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt. Ad quam fertur optimus quisque; veramque illam honestatem expetens[6], quam unam natura maxime[7] inquirit, in summa inanitate versatur, consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis[8], sed adumbratam imaginem gloriæ. Est enim gloria, solida quædam res

reduxerunt. — Huic similis est alius Tullii locus: qui, quum de poetis ageret, « ad quos quum secessisset, inquit, clamor et approbatio populi, quasi magni cujusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates? » Eum nobis servavit Augustinus C. D. lib. II, cap. 14. Vide sis et Joannem Sarisberiensem Polier. lib. VII, cap. 9, pag. 437.

3. *Inficimur.* Tingimur, maculamur, polluimur opinionibus tamquam maculis inelubilibus. Seneca « vita elui difficile est: non enim inquinati sumus, sed infecti ». Beroald.

4. *A naturaque desciscimus.* Sic Victor. Lamb. Pall. pr. tert. Vatic. Sed Pall. quint sec. « a naturaque desistimus »; quart. « a naturaque cedimus ». Vulgo adjiciunt *ipsa* post *naturaque.* Garnarn. — Cod. Norvic. « a naturaque discedimus ».

5. *Optimam naturam.* Davis. « optimam magistram ». Codices, inquit, præbent *optime natura* vel *naturam.* Nos Cl. Bentleii conjecturam repræsentamus, et ita loqui solet Noster. Vide sis ad lib. I de Legg. cap. 12. — Gronov. e codd. lect. *optime natura* colligit « ut nobis optimæ naturæ inv. » ut apud Horat. lib. II, Sat. VI, « neque illi Sepositi ciceris nec longe invidit avenæ ». Wolf. Schutz. Neid. Bentleium sequuntur.

6. *Veramque . . . expetens.* Et dum veram honestatem vellet obtinere, falsa imagine deceptus consectatur vanam gloriam.

7. *Unam natura maxime.* Quum antea scriberetur « una natura max. » Bentleius observavit: Quid sibi vult *una natura?* an plures sunt? sed *una,* inquiunt, valet sola: quid? an sola natura honestatem expetit: annon et philosophia, recta ratio, virtus? Lege igitur, *quam unam,* id est, solam. Neque aliter ediderunt Manutius et Lambinus: sed Gebhardus codicibus suis mancipatus de textu et loco dejecit. — Bentleium ceteri sequuti sunt.

8. *Nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriæ.* Voci *virtutis,* præeunte doctissimo Bentleio, uncinos circumposuit Davis. quum (ait) manifesto παρέλκῃ, nec a Balliol. agnoscatur. — Ern. Buber. Wolf. Schütz. Neid. et eamdem vocem aut uncis incluserunt aut deleverunt.

et expressa[9], non adumbrata; ea est consentiens laus
bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excel-
lente virtute; ea virtuti resonat, tamquam[10] imago.
Quæ quia recte factorum plerumque comes est, non
est bonis viris repudianda. Illa autem, quæ se ejus 4
imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata,
et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama
popularis, simulatione honestatis formam ejus pulchri-
tudinemque corrumpit. Qua cæcitate[11] homines, quum
quædam etiam præclara cuperent, eaque nescirent
nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt
suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atqui hi quidem
optima petentes, non tam voluntate, quam cursus er-
rore falluntur. Quid? qui pecuniæ cupiditate, qui vo-
luptatum libidine[12] feruntur; quorumque ita pertur-
bantur animi, ut non multum absint ab insania, quod
insipientibus contingit omnibus[13], his nullane est
adhibenda curatio? Utrum quod minus noceant animi

9. *Et expressa.* Vocabulum petitum a re statuaria, vel sculptoria; signa enim expressa sunt ea, quæ plane elaborata sunt, ut, quem referant, statim cerni possit. Cœl. 5. Neid.

10. *Ea virtuti resonat, tamquam imago. Quæ quia.* Quum in nonnullis MSS legatur « imago gloriæ; quæ quia »; Jac. Gronovius reponit, « eaque virtuti resonat tamquam imago; gloriaque, quia recte factorum, etc. » Sed pannus ille non præ se fert Ciceronis colorem, vocemque *gloriæ* recte prætermittunt Ursin. Vatic. Pall. pr. tert. *Imago* vero idem valet ac echo. Philargyrius in Virgilii Eclog. IV, 50: « Quæ græce εἰκὼν, latine imago dicitur ». Cicero Tusc. III: « Resonat tamquam imago ». Horatius, Od. lib. I, 12: « cujus resonet jocosa Nomen imago ». Et Od. 20 eod. l. « Redderet laudes tibi Vaticani Montis imago ». Eadem est vocis potestas apud Varronem R. R. lib. III, cap. 16, pag. 122; Valerium Flaccum Argon. III, 597; Statium Silv. I, Carm. III, 18, aliosque. Dav.

11. *Qua cæcitate.* Sc. laborantes.

12. *Voluptatum libidine.* Eliens. pr. « voluptate libidinum ». Med. « libidinum voluptate ». Sic lib. II de Fin. cap. 32: « Ille rex Assyriæ glorietur, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse ». Sed a reliquis libris non est recedendum, quum « voluptatis avidas libidines », et « libidines voluptatis » dixerit Noster de Senect. cap. 12. Davis.

13. *Contingit omnibus, his nullane.* Neid. interpungit « contingit: omnibus his nullane ».

ægrotationes, quam corporis? an, quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit?

5 III. At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis. Hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent, eumque sollicitant; « animusque[1] æger, ut ait Ennius, semper errat, neque pati, neque perpeti potest; cupere numquam desinit ». Quibus duobus morbis (ut omittam alios) ægritudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviores? Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit, quum ipsam medicinam corporis animus[2] invenerit, quumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valeant[3], nec omnes, qui curari se passi sunt, continuo etiam convalescant; animi autem, qui sanari[4] voluerint, præceptisque sapientium paruerint, sine ulla dubitatione sanentur?

6 Est profecto animi medicina, philosophia: cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris; omnibusque opibus et viribus[5], ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est. Quamquam de universa philosophia, quantopere expetenda esset

III. 1. *Animusque æger.* Hæc sunt Enniana, quæ in iambicos trimetros male digessit Hier. Columna Fragm. pag. 302. Hoc modo sub senariorum leges videntur mittenda : « ... Animus æger semper errat, neque pati, Neque perpeti poti'; cupere numquam desinit ». Sic vates ipse Rudius apud Macrobium Saturn. lib. VI, cap. 1 : « Quis potis ingentes oras evolvere belli ». Nec aliter passim vetustiores. Davis. — *Neque pati, neque perpeti potest.* Intellig. minimo dolore frangitur.

2. *Corporis animus inv. Animus* abest a cod. Leid. idque melius abesse putat Buherius.

3. *Natura valeant.* Wolfius et Neid. *valeat.*

4. *Qui sanari vol.* Davisius « qui se sanari ». Secundam, inquit, voculam prætermisit Gebhardus, Victorium secutus. Eam nos fide MSS revocandam duximus. — Cum Davisio Wolf. Schütz. Neid. faciunt.

5. *Omnibusque op. et virib.* Sic Med. et Balliol. Petr. autem duas ultimas voces prætermittit. Vulgo : « omnibusque opibus, viribus ». Ven. 1491, « omnibusque opib. viribusque ». Nec aliter Steph. ac Lambin. Gronovius malebat « omnibus opibus, viribusque ». Nostram lect. Davis. Schütz. Neid. sequuntur.

et colenda[6], satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio.
De maximis autem rebus nihil fere intermisimus post-
ea nec disputare, nec scribere. His autem libris ex-
posita sunt ea, quæ a nobis cum familiaribus nostris
in Tusculano erant disputata. Sed quoniam duobus
superioribus, de morte, et de dolore dictum est, ter-
tius dies disputationis hoc tertium volumen efficiet.
Ut enim in Academiam[7] nostram descendimus, incli- 7
nato jam in postmeridianum tempus die, poposci eo-
rum aliquem, qui aderant, causam disserendi[8]. Tum
res acta sic est.

IV. Auditor. Videtur mihi cadere[1] in sapientem ægritudo. — Cic. Num reliquæ quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiæ[2]? hæc enim fere sunt ejusmodi, quæ Græci πάθη appellant: ego

6. *Quantopere expetenda esset et col.* Dav. e codd. « quantopere et expetenda esset et col. », sequentibus Schütz. et Neid. — *Hortensio.* Hunc Cic. librum, nunc deperditum, legit D. Augustinus, et maxime probavit.

7. *In Acad. nostram.* I. e. locum in Tusculano Ciceronis, in quo disputabatur de rebus philosophicis.

8. *Causam disserendi.* Thema, sive propositionem disputationis philosophicæ. Nein.

IV. 1. *Vid. mihi cadere.* Ponit jam thema disputationis auditor, cadere nimirum in sapientem ægritudinem. Quod quidem enuntiatum Cicero contradictorium putat et παράδοξον; idem enim esse se omnem sapientem insanire, quum omnis perturbatio, ergo etiam ægritudo, sit insania. Subjunguntur quædam spectantia ad vim vocabulorum: insania, μανία, μελαγχολία, furor. Nein.

2. *Formidines, libidines, iracundiæ?* MSS summo consensu hanc lectionem repræsentant. Postrema tamen vox interpretibus haud placuit, quod iracundiam libidini subjiciat Cicero: quod quum ex aliis locis, tum ex Tusc. lib. IV, cap. 7, manifestum est. Quum itaque quatuor sint perturbationes, ægritudo, metus, libido, et voluptas; doctis viris non fit credibile nostrum, prætermissa quarta, tertiæ partem adjecisse. Non autem Tullius ait, se perturbationes hic ἀκριβῶς numerasse, locaque sunt alia gravissimi scriptoris, quæ satis ostendunt non esse cur a codicibus recedatur. Sic hujusce libri cap. 5: « Exisse ex potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine aut iracundia ». Et Offic. lib. I, cap. 30: « Vacandum autem est omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam ægritudine et voluptate animi, et iracundia ». Iterum cap. 29: « Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui libidine aliqua aut metu commoti sunt ». Quintil. Instit. V,

poteram[3] morbos, et id verbum esset e verbo; sed in consuetudinem nostram non caderet[4]. Nam misereri, invidere, gestire, lætari, hæc omnia morbos Græci appellant, motus animi rationi non obtemperantis[5]: nos autem hos eosdem motus concitati animi, recte, ut opinor, perturbationes dixerimus; morbos autem non satis usitate; nisi quid aliud tibi videtur. — AUD. Mihi vero isto modo. — CIC. Hæccine

8 igitur cadere in sapientem putas? — AUD. Prorsus existimo. — CIC. Næ ista gloriosa sapientia non magno æstimanda est, si quidem non multum differt ab insania. — AUD. Quid? tibi omnisne animi commotio videtur insania? — CIC. Non mihi quidem soli: sed, id quod admirari sæpe soleo, majoribus quoque nostris hoc ita visum intelligo multis sæculis ante Socratem; a quo hæc omnis, quæ est de vita et de moribus[6], philosophia manavit. — AUD. Quonam tandem modo? — CIC. Quia nomen insaniæ significat mentis ægrotationem et morbum [id est, insanitatem, et

8: « Si forte quid factum ira, vel metu, vel cupiditate dicatur ». Vide sis et VII, 2. Audiendus igitur non est Fr. Fabricius, qui « libidines, jucunditates »; multo autem minus D. Lambinus, qui « libidines, cupiditates » rescribit: nam horum verborum eadem plane est potestas, quemadmodum docet Noster infra, cap. 11; quapropter ejus conjectura morbo, si qui sit, nullam adfert medicinam. DAVIS.

3. *Ego poteram.* Potuissem vertere vocabulum πάθη per *morbi*. Ceterum eadem iisdem fere verbis leguntur de Fin. B. et M. III, 10, § 35. NEID.

4. *In consuetudinem nostram non caderet.* Nostræ loquendi consuetudini non consentaneum esset. NEID.

5. *Non obtemperantis.* Sic Davis. item Buherius e MS Reg. et Wolf. Schütz. Neid. Vulgo *obtemperantes.*

6. *Omnis, quæ est de vita et de moribus.* Quum, qui Socratem ætate præibant, philosophi res physicas præcipue tractarent, is primus in ethica totum studium collocavit, ut tradit Diogenes Laertius, lib. II, § 20, ubi plura congessit Æg. Menagius. Fallitur autem vir ille doctus, quum sic loquitur: « Etiam Themistius Orat. XV, philosophiam sparsim habitantem coegisse atque in unum contraxisse sit, quemadmodum Athenas Theseus ». Locus, quem in animo habuit, exstat Orat. XXVI, pag. 318, ed. Harduin. nec de Socrate vel dicitur vel dici potuit, sed de Platone,

ægrotum animum, quam appellarunt insaniam [7]. Omnes autem perturbationes animi, morbos philosophi appellant; negantque, stultum quemquam his morbis vacare: qui autem in morbo sunt, sani non sunt; et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt. Sanitatem enim animorum, positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuam, appellarunt insanam [8], propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non posset [9]. 9

V. Nec minus illud acute, quod animi affectionem, lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam, eamdemque [1] dementiam. Ex quo intelligendum est, eos, qui hæc rebus nomina posuerunt [2], sensisse hoc 10

qui de rebus dialecticis, physicis, ethicis agebat. Præcessit vero luculentum de Socratica philosophandi ratione testimonium, cui plura similia aliis intacta queant adjungi. Vide sis Libanium Orat. XXIX, pag. 640; Lactantium Div. Inst. lib. III, cap. 13; Hieronymum in Rufin. lib. III, pag. 534; Augustinum C. D. VIII, 3; Senecam Epist. LXXI; Eusebium Præp. Evang. lib. I, cap. 8, et lib. XV, cap. 62; denique Theodoretum Therap. IV, pag. 60. Vide sis ad lib. V, cap. 4. Dav.

7. *Id est, insanitatem ... insaniam.* Cum præstantissimo Bentleio, ea omnia quæ cincta sunt uncis, insititia judico. Dav. — Ern. Wolf. Neid. hæc uncis incluserunt, Schütz. expunxit.

8. *Appellarunt insanam.* Vulgo *insaniam*, nec aliter codices. Emendationem tamen Hadr. Turnebi, quam proposuit Advers. lib. II, cap. 6, lubens equidem sum amplexus. Refragatur quidem D. Lambinus, et *insaniam* male tuetur. (Scilicet præcipue Turnebo objicit Lambinus quod hic Noster v. *insaniam* præce. « sanitatem ... censebant » opposuerit, ita ut *sanitati* respondere debeat *insania.*) Certe mentem tranquillitate constantiaque vacuam, non *insaniam*, sed *insanam*, nominamus. Dav. — Schützius et Neid. *insaniam* reposuerunt.

9. *Propterea quod ... non posset.* Sic Schütz. Neid. Contra Davis. Oliv. *non possit*, quod habuit Gebhard. qui notat: Diversum abit Fabr. « quod in perturbatione animi, sicut in corpore perturbato, sanitas esse non possit », quod non probo. Codex Cantabr. exhibet: « propterea quod in perturbato corpore sanitas esse non possit ».

V. 1. *Amentiam, eamdemque.* Hæc absunt a Fabr. probante Gebhard.

2. *Eos, qui hæc rebus nomina posuerunt.* Ursini liber *imposuerunt*: quod vulgato quidem est usitatius, non vero rectius, ut male vult eruditus ille vir. Horatius Serm. II,

idem, quod a Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt[3], omnes insipientes esse non sanos. Qui enim animus est in aliquo morbo[4] (morbos autem, hos perturbatos motus, ut modo dixi, philosophi appellant), non magis est sanus, quam id corpus, quod in morbo est. Ita fit, ut sapientia, sanitas sit animi; insipientia autem, quasi insanitas quædam, quæ est insania[5], eademque dementia: multoque melius hæc notata sunt verbis latinis, quam græcis: quod aliis quoque multis locis reperietur. Sed id alias: nunc,
11 quod instat. Totum igitur id, quod quærimus[6], quid et quale sit, verbi vis ipsa declarat. Eos enim sanos quoniam[7] intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit: qui contra affecti sunt, hos insanos appellari necesse est. Itaque nihil melius, quam quod est in consuetudine sermonis la-

Sat. IV, 1: « ... non est mihi tempus aventi Ponere signa novis præceptis ... » Cicero N. D. lib. I, cap. 17: « Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina ». Porro de stultorum insania vide Senecam Benef. II, 35; Laertium, VII, 124; Horatium Serm. lib. II, Sat. III, 43, aut Just. Lipsium Manud. lib. III, Diss. 20. Id autem disputat Socrates apud Platonem in Alcib. II, pag. 39. Dav.

3. *Retinuerunt.* MS Leid. teste Buherio *tenuerunt.*

4. *Qui enim animus est in aliquo morbo.* Non est incommoda hæc quidem lectio: sed Veneta, « quis enim sanus est in aliquo morbo? » intellectu sustentanda: animum ut sentiamus in morbo dici non magis sanum esse, quam corpus in ægrotatione. Camar. —Pall. pr. quint. Viet. « quis est enim sanus in aliquo morbo ». Pal. quart. « quid est enim animus et in aliquo morbo »: sed vulgatam defendit juncto umbone cetera MSS. et editionum cohors. Gebhard.

5. *Quæ est insania, eademque dementia.* Nonius Marcell. v. *insanitas*, cap. 2, legit « quæ esset insania »: verum libri calamo exarati et typis excusi, stant a vulgata lectione, quæ quidem longe, nisi fallor, alteri est præferenda. Davis. — Ern. vv. « quæ est insania », Wolf. et Neid. simul cum iis vv. « eademque dementia », uncis inclusere ut spuria. Schützius utrumque delevit.

6. *Id, quod quærimus.* Omnem, qui perturbato sit animo, etiam insanum esse. Neid.

7. *Quoniam intelligi necesse est.* Ita recte Gryphian. Reg. Pall. tres, et Vatic. Vulgo primam vocem rejiciunt. Dav. — Etenim *quoniam* post Lambinum Gebhardus omiserat, quia aberat a Pall. duobus et ed. Viet.

tini, quum exisse ex potestate[8] dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine, aut iracundia. Quamquam ipsa iracundia, libidinis est pars : sic enim definitur iracundia, ulciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est. Græci autem μανίαν unde appellent[9], non facile dixerim. Eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quam illi. Hanc enim insaniam, quæ juncta stultitiæ[10] patet latius, a furore disjungimus. Græci volunt illi quidem[11], sed parum valent verbo : quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant. Quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur. Quo genere Athamantem, Alcmæonem, Ajacem, Orestem furere dicimus : qui ita sit affectus, eum domi-

8. *Exisse ex potestate.* Hadr. quidem Turnebo lubens adsentior, qui lib. II Advers. cap. 11, hanc locutionem ex eo natam putat, quod furiosi non in sua, sed in agnatorum et gentilium erant potestate. Dein vero usus invaluit, ut ii « ex potestate exisse », aut, ut loquitur Sulpicius Severus Dial. III, cap. 16 : « in sua se non habere potestate » dicerentur, quos vehemens aliqua perturbatio tenebat : quoniam οὐδεὶς ἐλεύθερος ἑαυτοῦ μὴ κρατῶν, ut ait Demophilus in Sentent. pag. 623. Tullius haud ita multo post : « Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis ». Ac iterum lib. IV Tusc. cap. 36 : « Iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente ». Seneca de Ira, lib. I, cap. 12 : « Venitque in alienam potestatem, dum in sua non est ». Vide et lib. III, cap. 12, ac Ciceronem Philipp. VI, cap. 2. Dav.

9. *Græci autem μανίαν unde appellent.* Varias hujusce vocis Etymologias tradidit Cæl. Aurelianus Morb. Chron. lib. 1, cap. 5, pag. 325. Vide sis Hadr. Junium Anim. IV, 7. Dav. — Ceterum Davis. Oliv. *appellant.*

10. *Quæ juncta stultitiæ.* Fortasse junctus h. l. idem sibi vult ac *cognatus, affinis.* Nern. — Non idem nobis videtur. Cicero addit « quæ juncta st. pat. l. » ut hanc *insaniam*, quæ non est solum insania philosophica, eo sensu de quo modo disseruit, sed quæ præterea continet stultitiam, ab ea insania philosophica distinguat.

11. *Græci volunt illi quidem.* Primam vocem a librariis adjectam puto. Certe omnino est supervacanea. De re ipsa vide Cæl. Aurelianum Morb. Chron. 1, 6. Dav. — *Volunt illi quidem.* Arrogant sibi quidem, se copia

num esse rerum suarum[12] vetant duodecim Tabulæ[13]. Itaque non est scriptum, SI INSANUS, sed SI FURIOSUS ESCIT[14]. Stultitiam enim censuerunt, inconstantiam, id est, sanitate vacantem[15], posse tamen tueri mediocritatem officiorum[16], et vitæ communem cultum[17], atque usitatum. Furorem autem esse rati sunt, mentis ad omnia cæcitatem. Quod quum majus esse videatur, quam insania, tamen ejusmodi est, ut furor

verborum notionum diversitatem exprimere posse. DAV.

12. *Dominum esse rerum suarum.* Rei familiaris, qua administranda ei interdicitur.

13. *Vetant duodecim Tabulæ.* His verbis : « Si furiosus exsistit, agnatum gentiliumque in eo pecuniaque ejus potestas esto ». Vide lib. I ad Herenn. cap. 13, et lib. II de Invent. cap. 50. DAVIS.

14. *Si furiosus escit.* Sic Wolf. Schütz. Neid. At Davis. Oliv. ut vulgo « si furiosus esse incipit ». De re Buherius observat : In farragine Nonii Marcelli, v. *Furor*, ubi hæc describuntur verba Ciceronis, legere est : « Si furiosus esset ». Atenim et hic et illic rescribendum est, *escit*, quod proprium est verbum XII Tab. Illud *esse incipit*, glossema est, ut vocant, quod e margine in contextum irrepsit. Adhibenda est eadem correctio de Divinat. II, 50, ubi videmus, « Si furiosus est », et Rhetoric. ad Herenn. I, 13 : « Si furiosus exsistit ». Quæ scribendi varietas scriptorum inconstantiam erroremque arguit.

15. *Stultitiam enim cens. inconstantiam, id est, san. v.* Davis. scribit « constantia, id est, san. v. », notatque : Nonius in *furor*, licet in reliquis vulgatam lectionem servet, loco *stultitiæ* tamen *insaniam* repræsentat. Idque rectum censet Paullus Manutius, quum non *stultitia*, sed *insania* et *furor* inter se conferantur. Hoc tamen dato, manifestum restabit vitium; nam saltem vocibus *id est* deletis, legamus oportet « inconstantiam sanitate vacantem »; quod in suo libro fuisse testatur Ursinus. Re tamen vera Ciceronis manum servavit Vatic. quem cum Cl. Bentleio sequor; nec opus est ut *insaniam* legamus, quum ipsa *stultitia* sit insania. Vide supra cap. 4, seq. — Davisium Schütz. sequitur. Neid. scribit « insaniam enim censuerunt, constantia, id est, s. v. »

16. *Tueri mediocritatem officiorum.* I. e media officia. Intelligebant nimirum Stoici sub officiis mediis ea, quæ legi consentanea quidem, neque tamen ex obedientia erga legem, momentis aliunde sumptis, profecta erant. Cf. de Off. I, 3. NEID. — Haud scio an hoc philosophico sensu Noster vv. « mediocritatem officiorum » posuerit; an potius notare voluerit ea officia quæ societati colendæ sufficiunt, ut vv. seqq. designant ea quæ ad victum pertinent. Aliter has voces interpretatur Neid. Vid. not. seq.

17. *Vitæ communem cultum atque usitatum.* Sunt actiones legales, quibus peragendis societati quidem satisfit, quæ vero non exsistunt ex animo veri honesti studioso. NEID.

in sapientem cadere possit, non possit insania[18]. Sed hæc alia quæstio est: nos ad propositum revertamur.

VI. Cadere, opinor[1], in sapientem ægritudinem 12 tibi dixisti videri. — AUD. Et vero[2] ita existimo. — CIC. Humanum id quidem[3], quod ita existimas: non enim silice nati sumus; sed est natura fere[4] in animis tenerum quiddam atque molle, quod ægritudine, quasi tempestate, quatiatur. Nec absurde[5] Crantor ille, qui in nostra academia vel in primis fuit nobilis, « Minime, inquit, assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant: quæ nec potest ulla esse, nec debet. Ne ægrotus sim[6], inquit: sed si fue-

18. *Furor in sapientem cadere possit, non possit insania.* Stoici sapientem statuerunt οὐ μανήσεσθαι, προσπεσεῖσθαι μέντοι ποτὲ αὐτῷ φαντασίας ἀλλοκότους διὰ μελαγχολίαν ἢ λήρησιν. Vide Laertium, VII, 118. DAV.

VI. 1. *Cadere, opinor... medendi facultatem reperiemus.* Probare jam annititur Cicero, diversimode quidem, sed ubique ex rationibus Stoicis, ægritudinem non cadere in sapientem. Nbin.

2. *Et vero.* Sic P. Manut. correxit e libro Sigonii, quum vulg. scriberetur *ego vero.*

3. *Humanum id quidem.* Ab homine exspectandum, hominibus usitatum et naturale. Ern.

4. *Sed est natura fere in animis.* Olim alii *naturale :* alii « naturabile in animis », quod Davis. in prima ed. dederat ex Pall. tribus, Pith. Fabric. admoto loco de Amicitia, cap. 21, ubi *naturabili* legitur. Sed multum abest ut vel in hoc loco scripti consentiant. Itaque Davisius a Bentleio sic monitus est: Qualis, dii boni, oratio! « Est naturale (vel *naturabile*) tenerum quiddam et molle ». Apage istam scabiem et porriginem ab homine omnium cultissimo. Quis, qui Ciceronem umquam triverit, non sic potius scripsisse dejeraverit? « Est natura tenerum quiddam et molle ». Quare sic corrigendus est totus locus: « Sed est natura fere in animis tenerum quiddam, etc. » Ita in Tuscul. II, 20, loco huic simillimo et plane gemello, « Est in animis omnium fere natura molle quiddam, etc. » Quare ipsum Ciceronem, optimum ducem, sequamur, et vapulent librarii. — Inde Davisius in posteriori ed. Bentleio obtemperavit, idem sqq. Ern. Wolf. Schütz. Neld.

5. *Nec absurde.* Aliquam speciem veri habent, quæ Crantor dicit. Locus e Crantoris Commentario de luctu exstat apud Plutarchum in Παραμυθικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον, tom. VII, ed. Hutt. p. 317. Nesu. — Non omnino probat Noster Stoicorum opiniones.

6. *Ne ægrotus sim, inquit: sed si fuerim, sensus adsit.* Magna est MSS discrepantia, nec eorum vel unus, quoad constat, receptam lectionem tuetur. Ven. 1491. « nec ægroto etiam, nisi iis qui ferat sensus absit ».

rim, sensus adsit, sive secetur quid, sive avellatur a corpore. Nam istuc nihil dolere, non sine magna mercede[7] contingit, immanitatis in animo, stuporis
13 in corpore ». Sed videamus, ne hæc oratio sit hominum assentantium nostræ imbecillitati, et indulgentium mollitudini : nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. Tamen aliquid relinquetur fortasse : ita sunt altæ stirpes stultitiæ. Sed relinquetur id solum, quod erit necessarium. Illud quidem sic habeto, nisi sanatus animus sit, quod sine philosophia fieri non potest, finem miseriarum nullum fore. Quamobrem, quoniam cœpimus, tradamus nos ei curandos : sanabimur, si volemus. Et progrediar quidem longius : non enim de ægritudine solum, quamquam id quidem primum, sed de omni animi, ut ego posui,

Froben. « nec ægroto etiam nisi iis qui ferat sensus adsit ». Corruptissime. Pal. quart. Petrens. Cantabr. habent, « nec ægrotassem, si, inquit, fuerat sensus, adsit » : sic et Vatic. at in eo superscriptum, « si, inquit, fuat sensus, adsit ». Pal. pr. secund. « si is qui fuerat sensus assit » : nec aliter tert. ad. marginem ; in textu vero, « si, inquam, id fuerat ». Quint. « nec ægrotis est, si iis qui fuerat sensus adsit ». Ex hac varietate doctius aliquid subesse ratus Jac. Gronovius, legendum conjecit « ne ægrotassim, inquit ; sin fuerit, sensus adsit ». Priorem partem jamdudum occupaverat Pet. Victorius, cui placet « ne ægrotassim, sin quid fuerit, sensus adsit ». Sed totam hanc emendationem recipere non audeo ; quum *si quid fuerit*, vel *acciderit*, non nisi de morte κατ' εὐφημισμὸν dicatur, ut ostendimus ad lib. I Tusc. cap. 43 ; vid. et Th. Munckerum ad Hygini Fab. CIX. Scribendum puto : « ne ægrotassim ; sin id fuerit, sensus adsit ». — Hæc Davis. in prima ed. postea sententia mutata cum Victorio edidit « ne ægrotassim ; sin quid fuerit, sensus adsit », fretus codd. Reg. Med. Pith, aliisque jam citatis, qui habent « nec ægrotassem ; si inquit », vel « inquid, fuerat, sensus adsit ». Nempe in *si inquit* aliquid latere putaverant, quia inutilis est repetitio v. *inquit*, jam supra positæ. Wolfius post Buberium, sequentibus Schütz et Neid. edidit : « ne ægrotus sim ; sin, is, qui fuerat, sensus adsit ». Cf. Plutarch. Consol. ad Apoll. p. 102, ubi invenies nostro loco aptissime respondentia.

7. *Non sine magna mercede.* Quod si enim homo aliquis eo pervenisset, ut nihil doleret, is omnis humanitatis jacturam fecisset, et hoc foret magnum detrimentum. Nein.

perturbatione, morbo[8], ut Græci volunt, explicabo. Et primo, si placet, stoicorum more agamus, qui breviter adstringere[9] solent argumenta: deinde nostro instituto vagabimur.

VII. Qui fortis est[1], idem est fidens: quoniam con- 14
fidens[2], mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est. Qui autem est fidens[3], is profecto non extimescit: discrepat[4] enim a timendo, confidere. Atque[5] in quem cadit ægritudo, in eumdem timor: quarum enim[6] rerum præsentia sumus in ægritudine, easdem impendentes et venientes timemus. Ita fit, ut fortitudini ægritudo repugnet. Verisimile est igitur, in quem cadat ægritudo, cadere in eumdem timorem, et infractionem

8. *Morbo.* MS Reg. ed. Rob. Steph. *morbove*, unus Leid. *sed morbo*. Buberio placebat *seu morbo*. SCHÜTZ.

9. *Qui breviter adstringere solent argumenta.* Probare sua decreta arcta syllogismorum serie. NEIN.

VII. 1. *Qui fortis est, idem est fidens.* Buherius malebat, « qui fortis est idem fidens ».

2. *Quoniam confidens.* Sensus est: Ego vocabulo *fidens* uti malo quam *confidens*, quod ultimum mala loquendi consuetudine significat idem ac audax, temerarius. Cf. Terent. Phorm. act. I, sc. 2, 73. Est parasitus quidam Phormio homo confidens. Fidens contra est laudis, inde quoque fidentiam firmam animi confisionem definit lib. IV, 80. NEIN.

3. *Qui autem est fidens.* Emendandus est Nonius Marcellus, qui v. *confidentia*, cap. 5, pag. 733, hunc locum sic laudat, « qui autem est confidens »: at receptam lectionem tuentur quum res ipsa, tum omnia Ciceronis exemplaria.

4. *Discrepat.* Plane contrarium est. Sequitur prima argumentatio enuntiati, « Ægritudo non cadit in sapientem ». Qui fortis est, est fidens; qui fidens, nihil timet. Qui timet, is quoque ægritudini obnoxius est, ergo est servus. Servire autem non cadit in virum fortem, ergo etiam non ægritudo. Nemo autem sapiens nisi fortis, ergo non cadit ægritudo in sapientem. NEIN.

5. *Atque in quem cadit.* In prima ed. Davis. dederat *atqui*, observans: In vulgg. erat *atque*: nos autem fide MSS Norvic. Petrens. ac edd. Ven. 1491, et Frob. veram scripturam restituimus, ut patebit iis, qui conficiendi syllogismi rationem non prorsus ignorant. — Postea tamen Davis. vulgatam restituit. Paullo ante Nonius Marcellus « a timendo fidens ». Inde Buherius legere malebat « a timendo fidere »?

6. *Quarum enim rerum præsentia.* Inter ægritudinem et timorem nil interest, nisi ut illa ad mala præsentia,

quamdam[7] animi, et demissionem. Quæ in quem cadunt, in eumdem cadit, ut serviat, ut victum[8] se quandoque esse fateatur. Quæ qui recipit; recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam. Non cadunt autem hæc in virum fortem. Igitur ne ægritudo quidem. At nemo sapiens, nisi fortis. Non cadit[9] ergo in sapientem ægritudo.

Præterea necesse est[10], qui fortis sit, eumdem esse magni animi: qui magni animi sit[11], invictum: qui invictus sit, eum res humanas despicere, atque infra se positas arbitrari. Despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest. Ex quo efficitur, fortem virum ægritudine numquam affici.

hic ad mala futura pertineat. Nærd.

7. *In quem cadat ægritudo, cadere in eumdem timorem, et infractionem quamdam animi.* Davisius dedit *quidem* pro *quamdam*, observans: Sic primus edidit Janus Gebhardus. Ante eum vulgati exhibebant « in quem cadit ægritudo, cadere in eumdem timorem et infractionem quamdam animi »; ac eum jis facit Petrens. Alteram vero lectionem repræsentant plures MSS, et in his optimus Norvic. eamque præstat Nonius Marcellus, qui hunc locum affert cap. II, pag. 553, ubi docet *infractionem* torporem denotare.

8. *Ut victum se quandoque esse fateatur.* Stamus pro vulgata: quam tuentur una nobiscum Victorius, Pal. pr. sec. quart. quint. licet Lambinus « victum aliquando esse se fateatur » propugnet, quod ferme est in Vatican. Diversitas in hoc *se esse*. Palat. tert. « victum si quandoque se esse ». Gebhardus. — Palatini tertii scriptura confirmatur codice regio Loparensi. Sic Lambinus suam lect. tuetur: Nostros libros vett. MSS sequutus sum, quorum quidam sic plane habent: « ut victum si quando esse se fateatur ». Quis non videt hoc *si quando* esse depravatum, et ab errante librario scriptore pro *aliquando* esse scriptum? *quandoque* porro nullo in MS reperi, quod certo argumento esse potest hanc vocem non esse Ciceronis. Davisius scripsit « ut victum si quando se esse fateatur », fretus codd. Reg. et Pith.

9. *Non cadit ergo.* Vulgg. « non cadet ergo »: nos autem fide MSS Norvic. Petrens. et Cantabr. in futuri locum, præsens substituimus. Dav.

10. *Præterea necesse est.* Secunda argumentatio. Qui fortis est, est magni animi; qui magni animi, est invictus; qui invictus, despicit res humanas; qui ægritudine afficitur, non despicit res humanas, ergo est non invictus, non magni animi, non fortis, ergo non sapiens: ægritudo ergo in sapientem non cadit. Nærd.

11. *Qui magni animi sit, invictum: qui invictus sit.* Sic Vict. Pal. pr. sec. quint. Contra Fabr. Pal. tert. et quart. « qui fortis sit, eumdem esse magni

Omnes autem sapientes, fortes. Non cadit igitur in sapientem ægritudo. Et quemadmodum[12] oculus conturbatus, non est probe affectus ad suum munus fungendum; et reliquæ partes, totumve corpus statu quum est motum, deest officio suo et muneri: sic conturbatus animus, non est aptus ad exsequendum munus suum. Munus autem animi est, ratione bene uti: et sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur. Numquam igitur est perturbatus. At ægritudo, perturbatio est animi. Semper igitur ea sapiens vacabit.

VIII. Veri etiam simile[1] illud est, qui sit tempe- 16
rans[2], quem Græci σώφρονα appellant, eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnumquam etiam modestiam; sed haud scio, an[3] recte ea virtus frugalitas appellari possit, quod angustius[4] apud Græcos valet; qui frugi homines χρησίμους appellant[5]; id est, tantummodo utiles. At illud est

animi; sive invictum, qui invictus sit ». Vatic. « qui autem magni animi sit ». Vulgo geminum *sit* omittunt. Gebhard.

12. *Et quemadmodum*. Tertia argumentatio. Animus conturbatus exsequi munus suum non potest; munus animi est ratione bene uti, sapientis animus autem ratione optime utitur; qui ratione optime utitur, numquam est perturbatus, perturbatio animi est ægritudo, ergo vacat sapiens ægritudine. Nein.

VIII. 1. *Veri etiam simile*. Quarta argumentatio. Qui est temperans (sive frugi, moderatus) est etiam constans; qui constans, quietus; qui quietus perturbatione, ergo etiam ægritudine vacuus. Jam vero illa sunt sapientis, ergo aberit a sapiente ægritudo. Nein.

2. *Qui sit temperans*. Sequi statim debebat: eum necesse est esse constantem, quod demum § 18 post satis longam parenthesin a verbis « quem Græci » usque ad « nihili dicitur », sequitur. — Sequitur digressio de significatione aliquot vocabulorum, quæ fere synonyma τοῦ *temperans* videntur. Ceterum plura anacolutha hic sese invicem excipiunt, sive potius parentheses parenthesibus insertæ sunt. Nein.

3. *Haud scio, an*. Fortasse, inquit Cicero, σωφροσύνη rectius latine *frugalitas* verti posset, quam *temperantia*. Nein.

4. *Angustius ... valet*. Angustioris est significationis. Nein.

5. *Frugi homines χρησίμους appellant*, etc. Glossæ veteres: *Frugalis*,

latius[6]. Omnem enim abstinentiam, omnem innocentiam (quæ apud Græcos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest ἀβλάβειαν[7]; nam est innocentia, affectio talis animi, quæ noceat nemini), reliquas

χρήσιμος. Donatus ad Terentii Eunuch. act. III, sc. v, 60 : « Frugi utilis et necessarius, ut fruges humano generi. Frugi est ergo, in quo est aliquid, quo fruamur, id est, utamur ». His gemina germana repetit idem Grammaticus ad act. IV, sc. vii, 46. At recte monet Tullius, hanc vocem interdum latius patere. Sic et Tusc. IV, 16 : « Intelligitur qualis ille sit, quem quum moderatum, tum temperantem, continentemque dicimus. Nonnumquam hæc eadem vocabula ad frugalitatis nomen tamquam ad caput referre volumus. Quod nisi eo nomine virtutes continerentur, numquam ita pervulgatum illud esset, ut jam proverbii locum obtineret, etc. » Utramque vocis hujusce potestatem subindicat Quintilianus, Inst. Orat. lib. I, cap. 6 : « M. Cœlius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat), sed quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit dicta frugalitas ». Isidorus Orig. lib. X, pag. 1074 : « Frugalis a fruge nominatus, id est, a fructu vel parsimonia; sive, ut alii volunt, a modestiæ temperantia ». Legendum « a modestia et temperantia ». Res ipsa clamat. Davis.

6. *At illud est latius. Omnem enim abstinentiam, omnem innocentiam.* Sic Ern. Davisius scribit « at illud est latius : omnis enim abstinentia, omnis innocentia », observatque : Manutius edidit, « at illud latius; est enim omnis abstinentia » ; et ita fere D. Lambinus. « Leodegarius a Quercu reposuit, « omnem enim abstinentiam, omnem innocentiam ... reliquas etiam virtutes frugalitas continet ». Ita quidem ad usitatam σύνταξιν revocatur oratio; sed quum MSS lectionem, quam dedimus, unanimi consensu repræsentent, ab iis standum censeo. Certe Veteres initium ab una phrasi facientes, alterius partem nonnumquam subjiciunt; id quod ἀνακόλουθον a Grammaticis vocatur. Terentius Hec. act. III, sc. i, 6 : « Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis objectus labos, Omne quod est interea tempus, priusquam id rescitum est, lucro est ». Incepit tamquam dicturus esset, *lucro habemus*; finivit, quasi dixisset, *nobis omnibus*. Hirtius Bell. Afric. cap. 19 : « Hac spe atque ea audacia inflammatus Labienus, cum equitibus Gallis Germanisque MDC ... in campis planissimis purissimisque ab hora diei quinta usque ad solis occasum est decertatum ». Iterum c. 25 : « Rex Juba, cognitis Cæsaris difficultatibus copiarumque paucitate, non est visum dare spatium convalescendi ». Adi sis Euripid. Hippol. vs. 23, et Phœniss. vs. 290; Ælianum V. H lib. II, cap. 11, ac Dionem Chrysostomum Orat. VII, pagg. 115, 116. Pari modo Noster loquendi modum variavit; etenim si eadem uti ratione perseverasset, in orationis exitu ponendum fuit, « reliquæ etiam virtutes sub frugalitate continentur ». — Cum Davisio Schütz. et Neid. faciunt : Olivetus cum Manutio. — *At illud latius.* Latioris significationis. Neid.

7. *Habere potest* ἀβλάβειαν. Hanc certe vocem postea receperunt Græci.

etiam virtutes frugalitas continet. Quæ nisi tanta es-
set, et si iis angustiis[8], quibus plerique putant, te-
neretur, numquam esset L. Pisonis cognomen[9] tan- 17
topere laudatum. Sed quia nec qui, propter metum,
præsidium reliquit, quod est ignaviæ; nec qui, pro-
pter avaritiam, clam depositum non reddidit, quod
est injustitiæ; nec qui, propter temeritatem, male
rem gessit, quod est stultitiæ, frugi appellari solet:
eo tres virtutes, fortitudinem, justitiam, prudentiam,
frugalitas est complexa; etsi hoc quidem, commune
est virtutum: omnes enim inter se nexæ, et jugatæ
sunt[10]. Reliquum igitur est[11], quarta virtus ut sit ipsa
frugalitas. Ejus enim videtur esse proprium, motus
animi appetentis regere, et sedare, semperque adver-
santem libidini, moderatam in omni re servare con-
stantiam; cui contrarium vitium nequitia dicitur. Fru- 18

Glossarium Græco-Latinum: Ἀθλάβεια, « innoxia, innocentia ». Sic etiam Lexicon illud cujus initium ex bibliotheca S. Lugdunensis exhibuit Cl. Montfalconius Palæogr. Gr. lib. III, cap. 7, pag. 248. Quin et ἀθλαβὴς vox est optimis scriptoribus usitata. Davis.

8. *Si iis angustiis, q. pler. putant, teneretur.* Dicit hoc idcirco, quoniam laus a frugalitate ducta sordere jam cœperat romanis civibus. Ferebant enim se pares regibus, de quibus Noster dixerat (pro Dejotar. cap. 9), « Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege ». Quod ille fastidium statim improbat. At alibi (ad Attic. VII, 4) satis significat, id elogium, in quo Veteres tantum videbant honorificæ commendationis, non aliis tribui solitum esse quam servis aut libertis. Nam Dionysium quemdam postquam appellavit « frugi hominem », subjungit, « ac ne libertinum laudare videar, plane virum bonum ». Bunerius.

9. *Cognomen.* Frugi enim cognominabatur L. Piso, tanta virtute et integritate, ut etiam illis optimis temporibus (circa a. Urb. 604), quum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. Cic. pro Font. c. 13. Neid.

10. *Hoc quidem ... jugatæ sunt.* Habet Nonius in *jugatum*. Dav.

11. *Reliquum igitur est, quarta virtus ut sit ipsa frugalitas.* Vulgo, « reliqua igitur et quarta virtus ut sit ipsa frugalitas »; unde mihi placebat, « reliquum igitur est, quarta virtus ut sit ipsa frugalitas », quod etiam recepi. Eliens. sec. habet, « relinquatur tum ut quarta virtus sit ipsa frugalitas ». Legi possit, « relinquitur, ut quarta virtus sit ipsa frugalitas », quod ad plerorumque codicum lectio-

galitas, ut opinor, a fruge: qua nihil melius e terra. Nequitia[12] (etsi hoc erit fortasse durius, sed tentemus[13]; lusisse putemur, si nil sit) ab eo, quod ne quidquam est in tali homine : ex quo idem, nihili dicitur[14]. Qui sit frugi igitur, vel, si mavis, moderatus et temperans, eum necesse est esse constantem; qui autem constans, quietum; qui quietus, pertur-

nem tantum non accedit, et latinissime dicitur : Cicero Fin. lib. III, cap. 9 : « Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, et si quæ similes earum sunt, relinquitur, ut summum bonum sit vivere, scientiam adhibentem, etc. » Lucretius, V, 793 : » Linquitur, ut merito maternum nomen adepta Terra sit ... » Varro R. R. lib. I, cap. 5 : « Relinquitur, quot partes ea disciplina habeat ut sit videndum ». Vide sis et cap. 16, ac lib. II, cap. 2. Sed nimis interpolatus est is codex quam ut ei soli tuto credatur. Dav. — Davisium Ern. Wolf. Schütz. Neid. sequuntur.

12. *Nequitia ... ab eo, quod ne quidquam est.* Davisius scribit : « nequitia ab eo .... ab eo, quod nec quidquam sit », observatque : Alii *ne quidquam*. Varro L. L. lib. IX, § 5 : » Ex ne et quidquam, media extrita syllaba, coactum est nequam. Itaque ut eum quem putamus esse non hili dicimus nihili; sic in quo putamus esse ne quidquam dicimus nequam ». Sed parvi refert. Hoc igitur misso, vulgata lectio est tuenda, quam temere sollicitavit P. Manutius. Quod voces *ab eo* geminentur, alteram bigam tollendam censet vir ille doctissimus. At, in longiore verborum ductu, vel præterita, vel eorum sensus crebro repetuntur. Cæsar lib. III B. G. cap. 22 : « Adcantuannus, qui summam imperii tenebat, cum DC devotis ... cum iis Adcantuannus eruptionem facere conatus ». Noster infra cap. 28 : « Ergo id, quod alii rectum opinantes ægritudini se solent dedere, id li turpe putantes ægritudinem repulerunt ». Apuleius Apol. pag. 467 : « Utrum igitur putas philosopho, non secundum Cynicam, etc. ... utrum ei putas turpe, scire ista an nescire ». Et pag. 548 : « Persuasi ut filiis pecuniam suam reposcentibus, de qua supra jam dixi, ut eam pecuniam sine mora redderet ». Hujusce generis multa, legentibus fient obvia. — Cum Davisio faciunt Oliv. Schütz. Neid. in hoc tantum, quod *ab eo* repetunt.

13. *Sed tentemus ; lusisse putemur.* Vulgo male, « temerius lusisse putemur » : nec melius est, quod ex iis Lambinus extudit, » tenerius lusisse ». Erasmus et Victorius edidere, « sed tentemus, et lusisse putemur ». Bene quidem; si modo ceterorum codicum ductu particula copulans deleatur. Nam Pithœan. ac Balliol. dant, » sed temptemus : jussisse putemur ». Reg. » jussisse putemur ». Hæc Davis. qui scribit *temptemus*. Ern. Oliv. Wolf. Schütz. Neid. *tentemus*.

14. *Nihili dicitur.* Davisius scribit *nihil dicitur*. Illud, inquit, volunt codices; nec immerito. Vide sis ad lib. I de Divin. cap. 14.

batione omni vacuum; ergo etiam ægritudine. Et sunt illa sapientis : aberit igitur a sapiente ægritudo.

IX. Itaque non inscite[1] Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quæ apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo,

> Corque meum[2] penitus turgescit tristibus iris,
> Quum decore atque omni me orbatum laude recordor.

Num manus affecta recte est, quum in tumore est? 19
Aut num aliud quodpiam[3] membrum tumidum, ac turgidum, non vitiose se habet? sic igitur inflatus et tumens animus, in vitio est. Sapientis autem animus, semper vacat vitio, numquam turgescit, numquam tumet. At irati[4] animus, ejusmodi est[5] : numquam igitur sapiens irascitur. Nam si irascitur, etiam concupiscit : proprium est enim irati, cupere, a quo læsus videatur, ei quam maximum dolorem inurere. Qui autem id concupierit, eum necesse est, si id consequutus sit, magnopere lætari. Ex quo fit, ut alieno

IX. 1. *Itaque non inscite.* Quinta argumentatio, et quidem Dionysii Heracleotis. Sapiens numquam irascitur, qui irascitur concupiscit, lætatur ergo, si id consequutus sit, quod concupierit. Hoc non cadit in sapientem, ergo etiam non iracundia, ergo etiam non ægritudo. Nahu.

2. *Corque meum penitus.* Græce : Ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ ὁππότ' ἐκείνου Μνήσομαι, ὅς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν. Exstat Iliad. I, 642. Pariter θυμὸν ἀνοιδέειν dixit Herodotus, lib. VII, cap. 39. Dav.

3. *Num aliud quodpiam membrum.* Ven. 1491, « num quippiam membrum » : Erasm. « num quodpiam membrum » : Lambin. « num quod membrum » ; omnes fere MSS (nisi quod Pal. quart. « aliquod quippiam membrorum ») repræsentant « aliquod quippiam membrum » ; unde Janus Gulielmius legebat « aliud quippiam » : et J. F. Gronovius ad Livii lib. XLI, cap. 6, scribendum putavit « aliquodpiam membrum » ; quam conjecturam recepit Cl. ejus filius. Quum vero Hadr. Turnebus Advers. lib. XXVI, cap. 6, in nonnullis codd. exarari testatur « aliud quodpiam », plus apud me potuit illorum librorum auctoritas, quam doctissimi viri emendatio. — Ernest. Gronovii emendationem sequutus est : Oliv. Schütz. Neid. cum Davisio faciunt.

4. *At irati animus.* Forsan ex MS Vatic. leg. « irati » : nam « sapientis animus » præcessit. Alii olim *iratus.* Dav. — Ita Ernest. scripsit *irati.*

5. *Ejusmodi est.* Turgescit, tumet.

malo gaudeat. Quod quoniam non cadit in sapientem, ne ut irascatur quidem cadit. Sin autem caderet in sapientem ægritudo, caderet etiam iracundia: qua quoniam vacat, ægritudine etiam vacabit.

20 Etenim si sapiens[6] in ægritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, posset in invidentiam. Non dixi invidiam[7], quæ tum est, quum invidetur[8]; ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiæ[9]; quod verbum ductum est a nimis intuendo[10] fortunam alterius, ut est in Menalippa[11],

Quisnam florem liberum invidit meum[12]?

6. *Etenim si sapiens.* Sexta argumentatio. In quem cadit misereri, in eumdem etiam invidere; non cadit autem invidere in sapientem: ergo ne misereri quidem. Quod si ægre ferre sapiens soleret, misereri etiam soleret; abeat ergo a sapiente ægritudo. Nein.

7. *Non dixi invidiam.* Vulgo « in invidiam », nec aliter Nonius. At Reg. Pithœan. aliique codices istam præpositionem nesciunt. Dav.

8. *Quæ tum est, quum invidetur.* Sic codices et Nonius in *invidia.* Nihilo tamen minus res ipsa postulat ut legamus « quæ et tum est quum invidetur », prout emendavit Cl. Bentleius; aut « quæ item est quum invidetur ». Hac de causa *invidiam* paullo post « ambiguum nomen » vocat : et « invidia non in eo qui invidet solum dicitur, sed etiam in eo cui invidetur », quemadmodum loquitur infra, IV, 7. Dav. — Buherius conj. « quæ etiam tum est, quum inv. »

9. *Ambiguum nomen invidiæ.* Invidiam enim significare potest, quum eam, qua nobis invidetur, tum, qua alteri invidemus, ut appellem termino technico, active et passive. Invidentia tantummodo active usurpari potest. Vid. lib. IV, 16. Nein.

10. *A nimis intuendo.* Bentleius conjicit, quamquam timide, *a limis intuendo*, quo sensu dicit Plinius de leonibus, VIII, 19: « cetera dolis carent et suspicione : nec *limis* intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt ». Sic et apud Plautum « Viden' limulis, obsecro, ut intuentur ». De hac conjectura sequentes critici ne mentionem quidem fecerunt; adeo eam contempserunt.

11. *In Menalippa.* Sic legi voluerunt Beroaldus et Des. Erasmus. Sic Schütz. et Neid. recenter. At Davisius cum Oliveto scribit *in Menalippo*, observans: Sic Reg. et Pithœan. Vulgo *Menalippa*, sed prorsus adversatur linguæ græcæ ratio. Hanc Accii fabulam sæpe laudant Festus et Nonius. Quodnam fuerit ejus argumentum, divinando assequi conatus est G. J. Vossius ad Fragm. Tragic. pag. 163.

12. *Quisnam florem liberum invidit meum.* Integer exstat trochaicus apud Nonium, cap. 9. Invidit illam rem

Male latine videtur [13]. Sed præclare Attius. Ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori. Nos consuetudine prohibemur : poeta jus suum tenuit, et dixit audacius.

X. Cadit igitur in eumdem et misereri, et invidere. 21
Nam qui dolet rebus alicujus adversis, idem alicujus etiam secundis solet [1] : ut Theophrastus interitum deplorans Callistheni [2] sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur : itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia, summaque fortuna, sed ignarum, quemadmodum rebus secundis uti conveniret. Atqui quemadmodum misericordia, ægritudo est ex alterius rebus adversis : sic invidentia, ægri-

pro *illa re*, Accius Melanippo : « Unde aut quis mortalis florem liberum invidit meum ». Vide Sanctium Min. lib. III, cap. 3 ; J. Fr. Gronovium ad Taciti Ann. I, 22, et Intt. ad Quintiliani IX, 3. Dav.

13. *Male latine videtur.* Olim erat *vertitur*, quasi hic versus a græco versu fuisset, eamque lect. Camerarius improbare non audebat, quam in suis libris videbat. — *Male latine videtur.* Primo statim adspectu σολοικισμὸν commisisse Attius videtur, quod verbo *invidere* quartum casum adjunxit, sed si propius inspicias recte dictum esse patebit. *Invidere*, si significet, *attente inspicere*, non, nisi cum accusativo rei construi potest, et si dativus personæ adjicitur proprie est, *inspicere* (intueri) aliquam rem in detrimentum alicujus, ita ut possidendæ ejus rei cupido exsistat. Est ergo hic dativus, quem vocant incommodi. Neid.

X. 1. *Solet.* Davisius scribit *dolet*, observatque : Pet. Victorii editio *secundis solet*, quam lectionem ex nun tantum MS recepit Janus Gebbardus : nos alteram postliminio reduximus, quæ et sensui et auribus est acceptior. Vocem *etiam* omittunt Fabr. et Cantabr. eaque, me non invito, in spongiam incumberet. — Hæc Davis. in prima ed. qui postea testatus est lect. *dolet* in Eliens. tert. Bak. Balliol. et Med. comparere sicut in edd. vett. Eamdem lect. Oliv. Schütz. Neid. amplexi sunt.

2. *Ut Theophrastus interitum deplorans Callistheni.* Ceteri habent *Callisthenis* contra MSS. J. V. L. — In libro cui titulus Καλλισθένης ἢ περὶ πένθους. Vide Menagium ad Laertii V, 44. Quam vero mortem obierit Callisthenes, inter auctores non convenit. Arrianus Exped. lib. IV, cap. 14 : Καλλισθένην Ἀριστόβουλος μὲν λέγει δεδεμένον ἐν πέδαις ξυμπεριάγεσθαι τῇ στρατιᾷ, ἔπειτα νόσῳ τελευτῆσαι. Πτολεμαῖος δὲ Λάγου στρεβλωθέντα καὶ κρεμασθέντα ἀποθανεῖν. Diogenes Laertius, V, 5, Callisthenes ἐν σιδηρᾷ περιήγετο γαλεάγρᾳ, φθειριῶν καὶ ἀκόμιστος, καὶ τέλος λέοντι παραβληθεὶς, οὕτω κατέστρεψεν. Plura Vete-

tudo ex alterius rebus secundis. In quem igitur cadit misereri, in eumdem etiam invidere. Non cadit autem invidere in sapientem: ergo ne misereri quidem. Quod si ægre ferre[3] sapiens soleret, misereri etiam soleret. Abest ergo a sapiente ægritudo.

22 Hæc sic[4] dicuntur a stoicis, concluduntarque contortius[5]. Sed latius aliquanto dicenda sunt, et diffusius: sententiis tamen utendum eorum potissimum, qui maxime forti, et, ut ita dicam, virili utuntur ratione, atque sententia. Nam peripatetici, familiares nostri, quibus nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius, mediocritates[6] vel perturbationum, vel morborum animi, mihi non sane probant[7]. Omne enim malum, etiam mediocre, malum est[8]. Nos autem id agimus, ut id in sapiente nullum sit omnino. Nam ut corpus, etiam si mediocriter ægrum est, sanum non est: sic in animo ista mediocritas caret sanitate.

rum loca dabit Joan. Freinshemius ad Curtii lib. VIII, cap. 8, 21. Dav.

3. *Quod si ægre ferre.* Vulgo, « quod si hoc ægre ferre ». Sed officit sensui pronomen; quare quum Bak. daret *hoc referre*, Eliens. vero sec. Pithœan. et Balliol. « hæc referre », nos veram lectionem non difficulter extudimus. Adspirationes enim vocibus aliquando perperam additas fuisse demonstravit Janus Rutgersius Venus. Lect. cap. 14. Quin et librarios verba male divisisse, notum. Dav. — MS Pet. « quod si ægre hæc ferre ». Pal. quint. « quod si hæc ferre ». Tert. quart. « quod si hæc sapiens referre soleret ». Norvic. « quod si hæc referre ». At MSS Reg. Leid. 1, « quod si hoc ægre ferre ». Leid. 2, 3, « quod si hæc ægre referre »; — Dav. emendationem probat Oliv. sequuntur Sch. Neid.

4. *Hæc sic dicuntur ... contortius. Sed latius.* Sic recte Bentleius correxit vulgatam « Hæc si dicuntur ... contortius; et latius », quam tamen e Reg. et Pith. Davisius expressit; ceteris refragantibus.

5. *Contortius.* Brevius, non fuse, et inde paullo obscurius. Nein.

6. *Mediocritates.* MS Leid. *mediocritatem.*

7. *Non sane probant.* Mediocres perturbationes animi admitti in sapiente posse. Refutationem hujus Peripateticorum placiti vide infra lib. IV, 39. Nein.

8. *Malum est.* Sic verissime emendavit Buherius, probante et non aliter edente Wolfio, cui se adstipulatores Schütz. et Neid. adjunxerunt. Vulg. *magnum est*, quod sequentibus repugnat. J. V. L.

Itaque præclare nostri[9], ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominaverunt. Hoc 23 propemodum verbo Græci omnem animi perturbationem appellant: vocant enim πάθος, id est, morbum, quicumque est motus in animo turbidus. Nos melius: ægris enim corporibus simillima est animi ægritudo. At non similis ægrotationis est[10] libido, non immoderata lætitia, quæ est voluptas animi elata et gestiens. Ipse etiam metus non est morbi admodum similis, quamquam ægritudini est finitimus; sed proprie[11], ut ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo, nomen habet non sejunctum a dolore.

Doloris igitur hujus origo[12] nobis explicanda est, id est, causa efficiens ægritudinem in animo, tamquam ægrotationem in corpore. Nam, ut medici, causa morbi inventa, curationem esse inventam putant: sic nos, causa ægritudinis reperta, medendi facultatem reperiemus.

XI. Est igitur causa[1] omnis in opinione, nec vero 24 ægritudinis solum, sed etiam reliquarum omnium

9. *Itaque præclare nostri.* Comparantur inter se vocabula πάθος et *ægritudo*, quorum priori Græci utuntur ad omnem animi perturbationem designandam; posterius Latini tantummodo adhibent de una specie perturbationum. NEID.

10. *At non similis ægrotationis est libido.* Mire variant in hoc loco nostri codd. Secundus « ægritudo ac non similis ægrotatio »; tert. quart. « et non similes ægrotationes. Est libido immoderata »; quint. « At non similis ægrotatio est. Libido enim immoderata ». GERHARD. — Cum tert. ac quart. Palat. facit codex Luparensis. Vide de Fin. III, 10.

11. *Sed proprie ... nomen habet.* Adducuntur a Nonio in vocab. *ægrotatio.* DAVIS.

12. *Doloris igitur hujus origo nobis explicanda est.* Jam partitur Cicero omnem quæstionem de ægritudine lenienda in duas partes; alteram de origine sive causa ægritudinis; alteram de medela, quæ ei afferri possit. NEID.

XI. 1. *Est igitur causa ... et urgere videatur.* Causam seu fontem non ægritudinis solum, sed omnium etiam perturbationum, quorum genera enumerantur et definiuntur, in opinione ponit. Exemplis hoc illustratur, indeque concluditur, ægritudi-

perturbationum: quæ sunt genere quatuor, partibus plures. Nam quum omnis perturbatio sit animi motus, vel rationis expers[2], vel rationem aspernans, vel rationi non obediens, isque motus aut boni, aut mali opinione citetur[3]: bifariam quatuor perturbationes æqualiter distributæ sunt. Nam duæ sunt ex opinione boni: quarum altera, voluptas gestiens, id est, præter modum elata lætitia, opinione præsentis magni alicujus boni; altera cupiditas[4], quæ recte vel libido dici potest; quæ est immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans. Ergo hæc duo genera, voluptas gestiens, et libido, bonorum opinione turbantur[5], ut duo reliqua, metus et ægritudo, malorum. Nam et metus, opinio magni mali impendentis; et ægritudo, est opinio magni mali præsentis: et qui-

nem, bane ob causam in sapientem cadere non posse. Nein.

2. *Vel rationis expers. Vel* suadente Buberio Schützius delevit, Wolf. et Med. uncis inclusere.

3. *Citetur.* Davis. ed. 2, *excitetur.*

4. *Altera cupiditas, quæ recte vel libido dici potest ... rationi non obtemperans.* Uterque Manut. Lambin. et alii complures, « altera vel cupiditas recte vel libido dici potest »: at codices tam manu exarati, quam typis olim excusi eam, quam Janus Gebhardus exhibet, scripturam repræsentant, nec tamen illa omni vitio caret. Repono « altera, cupiditas quæ recte vel libido dici potest ». Utcumque sit, monendum in quinque Pall. ac editt. Venet. 1491, Erasm. Steph. post *obtemperans* hasce voces adjici « quæ vel cupiditas recte vel libido dici potest »; in Petrensi vero sicut Reg. Petr. Med. Eliens. tert. et Bak. pronomen non comparet. Nemo non videt eas esse supervacaneas, et ex margine in textum irrepsisse; nisi forsan priora illa « cupiditas quæ recte vel libido dici potest », in hanc suspicionem venirent. Quod si fuerit, ita constituendus est locus: « altera, quæ est immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans, vel cupiditas recte vel libido dici potest ». Certe aut hoc aut illo modo belle procedit oratio. Dav.—Hanc ultimam Davisii conj. Wolf. Schütz. Neid. in textum intulerunt.

5. *Bonorum opinione turbantur.* Forsan legendum *turbant.* Lucretius, II, 438: « Aut ex offensu quum turbant corpore in ipso Semina ». Noster de Fin. lib. I, cap. 10: « At id ne feræ quidem faciunt, ut ita ruant, itaque turbent, ut, earum motus et impetus quo pertineant, non intelligamus ». Tacitus Annal. III, 47: « Si una alterave civitas turbet ». Vide et IV, 1, et Hist. I, 7. Dav. — Davisio Buherius assentitur; sed vulgata lectio ferri potest.

dem recens[6] opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angi : id autem est, ut is, qui doleat, oportere opinetur se dolere.

His autem perturbationibus, quas in vitam[7] hominum stultitia quasi quasdam furias immittit atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est vitæ, tranquille placideque traducere. Sed ceteras alias[8]; nunc ægritudinem, si possumus, depellamus. Id enim sit propositum; quandoquidem eam tu videri tibi in sapientem cadere dixisti. Quod ego nullo modo existimo : tetra enim res est, misera, detestabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda.

XII. Qualis enim tibi ille videtur 26

Tantalo prognatus[1], Pelope natus, qui[2] quondam a socru
OEnomao rege Hippodamiam raptis nactu'st nuptiis[3]?

6. *Et quidem recens.* Quum enim inveteraverit opinio de malo aliquo urgente, ac familiaritas quædam cum illo sit contracta, ægritudo sensim evanescit. Neid.

7. *In vitam hominum*, Vulgo *in vita*. Parum latine. Nos igitur Lambini vestigiis insistimus. Balliol. quidem et Pal. quint. has voces prætermittunt; nec Gebhardo videntur necessariæ. Qua in re fallitur : alioquin enim non dicit Noster, in quem locum perturbationes, quasi furias, immittat stultitia. Dav. — Buherius defendit *in vita*.

8. *Sed ceteras alias.* Sic recte veteres editi : refertur enim ad *perturbationes*. Vulgo *cetera*. Dav. — H. l. *alias* pro adverbio sumendum, scilicet *alio loco* depellemus : quomodo ceteræ depellantur, alio loco agemus.

XII. 1. *Tantalo prognatus ... socru*. Davis. vv. « Jovis iste quidem pronepos » poetæ tribuit, et notat : Cl. Bentleius hos esse versus primus animadvertit, et *socru* bene reposuit pro vulg. *socero* : nam « socrus et masculino genere Veteres dici posse voluerunt », ut ait Nonius. Utramque Bentleii emend. Buherius probavit, Schütz. amplexus est. Sed Neid. poetæ solum hoc tribuit : « raptis nactu'st nuptiis ». — *Tantalo prognatus.* Thyestes filius Pelopis, nepos Tantali, pronepos Jovis. Neid.

2. *Qui quondam.* Illud *qui* ad *Pelope* referendum, non ad *natus*. Neid.

3. *Raptis nactu'st nuptiis.* Sic etiam Lambinus. Vulgo « raptu nactus nuptiis ». Sed *raptis* est in Reg. aliisque MSS. Vide Scholiasten ad Iliad. B, 104. Dav. — *Raptis nactu'st nuptiis.* Verba poetæ cujusdam. De fabula vide Pind. Olymp. I, 113 sqq. Neid. — *Hippodamia*, OEnomai regis Elidis et Pisarum filia, qua Pelops tandem,

Jovis iste quidem pronepos, tamne ergo abjectus, tamque fractus?

Nolite (inquit) hospites ad me adire illico istic [4];
Ne contagio mea bonis, umbrave obsit:
Tanta vis [5] sceleris in corpore hæret [6]!

Tu te, Thyesta, damnabis, orbabisque luce propter vim [7] sceleris alieni? Quid? illum filium Solis [8] nonne patris ipsius luce indignum putas?

Refugere oculi; corpus macie extabuit;
Lacrymæ peredere humore exsanguis genas;
Situ nidoris [9] barba pædore horrida,
Atque intonsa, infuscat pectus illuvie scabrum.

postquam plures jam proci ab Œnomao fraude interempti essent, cum regno potitus est.

4. *Ad me adire illico istic*. Schütz. et Neid. scribunt « ad me adire! illico istinc! » Et Neid. observat: Separavit hæc verba Wolfius a præcedentibus, quum prius continuata serie legeretur: « ad me adire illico istic »; sensus itaque est: Statim vos hinc proripite.

5. *Tanta vis*. Davis. scribit: « meo tanta vis », voce *meo* tamen uncis inclusa. Metrum, inquit, fecit, ut hanc vocem Cl. Bentleius addiderit: hos enim versus Bacchiacos esse primus monuit vir ille summus. — Schütz. et Neid. ante *tanta* puncta posuerunt, quibus versus initium deesse notatur; quod certe prudentius est, quam cum Bentleio vocem addere, cujus nulla vestigia in libris apparent.

6. *In corpore hæret*. Vere Ruberius divinavit huic Thyestæ orationi respondere chorum verbis illis quæ afferuntur de Orat. III, 41: « quid nam est obsecro? quid te adirier abnutas? » Schütz.

7. *Propter vim sceleris alieni?* Atreus enim Thyestis frater liberos ex Ærope uxore sua procreatos fratri, ad comedendum eos, apposuerat. Nain.

8. *Illum filium Solis*. Testatur Ursinus in suo vetere legi « Æeta filium Solis ». Saltem librarius scribere debuit *Æetan*. Sed illa lectio, si revera talis usquam fuit, glossematis est damnanda. Dav. — *Filium Solis*. Æetem, regem Colchorum. Ejus liberi erant Medea, Absyrtus et Calciope. Jason aureum vellus, quod asservabat, Medeæ ope abstulit, ipsumque regno suo pepulit. J. V. L.

9. *Situ nidoris*. Quid sibi velint ea verba nescio. Nonnulli codices « situ liventes », ut ad genas referantur; prout testis est Turnebus Advers. XXVI, 6. Reg. Pithœan. Med. et Bak. « situ ultoris ». Unde reposuerim, « situ 'at in ore », quo squallor fœtidus denotetur. Cl. autem Bentleius legit, « Titinnit auris »; quæ conjectura videtur admodum probabilis. Dav. — Schutz. et Neid. habent *situ liventes*.

Hæc mala, o stultissime Æeta, ipse tibi[10] addidisti; non inerant[11] in his, quæ tibi casus invexerat; et quidem inveterato malo, quum tumor animi resedisset. Est autem ægritudo, ut docebo, in opinione mali recentis. Sed mœres videlicet regni desiderio[12], non filiæ. Illam enim oderas, et jure fortasse: regno non æquo animo carebas. Est autem impudens luctus mœrore se conficientis, quod imperare non liceat liberis[13]. Dionysius quidem tyrannus, Syracusis expulsus, 27
Corinthi pueros docebat[14]: usque[15] eo imperio carere non poterat! Tarquinio vero quid impudentius, qui bellum gereret cum iis, qui ejus non tulerant superbiam? Is, quum restitui in regnum nec Veientium, nec Latinorum armis potuisset, Cumas se contulisse dicitur[16], inque ea urbe senio et ægritudine esse confectus.

10. *Ipse tibi addidisti.* Quum animum tuum ægritudine ita afflictari passus es.

11. *Non inerant.* MS Leid. *non erant.* Buherius conj. *non enim erant.*

12. *Regni desiderio.* Erat enim ipsi aureum velius pignus regiæ dignitatis, quo erepto regnum amissum iri, in fatis erat. — *Non filiæ.* Scilicet Medeæ. Nein.

13. *Liberis.* Inutilis est Buherii conjectura *Iberis.* Sch. — Hæc a Nostro dicuntur, prout a Romano libertatis amantissimo, qui reges odio prosequitur.

14. *Corinthi pueros docebat.* Idem tradunt Valerius Maximus, lib. VI, cap. 9, 6, ext. Lucianus in Gallo, tom. II, pag. 178, aliique plurimi. Inter eos sic Justinus, XXI, 5: « Novissime, inquit, ludimagistrum professus, pueros in trivio docebat, ut aut a timentibus semper in publico videretur, aut a non timentibus facilius contemneretur ». Ast ab Æliano, V. H. lib. IX, cap. 8, dicitur ἐν Κορίνθῳ πολλαῖς καὶ ποικίλαις χρησάμενος βίου μεταβολαῖς, διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀπορίαν, τελευταῖον δὲ μητραγυρτῶν καὶ κρούων τύμπανα, καὶ καταυλούμενος δὲ, τὸν βίον καταστρέψαι. Ei præivit Athenæus, lib. XII, pag. 529. Dav. — Ex his patet inter historicos non constare an vere Dionysius ludimagister fuerit.

15. *Usque eo.* Adeo cupidus erat regnandi, ut ludimagister esse, puerisque sibi traditis imperare mallet, quam aliud quidquam negotium suscipere. Nein.

16. *Cumas se contulisse dicitur.* Vide Livium, II, 21, et Dionysium Halicarnasseum, VI, 21: At « in oppido Tusculo quatuordecim annos privatam vitam quietus habuit, et cum uxore consenuit; optabiliore fortassis exitu, quam socer ejus, exstinctus », si fides Augustino, C. D. III, 15. Dav.

XIII. Hoc tu igitur censes sapienti accidere posse, ut ægritudine opprimatur, id est, miseria? Nam quum omnis perturbatio, miseria est, tum carnificina[1] est, ægritudo. Habet ardorem libido, levitatem lætitia gestiens, humilitatem metus; sed ægritudo majora quædam, tabem, cruciatum, afflictationem, fœditatem: lacerat, exest animum, planeque conficit[2]. Hanc nisi exuimus sic, ut abjiciamus, miseria carere non possumus.

28 Atque hoc quidem[3] perspicuum est. tum ægritudinem exsistere, quum quid ita visum sit, ut magnum quoddam malum adesse et urgere videatur. Epicuro autem placet[4], opinione mali[5], ægritudinem esse natura, ut quicumque intueatur in aliquod majus ma-

XIII. 1. *Carnificina.* Carnificina dicitur locus, in quo sontes jussu potestatum a carnifice occiduntur. *Carnificina* quoque accipitur pro officio ministerioque carnificis. Sic Plautus in Captivis : « vel carnificinam facere hunc possum perpeti ». Beroald.

2. *Lacerat . . . conficit.* In his Turnebus Advers. XXVII, 6, senarium alicujus poetæ agnoscit. Schutz.

3. *Atque hoc quidem.* Neid. scribit *atqui*, unde? nescimus. Idem notat : Hucusque de perturbationibus in genere disputatum est. Propius jam accedit ad ægritudinem, quam ostendit tum exsistere, 1° quum quid ita visum sit, ut magnum quoddam malum adesse et urgere videatur (§ 28—61); 2° ex opinione, oportere, rectum esse, ad officium pertinere, ferre illud ægre, quod acciderit (§ 62—65).

4. *Epicuro autem placet . . . cur fierent provisa leviora?* Recensentur, quum Epicuri, tum Cyrensicorum placita de ægritudine. Epicurus dicebat : omnes in ægritudine sunt, qui, quum intuentur aliquod majus malum, id sibi accidisse opinantur. Cyrensici contra : omnes sunt in ægritudine, qui malo insperato et nec opinato urgentur. Secundum horum sententiam itaque insperatum atque inopinatum mali alicujus in causa erat, ut ægritudo exsisteret. Hinc quoque medicinam ægritudinis sumebant : nam si malum aliquod exspectatum atque provisum antea sit, leniri exspectatione atque præmeditatione illud putabant. Neque tamen horum sententia, inquit Cicero, infringere potest meam, omnem ægritudinem esse in opinione. Neid.

5. *Opinione mali.* Davisius scribit *opinionem mali*, observatque : Paullus quidem Manutius reponit, « opinione mali ægritudinem esse, non natura », quod passim doceat Cicero, ægritudinem opinioni, non naturæ, ortum debere. Sed hoc est viri doctissimi παρόραμα, licet ejus conjecturam diserte repræsentent Eliens. tert.

lum, si id sibi accidisse opinetur, sit continuo in ægritudine[6]. Cyrenaici[7] non omni malo ægritudinem effici censent, sed insperato et nec opinato malo. Est id quidem non mediocre ad ægritudinem augendam. Videntur enim omnia repentina graviora. Ex hoc et illa jure laudantur :

Ego quum genui, tum moriturum scivi [8], et ei rei sustuli.

et Petrens. nam, quod vidit etiam Fr. Fabricius, haud suam, sed Epicuri sententiam refert Tullius. Epicurus autem « censet, necesse esse omnes in ægritodine esse, qui se io malis esse arbitrentur », quemadmodum ait Noster infra, cap. 15, ac proinde lectio, quam recepimus, noo est movenda. Hioc est quod sapientem λυπηθήσεσθαι statuat, quum Stoici, qui ægritudinem non naturæ, sed voluntati tribount, id omnino negent. Vide Laertium, X, 119. Eadem fuit Cyrenaicorum sententia. Laertius, II, 91 : Καὶ λυπήσεσθαι μέντοι καὶ φοβήσεσθαι· ΦΥΣΙΚΩΣ ΓΑΡ ΓΙΝΕΣΘΑΙ. Fulv. tamen Ursinus ex suo MS legit, « opinione mali ægritudioem esse natam ». Quis enim dubitavit, quio ex malo, seo præsente, seu exspectato nasceretur, si qui esset, aulmi dolor? In eo vero discrepant inter se Stoici et Epicurei, quod hl fieri non posse censueriot, quin ægritodinem suscitarent mala; Stoici autem hanc voluntarie susceptam esse contenderint. — Daviainm Wolf. Schütz. Neid. sequuntur et recte, ut nobis videtur. Buherius conj. « opinione malom ægritudinem esse, non natura ».

6. *In ægritudine*. In prima ed. Davisius dederat *in ægritudinem*, hac nota addita : « Vulgg. *in ægritudine*, cum quibus facit MS Petrens. et Janus Gebhardus ex Pal. tert. et Vatic. alteram scripturam recepit. Eam etiam præstat uterque Norvic. Ac merito quidem. Plautus Amphit. act. I, sc. 1, 25 : « Numero mihi in mentem fuit ». Idem Bacchid. act. I, se. II, 53 : « Ecquid in mentem est tibi, Patrem tibi esse ». Petronius, Satir. cap. 36, « Fui enlm hodie in funus » ; ubi VV. CC. Nic. Heinsius et Joan. Schefferus rescribunt, « Ivi enim hodie in funus » : sed absque causa sontica, ut ex allatis constat. Notum, quid de hujusmodi locutionibus dixerit A. Gellius, Noct. Att. lib. 1, cap. 7 ». Postea sententiam mutavit, vulgatamque restituit.

7. *Cyrenaici*. Discipuli Aristippi, qui ortus erat Cyrene.

8. *Moriturum scivi*. Vulgo *morituros;* ego vero lectionem quam suppeditant Pal. quint. Med. Balliol. Bak. et veteres editt. recipiendam censui; nec, nisi fallor, immerito. Nam quod patet ex hujusce libri cap. 24, hæc loquitur Telamo, qui duos quidem filios, Ajacem et Teucrum, misit, ut bello interessent Trojano. Ajax ob Achillis arma sibi negata gladio se transjecit; alterum vero exsulare jussit pater, quia fratris mortem, Ulyssea versutia præmaturam, ferro non vindicarit. Hæc Veterum testimoniis non fulcio, quippe quæ mythologis et poetis sunt decantatissima (vide modo scholiasten ad Æschyli Persas, vs.

Præterea ad Trojam quum misi ob defendendam Græciam [9],
Sciebam [10] me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.

29 XIV. Hæc igitur præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum adventum, quæ venientia longe ante videris. Itaque apud Euripidem [1] a Theseo dicta laudantur : licet enim, ut sæpe facimus, in latinum illa convertere :

Nam qui hæc audita [2] a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias;

896) ; ex his tamen liquet haud esse, cur de binis natis, tamquam fatu functis, verba faciat Telamo. Ejus etiam, quam propugno, scripturæ locuples vindex est Seneca Cons. ad Polyb. cap. 30 : « Quanto, inquit, ille justior, qui, nuntiata filii morte, dignam magno viro vocem emisit : Ego quum genui, tum moriturum scivi ... Deinde adjecit rem majoris et prudentiæ et animi, et huic rei sustuli ». Cæcus est, qui non videt hunc versum philosopho in mentem fuisse ; memoriaque Justo Lipsio Tullii locum non suppeditavit, quum de Xenophonte vel Anaxagora statuerit agi. Lapsus etiam est Æg. Menagius, qui pariter hæc de Xenophonte dicta putat ad Laertii II, 55. Dav.—Hi versus VV. Doctis videntur desumpti ex Ennii tragœdia inscripta *Telamon*.

9. *Ob defendendam Græciam*. Uterque Manutius aliique multi repræsentant « ad defendendam Græciam » ; ac ita sane Hier. Columna in frag. Ennian. pag. 224, et Petr. Scriverius, fragm. Tragic. pag. 168, quibus fidem detrahunt MSS simul atque editt. Ven. Froben. Lambin. Nec injuria. Infra cap. 17 : « Cujus ob os Graii ora obvertebant sua » ; ubi Norvic. ex glossemate *ad os*.

10. *Sciebam*. Davisius, quem Wolf. Schütz. Neid. sequuntur, scribit *scibam*, observatque : Sic Ennius apud Festum in *obsidio*, « Scibas natum ingenuum Ajacem, cui tu obsidionem paras ». Apud Plautum, Terentium, aliosque multa sunt hujusmodi quibus congerendis non immorabor. Vide Charisium Inst. Gram. lib. II, col. 157. Fatendum tamen in MSS hic legi « sciebam me in mortiferum bellum », molesteque fert Gebhardus, D. Lambinum scriptis codicibus non paruisse. Si redivivus factus querelas suas repeteret, ras sane flocci non facerem ; quum probe norim, metrum trochaicum, quam propugnat lectionem, non admittere.

XIV. 1. *Apud Euripidem*. Hæc transtulisse de Posidonio Ciceronem, intelligi potest de iis quæ Galenus refert lib. IV de Hipp. et Plat. dogm. quæ ad horum et intellectum et explicationem plurimum momenti allatura sunt. CAMERARIUS.

2. *Nam qui hæc audita*. Euripidis verba leguntur apud Plutarchum Cons. ad Apollon. pag. 112 : Ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινὸς μαθὼν Εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην, Φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμᾶς, Θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν

Aut mortem acerbam, aut exsilii mœstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali:
Ut, si qua invecta diritas casu[3] foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens[4].

Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides. Fuerat enim auditor Anaxagoræ: quem ferunt, nuntiata morte filii, dixisse, «Sciebam me genuisse mortalem[5]». Quæ vox declarat, iis esse hæc acerba, quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non dubium, quin omnia, quæ mala

ἄλλας ἐδούς· ἵν' εἴ τι πάσχοιμ' ὧν ἐδόξαζον φρενὶ, Μή μοι νεαρὸν προσπεσὸν μᾶλλον δάκῃ. Eosdem versus, paucnlis mutatis, exhibet Galenus, lib. IV de Dogm. Hipp. et Plat. cap. 7, tom. V, pag. 151, ed. Charter. Desumpti hi versus videntur ex tragœdia deperdita *Theseus* inscripta. Dav.

3. *Casu*. Wolf. et Schütz. *casus*.

4. *Ne me imparatum cura laceraret repens*. Henr. Stephanus Castig. in Cic. pag. 33, reponit, « ne me imparatum cura laceraret recens ». « Quam castigationem, inquit, homini linguæ græcæ ignaro nescio quam facile probaverim; at græce docto ita legendum esse statim persuaserim, magnam inter ἕρπον et νεαρὸν non ignoranti esse differentiam ». Hæc ille, quem sequitur D. Lambinus. At hoc insigne est παρόραμα, *repens* enim, penultima brevi, non ἕρπον, sed αἰφνίδιον, ut hoc in loco, denotat. Sic infra cap. 22: « Quamquam hostium repens adventus magis aliquanto conturbat quam exspectatus ». Seneca Troad. vs. 426: « Quis te repens commovit adflictam metus? » Iterum Medeæ vs. 971: « ... Quid repens adfert sonus? » Tacitus Ann. VI, 7: « Quid repens aut vetustate obscurum ». Ubi pariter ab Ursino Muretoque perperam emendatur *recens*. Ita sæpe loquutus est Livius, et passim poetæ, quorum nonnulla testimonia collegit Nic. Heinsius ad Ovidii Metam. XII, 61. Dav.

5. *Sciebam me genuisse mortalem*. Unum solummodo filium memorat Noster; cum quo paria faciunt Galenus, lib. IV de Dogm. Hippocr. et Platon. cap. 7; Valerius Maximus, lib. V, cap. 10, 3, ext. Plutarchus Cons. ad Apoll. pag. 118; περὶ ἀοργησίας, pag. 461; περὶ εὐθυμίας, pag. 474; Dion Chrysostomus, Orat. XXXVII; Symmachus lib. III, Epist. 6; Hieronymus Epit. Nepot. pag. 21; denique Simplicius in Epict. cap. 22, pag. 125. His accensendi sunt Hierocles in Aur. Carm. XVII; Arrianus Epict. lib. III, cap. 24, pag. 342, et Trebellius Pollio in Gallienis, cap. 17, qui hoc quidem ἀπόφθεγμα referunt, sed auctoris nomen tacent. Ast Ælianus Var. Hist. lib. III, cap. 2, duorum filiorum meminit. Ἀναξαγόρᾳ τις τῷ Κλαζομενίῳ σπουδάζοντι πρὸς τοὺς ἑταίρους προσελθὼν ἔφη τεθνηκέναι οἱ τοὺς ΔΥΟ ΠΑΙΔΑΣ, οὕσπερ οὖν καὶ εἶχε μόνους ὁ Ἀναξαγόρας· ὁ δὲ μηδὲν διαταραχθεὶς εἶπεν, Ἤιδειν θνητοὺς γεγεννηκώς. Ejus verba repetit Stobæus Serm. CVI,

putentur[6], sint improvisa graviora. Itaque quamquam non hæc una res efficit maximam ægritudinem : tamen, quoniam multum potest provisio animi, et præparatio ad minuendum dolorem, sint semper omnia homini humana meditata. Et nimirum hæc est illa præstans et divina sapientia, et præceptas[7] penitus et pertractatas humanas res habere; nihil[8] admirari, quum acciderit; nihil, antequam evenerit, non evenire posse arbitrari.

Quamobrem omnes [9], quum secundæ res sunt maxime, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto advorsam ærumnam ferant :
Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet [10],
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ;
Communia esse hæc, ne quid horum umquam accidat animo novum;
Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

pag. 571, et quoad numerum Prænestino Sophistæ favet Diogenes Laertius, lib. II, § 13, ubi nonnulla Menagius; ut et Gatakerus ad Antonini IV, 5. Nos multo uberiora dedimus. Illum vero jure mireris quod, quum verba Plutarchi ex libro de ira cohibenda protulisset, meminisse Plutarchum libro περὶ ἀοργησίας moneat. Quasi liber « de ira cobibenda » diversus esset ab eo περὶ ἀοργησίας. Sed forsan calami lapsus est pro libro περὶ εὐθυμίας. Davis.

6. *Quæ mala putentur.* Vulgo *putantur.* At quod recepimus volunt Reg. Pithœan. Med. Bak. et Balliol. Dav.

7. *Præceptas.* Sic. Virg. Æn. VI, 105 : « Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi ». Ubi Servius *præcepi*, ante cognovi. Ovidius Epist. Heroid. XVII, 107, « Ad possessa venis, præceptaque gaudia servas ». Vulgo *perceptas penitus :* nos autem ex MSS Pall. pr. sec. ac Norvic. hanc lect. recepimus. Hæc Davis. in prima ed. qui postea sententia mutata restituit *perceptas;* idem dedere Oliv. Ern. Schütz. Neid.

8. *Nihil admirari.* Notum illud Horatii Ep. I, 6, 1 : « Nil admirari prope res est una, Numici, Solaque quæ possit facere et servare beatum ». Neid.

9. *Quamobrem omnes.* Iambici sunt octonarii ex Terentii Phorm. act. II, sc. 1, 11, desumpti. Dav.

10. *Pericla, damna, peregre rediens semper secum cogitet.* In Terentianis exemplaribus ita legitur hicce versus, « Pericla, damna, exsilia; peregre rediens semper cogitet ». Quin et eadem versu abhinc secundo dant, « Communia esse hæc; fieri posse, ut ne quid animo sit novum ». Ad hanc formam editos a se Tullii libros redegerunt Manutius, Lambinus, et, quod mireris, ipse Victorius. Temere prorsus, et præter id quod postulat

XV. Ergo hoc Terentius a philosophia sumptum 31
quum tam commode dixerit, nos, e quorum fontibus id haustum est, non et dicemus hoc melius, et constantius sentiemus? Hic est enim ille vultus[1] semper idem, quem dicitur Xanthippe prædicare solita in viro suo fuisse Socrate : eodem semper se vidisse exeuntem illum domo, et revertentem. Nec vero[2] ea frons erat, quæ M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius[3]; sed tranquilla, et serena : sic enim accepimus. Jure autem erat semper idem vultus, quum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Quare accipio equidem a Cyrenaicis hæc arma contra casus et eventus, quibus eorum advenientes impetus diuturna præmeditatione frangantur; simulque judico, malum illud, opinionis esse,
non naturæ. Si enim in re essent[4], cur fierent pro- 32

fides ; nostram enim lectionem tuentur Pall. quinque, Fabr. Pith. Reg. Med. Eliens. pr. sec. tert. Petrens. Bak. Balliol. aliique omnes, ut puto, MSS. Certe præstantissimus Bentleius, in suis ad Terentium notis, poetæ codices, non Ciceronis, esse vitiatos statuit, eamque sententiam validis firmat argumentis. Dav.

XV. 1. *Hic est enim ille vultus.* Cf. Dionysius Halicarnassens apud Stobæum Serm. CVI, pag. 572. Idem narrant alii; quos quum laudarit eruditissimus Gatakerus ad Antonini I, 8, actum non agam. Adde tamen Ciceronem Offic. I, 26. Dav. — Hæc Davis. qui in prima ed. dederat « hinc est enim i. v. » e MS Norvic. et ita dudum conjecerat Leodegarius a Querco.

2. *Nec vero ea frons erat.* Dav. in prima ed. dederat « nec vero eadem frons erat », e Pall. tribus, Norvic. Cantabr. Petrens. ac edit. Ven. 1491, et Froben.

3. *Quem semel ait in omni vita risisse Lucilius.* Alii Crassum non omnino risisse confirmant. Plinius H. N. VII, 19 : « Ferunt Crassum, avum Crassi in Parthia interempti, numquam risisse; ob id Agelastum vocatum ». Solinus, cap. 1 : « Crassus avus ejus, quem rapuerunt bella Parthica, quod numquam riserit, Agelastus cognominabatur ». Si nosse cupias auctorum nomina, qui hoc poetæ dictum memoriæ tradiderunt; adeas oportet Lucilii reliquias a Fr. Dousa collectas, pag. 20, quibus adde Joannem Sarisberiensem Policr. VIII, 8, pag. 558. Dav. — Qui inde Ἀγέλαστος cognominatus est. Nein.

4. *Si enim in re essent.* Aut paullo ante eum præstantissimo Bentleio legendum « simulque judico mala illa », aut hic ex Eliens. sec. rescri-

visa leviora? Sed est[5], iisdem de rebus[6] quod dici possit subtilius, si prius Epicuri sententiam viderimus : qui censet[7], necesse esse omnes in ægritudine esse, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisa et exspectata sint, sive inveteraverint. Nam neque vetustate minui mala, nec fieri præmeditata, leviora; stultamque etiam esse meditationem[8] futuri mali, aut fortasse ne futuri quidem; satis esse odiosum malum omne, quum venisset; qui autem semper cogitavisset, accidere posse aliquid adversi, ei fieri illud sempiternum malum; si vero ne futurum quidem sit[9], frustra suscipi miseriam voluntariam; ita semper angi, aut accipiendo[10], aut cogitando malo.

33 Levationem autem ægritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia, et revocatione

bendum, « si enim in re mala essent ». *In re* enim proba est loquendi ratio, nec ullo modo tentari debet. Nec Bentleius audiendus, qui corrigit « si enim re essent ». Noster Tusc. III, 20 : « Cogitatio igitur diuturna nihil esse in re mali, doluri medetur ». Vide etiam Fam. IX, 22; Fin. V, 30, et Senecam Epist. XCII. — Wolf. Schütz. Neid. « Si enim in re esset ».

5. *Sed est ... gloriose loqui desinant.* Confutantur Epicuri placita de ægritudine, ejusque remediis ad eam leniendam. Neid.

6. *Iisdem de rebus.* Sc. de lenienda ægritudine per præmeditationem malorum. Inf. § 52 sq. Neid.

7. *Qui censet.* Sistamus jam breviter omnem de ægritudine Epicuream doctrinam, ut nexus totius confutationis eo melius perspiciatur. Epicurus docet : Stulta est meditatio futuri mali, satis est odiosum malum omne, quum adsit. Levatio ægritudinis duabus rebus continetur, altera, avocatione a cogitanda molestia, altera, revocatione ad contemplandas voluptates. Contra hæc disseritur §§ 34, 35. In sequentibus ostenditur, ea, quæ Epicurus dicat, quum haud consentanea esse iis, quæ ab eo de finibus bonorum statuantur, tum ex perversis principiis derivari. Neid.

8. *Meditationem futuri mali.* Eliens. pr. sec. *præmeditationem.* Sic « præmeditationem futurorum malorum » et « præmeditationem rerum futurarum » dixit hujusce libri capp. 14, 16. Sed optimi libri non addicunt : nihil itaque moveo. Dav.

9. *Si vero ne futurum quidem sit.* Sed si hoc malum quod timemus et cui nos præmeditatione paramus, non accidit, tum nos inutili cura sollicitos fuisse.

10. *Aut accipiendo, aut cogitando malo.* Aut malo, quod re ipsa in nos incidit, aut eo quod præmeditatione antecepimus. Ita nobis certiorem esse ægritudinem quam malum.

ad contemplandas voluptates. Parere enim censet animum rationi posse, et, quo illa ducat, sequi. Vetat igitur ratio[11] intueri molestias; abstrahit ab acerbis cogitationibus hebetem[12] aciem ad miserias contemplandas; a quibus quum cecinit receptui[13], impellit rursum, et incitat ad conspiciendas, totaque mente contrectandas varias voluptates, quibus ille et præteritarum memoria, et spe consequentium, sapientis vitam refertam putat. Hæc nostro more nos diximus: Epicurei dicunt suo. Sed, quæ dicant, videamus; quo modo, negligamus[14].

XVI. Principio male reprehendunt præmeditatio- 34
nem rerum futurarum. Nihil est enim, quod tam ob-

11. *Vetat igitur ratio intueri mol.* Pro *ratio* Davis. scribit *nos*. Hoc, inquit, de Epieuro, non de ratione, dicitur; quaprupter aut recipiatur præstantissimi Bentleii emendatio; aut vox illa pro librariorum additamento habeatur; eaque prorsus omissa, legatur « vetat igitur intueri molestias ». — Ern. v. *ratio* uncis inclusit; sed eam in statu suo Schutz. et Neid. restituerunt.

12. *Abstrahit ab acerbis cog. hebetem aciem ad mis. cont.* Davis. scribit « abst. ab ac. cogitationibus; hebetat aciem ad mis. cont. » Hanc, inquit, lectionem Manutius ex vet. codice reponendam vidit. Quin et ita diserte repræsentat Eliens. tert. Virgilius Æn. II, 604: « ... quæ nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus tibi ... » Seneca Herc. Fur. vs. 1043: « Visusque mœror hebetat ». Idem Cons. ad Polyb. cap. 37: « Hæc utcumque potui, longo jam situ obsoleto et hebetatu animo, composui ». Vide et de vit. beat. cap. 15; Ammianum Marcellinum, lib. XXV, cap. 7, ac Macrobium Somn. Scip. I, 3. — Schutz. et Neid. Davisium sequuntur.

13. *Quum cecinit receptui.* Proverbialiter, quum revocavit mentem a contemplatu miseriarium. *Canere receptui* verbum est militare, quod significat post conflictum milites a pugna esse revocandos, recipiendosque in tutum intra castra; quod fit cantu tubarum et clangore; sicut canitur bellicum, quum initur ipse conflictus, et milites in pugnam prodeunt. Vegetius « Tibicines ad bellum vocant milites, rursum receptui canentes revocant ». Quintil. XΠ, de or. loquens sic inquit: « Quare antequam in has ætatis veniat insidias, receptui canet, et in portum integra nave perveniet ». Baduald.

14. *Quæ dicant, videamus; quo modo, negligamus.* Ita locum nos cum Erasmo, Manutio Lambinoque distinximus. Vulgo, « quæ dicant, videamus quo modo negligamus ». Inepte prorsus et incommode. Dav. — Non igitur de modo quo, sed de eo quod dictum est, videamus. Neid.

tundat levetque[1] ægritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, quod accidere non possit; quam meditatio conditionis humanæ; quam vitæ lex, commentatioque parendi[2]: quæ non hoc affert, ut semper mœreamus, sed ut numquam. Neque enim qui rerum naturam, qui vitæ varietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, mœret quum hæc cogitat, sed tum vel maxime sapientiæ fungitur munere. Utrumque enim consequitur, ut et considerandis rebus humanis proprio philosophiæ fungatur[3] officio, et adversis casibus triplici[4] consolatione sanetur: primum, quod posse accidere diu co-

XVI. 1. *Levetque*. Hoc Ern. dedit e duobus Davisii MSS: Davis. scribit *elevet*. Forsan, inquit, *allevetque*; ut *ærumnam dictis allevans* infra, cap. 29. Lucceius apud Nostrum Fam. V, 14: « Non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat ». Lego *allevare*, quemadmodum fere dant duo MSS Gulielmiani. Absurde vero Balliol. et Eliens. sec. *enervetque*: nam nulli sunt ægritudinis nervi. Eliens. tert. et Petrens. *levetque*, et ita passim Noster. Vide modo capp. 18, 25, et Fam. V, 16. — Schütz. Neid. *elevet*.

2. *Commentatioque parendi*. Cogitatio, homines naturæ legibus necessario parere oportere. Nain.

3. *Fungatur*. Vulgo *fruatur*, quo modo Romanos loquutos esse non arbitror. Igitur Manutii Lambinique seu libros seu conjecturam sum sequutus; et ita diserte repræsentant Balliol. et Eliens. sec. Dav. — Quamvis Manutii ac Lambini conjectura, qua *fungatur* pro *fruatur* statuunt, uno et altero codice sustentetur; non tamen rejicere lectionem editam audeo, tamquam Romani sic numquam loquuti essent. « Frui officio proprio philosophiæ », est illius officii emolumentis potiri. Sic de Amicitia: « recordatione amicitiæ nostræ sic fruor », hoc est, cum aliquo fructu et jucunditate recordor amicitiæ nostræ. Florus, II, 6, *victoria frui*. Wopkens. — Schütz. Neid. *fruatur*, quod certe melius est. Nam quum modo dixit eum, qui humana commentatur, fungi sapientiæ munere, quomodo addere Noster potuisset: inde sequitur eum proprio philosophi fungi officio? misera esset tautologia. In qua miramur Davisium non hæsisse.

4. *Adversis casibus triplici consolatione sanetur*. Hæc loquendi ratio videtur dura nec Tullio digna. Quare Cl. Th. Bentleius legit « adversus casus triplici consolatione armetur ». Supra cap. 15: « Quare accipio equidem a Cyrenaicis hæc arma contra casus et eventus ». Reg. et Pithœan. *sanentur*. Forsan « adversi casus triplici consolatione sanentur » Dav. — *Adversis casibus* absolute accipiendum est pro *in adversis casibus*.

gitavit[5]; quæ cogitatio una maxime molestias omnes extenuat et diluit; deinde, quod humana[6] ferenda intelligit; postremo quod videt malum nullum esse, nisi culpam[7]; culpam autem nullam esse, quum id, quod ab homine non potuerit præstari[8], evenerit.

Nam revocatio illa, quam affers, quum a contuendis nos malis avocas[9], nulla est. Non est enim in nostra potestate, fodicantibus iis rebus[10], quas malas

5. *Primum ... cogitavit*. Sic Bentleius corrigi voluit. Vulg. *cogitaverit*. Idem jubebat scribi *primo*.

6. *Quod humana ferenda*. Davis. scribit « quod humana humane f. » V. *humane*, inquit, jubente Vatic. simul ac sermonis elegantia restitui. Plutarchus Cons. ad Apoll. pag. 102 : Ἀνθρωπίνως φέρειν τὸ συμβεβηκός. Idem pag. 118 : Πείθοντες τὰ κοινὰ τοῦ βίου συμπτώματα κοινῶς φέρειν καὶ τὰ ΑΝΘΡΩΠΙΝΑ ΑΝΘΡΩΠΙΝΩΣ. Respexisse videtur ad illud Menandri : Ἀνθρωπίνως χρὴ τὰς τύχας φέρειν, ξένε. Τὰ κοινὰ κοινῶς δεῖ φέρειν συμπτώματα. Exstat apud Stobæum Serm. CXXIII, pag. 615. Vide Fam. lib. 1. — Schütz. Davisium sequitur. Wolf. et Neid. ejiciunt *humane*, quod quidem solius libri veteris auctoritate satis non firmatur.

7. *Nisi culpam*. I. e. vitium, inhonestum. Nesn. — *Videt malum nullum esse, nisi culpam*. Quod Latini culpam vocarunt, id nos hodie *malum morale*, et κατ' ἐξοχὴν *peccatum* dicimus. Hinc non possum equidem causam expiscari idoneam, cur Bentleius voluerit *nisi culpa*. Famil. IX, ep. 16, « nihil esse sapientis præstare, nisi culpam ». Vide ibid. V, 21, VI, 1, XII, 23. Wopkens.

8. *Non potuerit præstari*. Eliensec. *præcaveri*. Sic infra cap. 22 : « Quum videtur præcaveri potuisse ». Nec diffitendum est illam vocem huic loco belle convenire : sed nec male se habet lectio vulgata. Noster Fam. V, 17 : « Casum quem neque vitare quisquam nostrum nec præstare ullo pacto potest » : hoc est, facere ne contingat. Vide et lib. VI, Ep. 1, et l. IX, Ep. 16. Immo quum hæc minus usitata sit loquendi ratio, quin a Tullii manu fuerit vix dubito : doctior enim est, quam ut librariis tribuatur. — *Præstare* verbum est Jctorum, quod significat cavere et satisfacere; qui identidem scripserunt, « præstandum esse dolum, præstandam noxam », et alia consimilia. A. Gell. ait, « pileatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil præstaret ». Id ab homine præstari posse dicitur, quod in hominis potestate est, ut fiat vel non fiat : sed mala multa quæ eveniunt, quæ ab homine præstari non possunt, ea non habenda esse dicunt in malis, neque culpæ affinia. Beroald.

9. *Affers ... avocas*. Sic Ern. ut Noster Epicurum ipsum alloquitur : contra Davis. Oliv. Schütz. Neid. *affert ... avocat*.

10. *Fodicantibus iis rebus*. Inepte Gebhardus ex Pal. pr. venditat *foditantibus*. Affertur autem locus a Nonio in *fodicare*. Dav.

esse opinemur, dissimulatio, vel oblivio. Lacerant, vexant, stimulos admovent, ignes adhibent, respirare non sinunt. Et tu oblivisci jubes, quod contra naturam est? quod[11] a natura datum est, auxilium extorqueas inveterati doloris? Est enim tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas et dies[12]. Jubes me bona cogitare, oblivisci malorum. Diceres aliquid, et magno quidem philosopho dignum, si ea bona sentires esse, quæ essent homine dignissima.

36 XVII. Pythagoras mihi sic[1] diceret, aut Socrates, aut Plato[2]: Quid jaces? aut quid mœres? aut cur suc-

11. *Quod contra naturam est? quod a naturn datum est, auxilium extorqueas inveterati doloris?* Dav. scribit: « quod contra naturam est, qui a natura datum a. exturques i. doloris? » Vulgo, inquit, « quud contra naturam est? quia natura datum est auxilium, extorqueas inveterati doloris? » Ex quo sensus quidem commodus extundi non potest. Ita tamen Reg. et Pithœan. nisi quod illi « qui a natura ». Med. habet « qui a natura datum auxilium extorqueas ». Eliens. pr. « quia a natura datum auxilium extorques »; unde nos literula tantum deleta legimus, « qui a natura datum auxilium extorques inveterati doloris? » Victorius, Lambinus, alii, repræsentant, » quod a natura datum est auxilium, exturques, inveterati duloris? » Non incommode quidem; sed ad primam vocem quod attinet, omnes refragantur MSS. — Wolf. Schütz. Neid. Davis. sequuntur, nisi quod habent *extorquens*. — *A natura datum auxilium.* Sc. vetustate minui mala, quod Epicurus negabat. Vid. supr. § 32. Nsin.

12. *Longinquitas et dies.* Dies longinqua, seu longum tempus. Ἓν διὰ δυοῖν. Vide Servium ad Georg. II, 192. Æn. I, 61, et J. Fr. Gronovium in Livii I, 32. Dav.

XVII. 1. *Pythagoras mihi sic diceret.* Vulgo *si*. Male; nam deest ἀπόδοσις. Nos igitur Eliens. tert. ac editionibus Ascensii, Manutii, Victorii, Lambinique fidem dedimus. At Balliol. voculam controversam nescit, et abesse potest sine sensus detrimento. Dav. — Wulf. Sch. Neid. post Oliv. restituerunt *si diceret*, quod Wopkens. sic defendit: Est hoc σχῆμα, quod appellant, πρὸς τὸ σημαινόμενον, quo sic loquitur Tullius, ut si in antecedentibus dixisset, « Esset hoc quod jubes aliquid, et magno quidem philosopho dignum, Pythagoras modo esset, et non Epicurus ille voluptarius, qui mihi diceret, etc. » Vis illa conjunctionis *si*, dilucidari potest ex his, lib. V, cap. 9: « Laudat (Epicurus) tenuem victum: philosophi id quidem, sed si Socrates... diceret, non is qui finem, etc. »

2. *Pythagoras ... Socrates ...*

cumbis, cedisque fortunæ? quæ pervellere[3] te forsitan potuerit, et pungere, non potuit certe vires frangere. Magna vis est in virtutibus. Eas excita, si forte dormiunt. Jam tibi aderit[4] princeps fortitudo, quæ te animo tanto esse cogat[5], ut omnia, quæ possint homini evenire, contemnas, et pro nihilo putes. Aderit temperantia, quæ est eadem moderatio (a me[6] quidem paullo ante appellata frugalitas); quæ te turpiter et nequiter facere nihil patiatur. Quid est autem nequius, aut turpius effeminato viro? Ne justitia quidem sinet te ista facere; cui minimum esse videtur in hac causa loci[7]: quæ tamen ita dicet, dupliciter esse

Plato. Ergo philosophi, qui summum bonum non voluptatem, sed virtutem putant. Neid.

3. *Quæ pervellere*. Davis. *quæ ut pervell.* Vocem *ut*, inquit, Ascensius et Victorius suppeditarunt orationi necessariam, eamque Cl. Bentleius immittendam viderat. — *Pervellere, pungere*. Leviter afficere. Neid.

4. *Jam tibi aderit*. Enumerat jam singulas virtutes cardinales, Fortitudinem, Temperantiam, Justitiam, Prudentiam, quarum voces homo quum audierit, ægritudine plane affici non potest. Neid.

5. *Cogat*. Ern. sine causa rescripsit *coget*.

6. *A me quidem*. Davis. *a te quidem*. Sic, inquit, recte mutavit Cl. Bentleius. Respicit enim Noster ad hujusce libri cap. 8. Illic autem Tollius, hic vero Pythagoras aut Socrates aut Plato loquitur. — Hæc ratio nobis ridicula videtur, quæ ut valeat, fingi oporteat Pythagoram, aut Socratem, aut Platonem huic disputationi paullo ante interfuisse, ut temperantiam a Cicerone frugalitatem esse appellatam audirent. Quam melius est putare Ciceronem, ne ulla foret verborum confusio, auditoris in animum revocare voluisse, quam temperantiam alii vocant, a se modo appellatam fuisse frugalitatem. In hoc nihil est incommodi, quum tam brevis sit hæc philosophorum oratio, ut certe nondum lector oblivisci potuerit eos ore Ciceronis ipsius loqui.

7. *Cui minimum esse videtur in hac causa loci*. Vulgo *loqui*, quod ex suis MSS invexit Gebhardus. Quin et ita dant Reg. Pithœan. Med. ac Balliol. Sed Cl. Bentleius editorum veterum lectionem revocari debere merito statuit. Davis. — *Cui minimum esse videtur*. Sensus est: Justitiæ quidem vis ad leniendam ægritudinem minima esse videtur, sed videtur modo. Nam ita fere tecum loqui potest: tu es dupliciter injustus, si ægritudine affici te patiaris, et, quum appetas id, quod in hominem mortalem cadere non potest, et quum graviter feras, te bona, quæ utenda tantum ad tempus non in perpetuum acceperis, reddere debere. Neid.

te injustum, quum et alienum appetas, qui mortalis
natus[8], conditionem postules immortalium, et gra-
viter feras, te, quod utendum acceperis, reddidisse.
37 Prudentiæ vero quid respondebis, dicenti[9], virtutem
sese esse contentam, quo modo ad bene vivendum,
sic et ad beate[10]? Quæ si extrinsecus religata[11] pen-
deat, et non[12] oriatur a se, et rursus ad se reverta-
tur, et omnia sua complexa nihil quærat aliunde: non
intelligo, cur aut verbis tam vehementer ornanda, aut
re tantopere expetenda videatur. Ad hæc bona me si
revocas, Epicure, pareo, sequor, utor te ipso duce;
obliviscor etiam malorum, ut jubes, eoque facilius,
quod ea ne in malis quidem ponenda censeo. Sed tra-
ducis cogitationes meas ad voluptates. Quas? corporis,
credo, aut quæ propter corpus vel recordatione, vel
spe cogitentur. Num quid est aliud? rectene inter-
pretor sententiam tuam? Solent enim isti[13] negare
38 nos intelligere, quid dicat Epicurus. Hoc dicit, et

8. *Mortalis natus.* θνητὸς ὤν. Sulpicius ad Ciceronem, lib. IV; Fam. ep. 5: « Visne te, Servi, cohibere, et meminisse hominem te esse natum? » Sic etiam Phædrus, III, 8; Seneca de Const. Sap. cap. 6; Lactantius Div. Inst. III, 9, alii. Elegantem tamen hanc formulam duobus Apuleii locis exemisse videntur librarii. Sic lib. I Met. pag. 22: « Proclamarès saltem suppetiatum, si resistere vir tantus mulieri nequibas ». Lege *vir natus.* Iterum pagg. 27, 28: « Tu autem, inquit, vir, ut habitus et habitudo demonstrarant, ornatus (forte *natus*) accedis huic fabulæ? » Certe sic alibi loquitur doctus ille scriptor. Vide Apol. pagg. 411, 423. Dav.

9. *Dicenti.* Davis. e Reg. Pith. Balliol. Eliens. tert. aliique scripsit *docenti*, eumque Schütz. et Neid. secuti sunt. Nobis melior videtur lectio *dicenti*; cui jam respondent præcedentia, « quæ tamen ita dicet, dupliciter, etc. »

10. *Sic et ad beate.* Davis. et Neid. « sic etiam ad beate ».

11. *Extrinsecus religata.* Ab externis rebus pendens. Naio.

12. *Et non oriatur.* Davis. ex Eliens. tert. scribit « et non et oriatur », obtemperantibus Schütz. et Neid. Sic certe melius ostenditur negationem non solum ad *oriatur*, sed etiam ad *revertatur* et *quærat* pertinere: unde sententia lucidior fit.

13. *Solent enim isti negare.* Solemne Epicureis erat, adversariis objicere, eos sententiam suam male intellexisse. Naio.

hoc ille acriculus[14], me audiente, Athenis senex Zeno istorum acutissimus, contendere, et magna voce dicere solebat : eum esse beatum, qui præsentibus voluptatibus frueretur, confideretque se fruiturum, aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interveniente; aut si interveniret, si summus foret, futurum brevem; si[15] productior, plus habiturum jucundi, quam mali : hæc cogitantem fore beatum, præsertim si et ante perceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec deos extimesceret.

14. *Acriculus, me audiente, Athenis senex Zeno*. Davis. scribit « acriculus, me audiente Athenis, senex Zeno ». Interpunctionem, inquit, senan duce, mutavi. Sed hoc leviculum. At vero, quoad primam vocem, magna est in MSS lectionum diversitas. Cantabr. *Græculus*, eoque modo cuncti fere impressi. Perperam ; vix enim est, ut Zeno a Cicerone per contemptum *Græculus* vocaretur, qui paullo post audit *Epicureorum acutissimus*, ejusque disciplinæ *coryphæus* dictus est a Philone, ut ait Noster lib. I Nat. Deor. cap. 21, præterquam quod non Græcus fuit natione, sed Sidonius, quemadmodum docebit Laertius, lib. VII, pag. 172. Patet igitur exsibilandam esse istam scripturam; quæ vero sit recipienda, non ita manifestum. Norvic. *hariolus*. Petrens. *egriculus*. Pal. tert. *agriculus*. Quart. *acricolus* : in aliis *acroculus*, in aliis *agricolus*, in aliis *ecroculus*. Vatic. *aericulus*, quam lectionem recepit Janus Gebhardus, atque ita dudum correxerat Hadr. Turnebus Advers. lib. XX, cap. 16. Joachimo Camerario placet *apriculus*, quod seni et hortorum incolæ videatur convenire. Mihi sane præ omnibus arridet Petri Victorii conjectura, qui legendum suspicatur ἀκρόχολος. Zenonem certe tali indole fuisse, testimoniis ostendam. Tullius de Nat. Deor. lib. I, c. 34 : « Zeno quidem non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, ceteros, figebat maledictis; sed Socratem ipsum parentem philosophiæ, latino verbo utens, Scurram Atticum fuisse dicebat; Chrysippum numquam nisi Chesippum vocabat ». Lactantius Div. Instit. lib. III, cap. 20, de Socrate : « O hominem scurram (ut ait Zeno Epicureus) ineptum, perditum, desperatum, etc. » Non est autem, cur miremur peregrinum verbum a Marco adhibitum fuisse, quum latinus sermo vocem non suppeditet, quæ græcæ illius vim et potestatem plene exprimat. — Hæc Davis. in prima ed. qui postea vulgatam probam esse forsan agnovit : nam in tertia ed. nihil omnino de vv. lectt. notavit. Oliv. Schütz. Neid. habent *acriculus*, Oliv. et Neid. præterea Davisii interpunctionem sequentibus. — *Acriculus*. Qui facile irascitur. — *Zeno*. Non Stoicus ille, sed Epicureus, qui Ciceronis tempore vivebat. Nein.

15. *Si productior*. Davis. *sin prod.* Nos, inquit, Reg. Pithœan. et Eliens. tertio paruimus, nec non loquendi modo quem Cicero solet adhibere. — Cum Davis. Schütz. et Neid. faciunt.

39 XVIII. Habes formam Epicuri vitæ beatæ, verbis Zenonis expressam, nihil ut possit negari. Quid ergo? hujusne vitæ propositio et cogitatio aut Thyesten levare poterit, aut Æetam, de quo[1] paullò ante dixi, aut Telamonem, pulsum patria, exsulantem, atque egentem? in quo[2] hæc admiratio fiebat :

Hiccine est Telamo ille [3], modo quem gloria ad cælum extulit;
Quem adspectabant; cujus ob os [4] Graii ora obvertebant sua?

40 Quod si cui, ut ait idem, « simul animus cum re[5] con-

Mox Davisius in vv. *ante perceptis bonis* Reg. Pithœan. et Med. sequutus est. Vulgo « ante præceptis bonis ». Davisio obtemperaverunt Ern. Oliv. Wolf. Schütz. et Neid.

XVIII. 1. *De quo*. Davis. Bentleio suadente, scripsit *de quis*, quia de Thyeste et Æeta supra dixit cap. 12 ; sed ceteri *de quo* retinuerunt.

2. *In quo*. De cujus immutata conditione quidam mirabundus dicebat. Versus, qui sequuntur, sunt e fabula Ennii deprompti, quæ inscribitur Telamon. Ex eadem leguntur quædam de Div. II, 50. Nain.

3. *Hiccine est Telamo ille*. Davis. scribit « Hiccine est ille Telamo ». Versus, inquit, sunt trochaici, quos ex Ennii Telamone mutuatus est Noster. Eorum ultimum repetit lib. IX, Fam. Epist. 26. — Vulgo olim *Telamon, unde*, metri gratia Lamb. et Fabric. « Hiccine est Telamon ille ». Uterque Manut. « Hiccine Telamon ille est ». Norvic. et Petrens. « Hiccine est ille Telamon ».

4. *Cujus ob os Graii ora obv*. In laudem Telamonis hoc dictum est a tragico poeta, quod tanta fuerit Telamonis virtus et gloria, ut Græci ad illius os spectandum omnes ora converterent. De Alcibiade quoque proditum est, quod in illum universa civitas Atheniensium oculos, in illum suspensa ora converterat, Alcibiadem quasi de cælo missum contuentes admirabantur. Quin etiam Cicero noster gloriosior impendio gloriatur idem sibi accidisse, quod Telamoni, ut esset cunctis ex admiratione spectabilis; usurpatque hunc versum de semetipso : sic enim scribit in epist. ad Papyr. Pætum : « In eo igitur, inquis, convivio Cicero ille, quem spectabant, cujus ob os Graii ora obvertebant sua». *Ob os* autem significat *ad os*. Antiquos enim usos esse præp. *ob* pro *ad* testis est Ennius, qui ait *Acherontem obibo* : item « omnes occisi occensique in nocte serena », id est, accensi. Dicebatur quoque *obmoveo* pro *admoveo*, et complura hoc genus. Beroald.

5. *Simul animus cum re concidit*. MSS inter se non convenit. Norvic. « idem simul vel rem condidit ». Pall. quatuor : « simul animus rem condidit ». Alter : « simul animus recondidit ». Legendum « simul animus re concidit ». Hellenismus. Sic Ovidius Trist. lib. V, Eleg. X, 29 : « Quippe simul nobis habitat discrimine nullo

cidit », a gravibus illis antiquis[6] philosophis petenda medicina est, non ab his[7] voluptariis. Quam enim isti bonorum copiam dicunt? Fac sane esse summum bonum, non dolere: quamquam id non vocatur voluptas; sed non necesse est nunc omnia[8]. Idne est, quo traducti luctum levemus? Sit sane summum malum, dolere. In eo igitur qui non est[9], si malo careat, continuone fruitur summo bono?

Quid tergiversamur[10], Epicure, nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, quum os perfricuisti[11], soles dicere? Sunt hæc tua verba, necne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam (fungar enim jam interpretis munere, ne quis me putet fingere), dicis hæc : « Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud[12], detrahens eas volu- 41

Barbarus ... » Corn. Severus in Ætna, v. 57 : « ... geminantque faventes Undique discordes comitum simul agmine venti ». Silius Italicus, lib. V, 418 : « avulsa est protinus hosti Ore simul cervix ». Eadem loquendi ratione crebro usum fuisse Tacitum, notarunt eruditi. — Hæc Davis. in prima ed. qui postea, quum Bentleius ei objecisset eam locutionem *simul ore*, *simul agmine*, etc. nonnisi mortuo Cicerone, linguam latinam infecisse, et ipsum Ciceronem parcissimum esse in bellenismis adsciscendis, in tertia ed. scripsit « simul animus re cum concidit » ex iis codd. qui habent *rem condidit*. Sed eum ceteri editores non sequuti sunt.

6. *A gravibus illis antiquis*. Pythagora, Socrate, Platone, supra § 36. Nauu.

7. *Non ab his voluptariis*. Reg. Pithœan. Eliens. tert. Med. et Bak. « si non ab his voluptariis ». Legendum videtur, « sed non ab his voluptariis ». Davis.

8. *Nunc omnia*. His non est locus; ostendere nimirum, non dolere non vocari *voluptatem*, quod uberius fecit in lib. II de Fin. B. et M. Neid. — VV. *quamquam .. omnia* per parenthesim dicuntur.

9. *In eo igitur qui non est*. Hoc ait Cicero : Ex eo quod dolere sit summum malum, non esse consequens, quod in remotione doloris, vel in non dolendo, sit summum bonum : quoniam qui in dolore non est, etiamsi malo careat, non idcirco fruitur summo bono.

10. *Quid tergiversamur*. Quid impedit, quo minus statim verbis disertis dicamus, nos sub voluptate nullam aliam intelligere, nisi sensuum externorum, quam et tu intelligis. Neid.

11. *Quum os perfricuisti*. Omnem pudorem abjecisti. Neid.

12 *Nec equidem habeo ... bonum*

ptates, quæ sapore percipiuntur; detrahens eas, quæ auditu, et cantibus; detrahens eas etiam, quæ ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones, sive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu. Nec vero ita dici potest, mentis lætitiam solam esse in bonis. Lætantem enim mentem ita novi [13], spe eorum omnium, quæ supra dixi, fore ut natura iis
42 potiens, dolore careat ». Atque hæc quidem his verbis, quivis ut intelligat, quam voluptatem norit Epicurus. Deinde paullo infra, « Sæpe quæsivi, inquit, ex iis, qui appellabantur [14] sapientes, quid haberent, quod in bonis relinquerent, si illa detraxissent, nisi si vellent voces inanes fundere. Nihil ab his potui cognoscere: qui si virtutes ebullire nolent [15], et sa-

illud. Ita Dav. qui ootat: El. sec. *ullum.* Sic apud Nostrum de Fin. II, 3, Epicurus « testificator ne intelligere quidem se posse, ubi sit aut quid sit bonnm ullom, præter illnd, qnod eibo et potiooe et anriom deleetatione et ohscœna voluptate capiatur ». Vide quæ nos ibi diximns. Fateor tamen *illud* Græcis melios respondere, quapropter vulgata leetio non est movenda. Diogenes Laertins lib. X, § 6: Οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ ΧΥΛΩΝ ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων καὶ τὰς διὰ μορφῆς. Melins et integrius, excepto initio, leguntur apud Athenæum, lib. VII, p. 208: Οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ ΧΥΛΩΝ ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις.

13. *Ita novi.* Novi mentem ita (i. e. ea conditione) lætantem, sc. spe, etc. Neid. — Non aliter mens lætatur, oisi qoum ea sperat quæ dixi.

14. *Appellabantur sapientes.* Sic Reg. Pithœao. Eliens. sec. tert. et Petrens. Vulgo *appellantur.* Dav. — Cum Dav. Ern. Wolf. Schütz. et Neid. feciunt.

15. *Ebullire nolent.* Olim erat *volent*, de qoa lect. sic Dav. Ita quidem laudat Nonius in *ebullire.* Sed ejus et codicum Tullisoorum consensus haud faciet, quin locum corruptum esse putaverim; non enim intelligo, qui virtotum et sapientiarum jactatio in causa esse possit, cur Epicureum boonm agnoscant philosophi. Immo vult Epicurus harum rerum speciosa nomina præpedire, quo minus corporeas voloptates pro solo bono habeant sapientes. Rescribo itaque, « qui si virtotes ebullire nolent et sapientias ». Noster Fin. V, 27: « Dixerit hoc idem Epicurus semper beatum esse sapientem, quod qoidem solet ebullire nonnumquam ». Hinc liquet illi verbo metaphoricam *jactandi*, seu « fastuose præ

pientias, nihil aliud dicent, nisi eam vim[16], qua efficiantur eæ voluptates, quas supra dixi ». Quæ sequuntur, in eadem sententia sunt[17]; totusque liber, qui est de summo bono, refertus et verbis et sententiis talibus[18].

Ad hanccine igitur vitam Telamonem illum revocabis, ut leves ægritudinem? et, si quem tuorum afflictum mœrore videris, huic acipenserem[19] potius, quam aliquem Socraticum libellum dabis? hydrauli hortabere[20] ut audiat voces potius, quam Platonis? 43

se ferendi » potestatem inesse. Certe reliquis philosophis, ut putabant Epicurei, Ἀρεταὶ ΚΟΜΠΟΙ ΚΕΝΟΙ ψοφοῦσιν ἀντ' ὀνειράτων. Verba sunt Alexidis apud Athenæum lib. VIII, pag. 336. Vid. Laert. lib. X, § 7. Dav. — Bentleius ad Davisium : Ingeniose et vere tu reponis, *ebullire nolent :* aut sic enim legendum est, aut, quod eodem redit, « qui, nisi si virtutes ebullire volent ». Ceterum, quum hic interpretis munere fungatur Cicero, et verbum de verbo reddat, vocabulum græcum, quod hic vertit *ebullire*, vix aliud esse potuit quam παφλάζειν: id enim et proprie *ebullire* significat; et metaphorice, cum strepitu et inani jactatione verba fundere. Noster alibi de Epicuro et ejus asseclis *effutire* et *balbutire* non dispari sensu dicere solet : quæ sat prope accedunt ad receptam lectionem *ebullire :* sed hoc Nonii auctoritate stabilitur.

16. *Nisi eam viam.* Davisius cum Lamb. e Nonio, scribit « nisi eam vim »: quod prætuli.

17. *In eadem sent. sunt.* Lambino placet « in eamdem sententiam » ; quæ quidem usitatior est loquendi ratio. Davis.

18. *Refertus et verbis et sententiis talibus.* Bene quidem Eliens. tert. « refertus est et verbis ». Malim tamen « refertus est verbis et sententiis talibus », ut reliquis libris accedamus quam proxime. Dav.

19. *Acipenserem.* Acipenser piscis delicatus et magni pretii apud Romanos. Vid. Horat. Sat. II, 2, 47, ibique Interpretes. Nsid.

20. *Hydrauli hortabere.* Vulgg. αὐλῶν. Froben. αὐλοῦ. Norvic. *Sirenum :* at ad eam, quam sequimur, scripturam ducunt plerique codices manu exarati; nam Suffrid. Gryph. Pith. Pal. tert. HΥΔΡΑΑΙ; quint. HΥΔρααι; quart. et Petreus. *hyarali.* Vatic. *hydraulis.* Lambin. *hydraulei.* Testatur quidem Pet. Victorius, antiquiores libros, quoscumque vidit, *hydrauleos* nomen retinere ; quod perinde est; tam enim ὕδραυλις, quam *Hydraulus*, instrumentum musicum denotat; in quo: « . . . resonante diu Tritone canoro, Pellit opes collectus aquæ, victusque movetur Spiritus, et longas emugit buccina voces; Carmineque irriguo magni cortina theatri Imparibus numerosa modis canit arte regentis, Quæ tenuem impellens animam subremigat undam » ; ut ait Corn. Severus in Ætna, vs. 292. Hæc organa descripsere Vitruvius, lib. X, cap. 13, et Athenæus, Deipnos. lib. IV,

expones, quæ spectet, florida et varia? fasciculum ad nares admovebis? incendes odores? et sertis redimiri jubebis, et rosa? Si vero aliquid etiam[21]..... tum plane luctum omnem absterseris.

44 XIX. Hæc Epicuro confitenda sunt, aut ea, quæ modo expressa ad verbum dixi, tollenda de libro, vel totus liber potius abjiciundus : est enim confertus voluptatibus. Quærendum igitur, quemadmodum ægritudine privemus eum, qui ita dicat[1] :

> .... Pol mihi fortuna magis nunc defit[2], quam genus.
> Namque regnum suppetebat mihi : ut scias quanto e loco,
> Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna occidat.

Quid? huic calix mulsi[3] impingendus est, ut plorare desinat, aut aliquid ejusmodi? Ecce tibi ex altera parte ab eodem poeta :

> Ex opibus summis opis egens, Hector, tuæ.

Huic[4] subvenire debemus : quærit enim auxilium.

> Quid petam præsidi[5], aut exsequar? quove nunc auxilio, aut fuga

cap. 23. — *Hydrauli.* Hydraulus fuit instrumentum musicum simile huic nostro, quod inflatum spiritu sonos edit. Nam quod in hoc nostro spiritus, id in illo aqua efficiebat. Vide Gesnerum in Chrest. Plin. pag. 404. Ern.

21. *Si vero aliquid etiam.* Eliens. sec. « si venereum addideris aliquid etiam ». Ven. 1491, aliæque veteres editt. « si vero etiam aliquid admoveris ». Ea sane manifestaria sunt glossemata; nec locus aut talibus libris, aut aliis etiam conjecturis, eget; nam, quod recte monuerunt Camerarius et Ursinus, est honesta ἀποσιώπησις, qua τὰ ἀφροδίσια modeste reticentur. Vide Donatum ad Terentii Eun. act. III, sc. II, 26, et Servium ad Virgilii Eclog. III, 8. Dav.

XIX. 1. *Eum, qui ita dicat.* Rursus Telamonis verba e tragœdia, quibus exsilium suum deplorat in quod ob fratrem Phocum a se interfectum pulsus fuerat. Cf. § 39. Neid.

2. *Defit* pro *deficit.*

3. *Calix mulsi.* Mulsum est commixtio (inquit Schol. ad Horat. Sat. II, 4, 26) aquæ puræ et mellis incocti. Secundum Celsum fiebat mulsum ex melle et vino. Neid.

4. *Huic.* Andromachæ.

5. *Quid petam præsidi*, etc. Hos versus sic Davisius extulit : « Quid petam præsidi, aut exsequar? quove nunc Auxilio exili aut fugæ freta sim? Arce et urbe orba sum : quo accidam? quo adplicem? Cui nec aræ patriæ domi stant : fractæ et disjectæ

Freta sim? arce, et urbe orba sum. Quo accedam [6]? quo applicem?
Cui nec aræ patriæ domi stant; fractæ et disjectæ jacent;
Fana flamma deflagrata; tosti alti stant parietes,
Deformati, atque abiete crispa [7].

Scitis [8], quæ sequantur; et illud in primis:

O pater, o patria, o Priami domus,
Septum altisono cardine templum:
Vidi ego te, adstante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore instructam regifice.

O poetam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis [9] contemnitur. Sentit, omnia repentina

jacent: Fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes, Deformati, atque abiete crispa ... » In his refingendis Davisius Bentleium sequutus est, qui vidit hos versus esse creticos tetrametros. Quod dedit Davis. « auxilio exsili aut fugæ », hoc e Reg. aliisque qui habent « auxilio exsilii aut fuga », et Balliol. qui puram hanc lect. refert.

6. *Quo accedam?* Nescimus unde Dav. Schütz. Neid. *accidam* receperint, quod Neid. interpretatur: ad cujus genua supplex accidam? Certe utrumque ferri potest.

7. *Abiete crispa.* Quales trabes abiegnæ esse solent quum sunt adustæ, non plane combustæ. Ern.

8. *Scitis.* In prima ed. Dav. dederat *scis* e Norvic. quia cum uno loquitur Cicero. Et certe hæc lectio allatis exemplis egere nobis videtur, ut confirmetur.

9. *Ab his cantoribus Euphorionis.* Euphorion erat poeta de cujus pretio antiquorum judicium valde ambiguum est. Cicero eum et hoc in loco, et de Div. II, 64, ubi eum poetam nimis obscurum vocat, carpere videtur. E Luciani quoque loco (πῶς δεῖ ἱστορ. συγγράφειν tom IV, pag. 215, ed. Bipont.) colligi potest, eum ad poetas pejoris notæ pertinuisse. Quintilianus contra (lib. X, 1) ejus partes tueri videtur, auctoritate Virgilii nisus, « qui, nisi eum probasset, numquam conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis (Ecl. X, 50) mentionem ». Ego, si quid video, non prorsus ad pessimos poetas eum ablegaverim, sed talem fuisse puto, qui nimis fuse, sine nervis ac tumide, non ad severiores critices regulas omnia tractaret, et, sedulo pingendi occasionem quamlibet arripiens, purpureum late qui splenderet unum et alterum assueret pannum. Cupide igitur legebantur et ipse, et ei similes, ab his, quorum sensus pulchri depravatior esset, omnesque poetas severiores ac nervosiores, e. g. Ennium negligerent. Hos poetas et lectores vocat Cicero *cantores Euphorionis.* Cf. Casaub. ad Suet. Tib. cap. 70, et Salmasius Exercitat. Plinianis, 856. Nein.

et nec opinata esse graviora. Exaggeratis[10] igitur regiis opibus, quæ videbantur sempiternæ fore, quid adjungit?

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram sanguine turpari.

46 Præclarum carmen: est enim et rebus, et verbis, et modis lugubre[11]. Eripiamus huic ægritudinem. Quo modo? Collocemus in culcita plumea; psaltriam adducamus[12]; hedychrum[13] incendamus; demus scutellam[14] dulciculæ potionis; aliquid videamus[15] et

10. *Exaggeratis igitur regiis opibus*. Sic Med. Balliol. et Bak. Vulgo *regis*. Dav. — Schütz. et Neid. reposuerunt *regis*.

11. *Modis lugubre*. In primis ob versus similiter in *ari* cadentes lugubre quoddam carmen spirat. Nein.

12. *Eripiamus ... adducamus*. Hæc habet velut ex Ciceronis Tusc. IV. Nonius in *culcita*. Sed emendandi sunt ejus codices. Dav.

13. *Hedychrum incendamus*. Ph. Beroaldus legendum conjecit « cedrum incendamus », quam odoratam esse et uri solitam constat. Vide Cl. Salmas. Exerc. Plin. pag. 950. Inde factum, ut Camerarius, Manutius, et Lambinus hanc certatim laudarint conjecturam. Et sane Pal. quart. *hedrum*; Eliens. pr. *cedricum* repræsentat. At quum reliqui fere codices *hedricrum* vel *hedychrum* retineant, id legitimum esse hujus loci vidit Pet. Victorius; nam recte monet, haud esse vulgi verbum, sed et græcum et elegans. Se tamen non expediit vir eruditissimus, quod *hedychrum* inter ea, quæ urantur ad odores, non recenseatur, sed inter unguenta. Dioscorides, lib. I, cap. 61: Καὶ τὸ καλούμενον δὲ ἡδύχρουν, σκευαζόμενον δὲ ἐν Κῷ, τῆς αὐτῆς ἔχηται δυνάμεώς τε καὶ σκευασίας τῷ ἀμαρακίνῳ· εὐωδέστερον δὲ τυγχάνει. Plurimi codices ordinem verborum mutant; exhibent enim, « psaltriam adducamus, demus hedychrum, incendamus scutellam dulciculæ potionis, etc. » Nec causam video, cur rejiciatur ista lectio: nisi quod, cum Reg. Med. et Pithœan. habeant « damus hedrycrum », lubens rescripserim, « ungamus hedychro ». Dav. — Wolf. Schütz. Neid. « psaltriam adducamus: demus hedychrum: intendamus scutellam d. p. »

14. *Scutellam*. Pateram fortasse sic dictam, quod formam parvi scuti referret. Nein.

15. *Aliquid videamus*. Multi MSS *provideamus*, quod ab iis manavit, qui alterius verbi potestatem non ceperint. De ea vide Petr. Victorium in lib. XIV ad Attic. Epist. 21. Priscianus lib. III, col. 612, Cicero in III Tusc. « Dulciculæ potionis aliquid videamus »; ut hunc locum aliter interpunctum legerit ille grammaticus. Sed non minus ejus auctoritate constat *videamus*. Dav.—Vide Gifanium in Obss. Linguæ Latinæ.

cibi. Hæc tandem bona sunt, quibus ægritudines gravissimæ detrahantur? Tu enim paullo ante ne intelligere te quidem alia ulla dicebas. Revocari igitur oportere a mœrore ad cogitationem bonorum, conveniret mihi cum Epicuro, si, quid esset bonum, conveniret.

XX. Dicet aliquis[1] : Quid ergo? tu Epicurum existimas[2] ista voluisse, aut libidinosas ejus fuisse sententias? Ego vero minime : video enim ab eo dici multa severe, multa præclare. Itaque, ut sæpe dixi, de acumine agitur ejus[3], non de moribus; quamvis spernat[4] voluptates eas, quas modo laudavit, ego tamen meminero, quod videatur ei summum bonum. Non enim verbo solum posuit voluptatem, sed explanavit quid diceret. «Saporem, inquit, et corporum complexum[5], et ludos, atque cantus, et formas eas, quibus oculi jucunde moveantur.» Num fingo? num mentior? cupio refelli. Quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quæstione explicetur?

At idem ait, non crescere[6] voluptatem dolore de- 47

XX. 1. *Dicet aliquis.* His et sequentibus contra eos disputatur, qui Epicurum defenderent dicentes primum : mores ejus esse integros; dein voluptatem Epicuri esse non dolere (§ 47); denique eum sæpius laudare virtutem (§ 48). Nein.

2. *Tu Epicurum existimas.* Vulgo *existimabas*; et ita quidem plerique codices. At sequendos fuisse Manutii Lambinique editt. res ipsa docuit, ut et MS Balliol. auctoritas. Dav. — Schütz. et Neid. scribunt : « quid ? ergo tu Ep. existimas».

3. *De acumine ag. ejus.* Ingenium, acumen ejus reprehenditur solum, non mores, qui sunt integerrimi; sed commendando voluptatem sibi ipsi non constat. Neid.

4. *Spernat voluptates.* Davisius in prima ed. dederat *aspernetur*, hac nota addita : Vulgg. ex glossa « spernat voluptates »; nos, adscititia illa lectione rejecta, veram ac genuinam fide MS Norvic. reduximus. Paullo post impressi repræsentant « sed explanavit quid diceret »; nobis auctor fuit codex optimus, ut hanc editionem vocula faceremus auctiorem. — Scilicet hac in ed. dederat Davis. « sed etiam expl. » sed postea vulgatam utroque loco restituit.

5. *Corporum complexum.* De coitu.

6. *Non crescere.* Summum gradum

tracto; summamque voluptatem, nihil dolere. Paucis verbis tria magna peccata: unum, quod secum ipse pugnat: modo enim[7], ne suspicari quidem se quidquam bonum, nisi sensus quasi titillarentur[8] voluptate; nunc autem, summam voluptatem esse, dolore carere. Potestne magis secum ipse pugnare? Alterum peccatum, quod, quum in natura tria sint: unum, gaudere[9]; alterum, dolere; tertium, nec gaudere, nec dolere: hic primum, et tertium putat idem esse, nec distinguit a non dolendo voluptatem. Tertium peccatum commune cum quibusdam[10], quod, quum virtus maxime expetatur, ejusque adipiscendæ causa philosophia quæsita sit, ille a virtute summum bonum separavit.

48 At laudat, et sæpe[11], virtutem. Et quidem C. Grac-

attigisse voluptatem, si dolor absit. N.

7. *Modo enim.* Scilicet dicebat, profitebatur; ut ex iis locis patet, quos paullo ante allegavit Cicero § 41, 42, 46. Nein.

8. *Nisi sensus quasi titillarentur volupt.* Sic est legendum, et hæc vera et sincera scriptura: nam quod quidam libb. vett. ex nostris habent « nisi sensus quis aitit hilarentur voluptate », quis non videt, eam scripturam esse corruptam, et hæc vv. » qua altit hilarentur, » si suo ordine et suo situ syllabæ legantur, et si literæ ita ut debent jungantur et disjungantur efficere hanc nostram lect. » nisi sensus quasi titillarentur, etc. »: nam adspirationis nota addita et *l.* detracta me non movent: omnino, ut semel dicam, sic legendum, ut semper edidi: et qui aliter judicant, nihil sapiunt, nihil vident. Lamb. — Davisius, Bentleio jubente, ob latinitatem mutant *titillentur.* Sed imperfectum optime stat, ob v. *professus est* vel aliud, quod post *modo enim* subauditur; quodque hac in phrasi latere satis ostendunt vv. sequentia « nunc autem »: quod miror Davisium fugisse.

9. *Unum, gaudere.* Si enim τὸ *gaudere* sit $= + a$; *dolere* erit $= - a$; itaque *nec gaudere, nec dolere* erit $= o$; in hoc ergo peccabat Epicurus, ut ei esset $+ a = o$, quod contradictorium est. Nein.

10. *Tertium peccatum commune cum quibusdam.* Hæc scriptura plurimis MSS et veteribus editt. nititur. Norvic. unus: « tertium peccatum est commune cum quibusdam »: alter, » tertium peccatum commune est quibusdam ». Ego sane nec hanc nec illam præ recepta magni fecerim.

11. *At laudat, et sæpe, virtutem.* Davisius delevit *et* auct. Reg. Pith. Eliens. tert. Bak. et Balliol. ceteris eum non sequentibus.

chus[12], quum largitiones maximas fecisset, et effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium. Quid verba audiam, quum facta videam? Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat: is, lege lata, consularis ad frumentum accipiendum venerat. Animadvertit Gracchus in concione[13] Pisonem stantem: quærit, audiente populo romano, qui sibi constet, quum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit[14]. « Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat[15]; sed si facias, partem petam. » Parumne declaravit vir gravis et sapiens, lege Sempronia patrimonium publicum dissipari? Lege orationes Gracchi; patronum ærarii esse dices.

Negat Epicurus jucunde posse vivi, nisi cum vir- 49
tute vivatur: negat ullam in sapientem vim esse fortunæ; tenuem victum antefert copioso; negat ullum esse tempus, quo sapiens non beatus sit. Omnia philosopho digna, sed cum voluptate pugnantia.

Non istam dicit voluptatem. Dicat quamlibet: nempe eam dicit, in qua virtutis nulla pars insit. Age,

12. *C. Gracchus.* Tribunus plebis, legem tulit ann. U. C. 630, qua sancitum est, ut pauperibus semissibus et trientibus singuli frumenti modii venderentur. Erat locus Romæ constitutus, in quo frumentum publicum asservabatur, qui dictus est *horrea Sempronia.* Lex autem illa *Sempronia.* C. Gracchus hac lege aliisque hujus generis patricios adeo sibi inimicos fecit, ut, orta seditione, in foro trucidatus fuerit consulibus Bruto et Opimio.

13. *Pisonem.* L. Calpurnus Piso, *Frugi* cognominatus ob probitatem et temperantiam. Sæpe laudatur a Cic. vid. pro Font. cap. 16. In tribunatu ann. Urb. C. 604, legem tulit de pecuniis repetundis, quæ Calpurnia est vocata.

14. *Quam dissuaserit.* Vulgo *dissuaserat.* Sed alteram lectionem ratam faciunt Reg. Pithœan. et Eliens. sec. DAV. — Ceteri Davisium secuti sunt.

15. *Nolim ... libeat.* Sic est in MSS multis Suffridi, ut notat Gulielm. Sic Fabr. Pith. Pal. quart. ac Vatic. Vulgo *liceat.* In Pith. porro est *libeat dividere.* Libeat etiam considerare lect. Fabr. « nolim, inquit, bone Gracche, tibi viritim d. l. », quæ absque dubio aut vera aut vero proxima est. Ferme sic in Gryph. « Nolim, inquit, mea, bone Gracche, tibi viritim div. lib. » EBHARD. — *Mea bona.* Quatenus

si voluptatem[16] non intelligimus, ne dolorem quidem? Nego igitur ejus esse, qui dolore summum malum metiatur, mentionem facere virtutis.

50 XXI. Et queruntur quidam[1] Epicurei, viri optimi (nam nullum genus est minus malitiosum), me studiose dicere contra Epicurum. Ita credo[2], de honore, aut de dignitate contendimus. Mihi summum in animo bonum videtur, illi autem in corpore; mihi in virtute, illi in voluptate. Et illi pugnant[3], et quidem vicinorum fidem implorant: multi autem sunt, qui statim convolent. Ego sum is, qui dicam me non laborare, actum habiturum[4] quod egerint. Quid enim?

essent bona reipubl. etiam sua jure vocare poterat. Nein.

16. *Age, si voluptatem.* Sensus: Fac nos non intelligere, quid Epicurus sub voce *voluptas* intelligi velit (quod sæpius adversariis objiciebat), nonne vis ac potestas vocis *dolor* liquet? Quum ergo dicat, summum malum esse dolorem, inde concludere licet, ei summum bonum videri voluptatem et non virtutem. Nein.

XXI. 1. *Et queruntur quidam Ep.* Davis. ed. 1 «et conqueruntur quidem» ex Petrens. ac Froben. Buher. Wolf. Schütz. Neld. «et queruntur quidem», quod est in Norvic. et Ven. 1491. — *Et queruntur quidam.* Defendit se Cicero contra querelas Epicureorum, qui moleste ferrent, se quavis occasione ab eo acriter peti. Sensum totius orationis paullo obscuriorem sic constituendum censeo: Queruntur, inquit, Epicurei, me studiose contra Epicurum dicere. Si certamen esset de honore aliquo in civitate capessendo, suspicio foret me iracundius in hoc certamine agere; in hac vero nostra disputatione omnes animi motus silere debebunt, agitur enim de summo bono ac virtute. Epicurei contra, quasi injustissime cum iis agatur, opem vicinorum implorant, et inveniuntur haud pauci, qui injuria eos a me affectos esse putant. Ego ipsis concedam, meque victum fatear, si rationibus me convincent. Nein.

2. *Credo.* Ironice dictum, ut sæpius. Nein.—Sensus ergo: nec de honore aliquo contendimus, ut ego studii vehementioris suspicionem trahere possim?

3. *Pugnant.* Unus cod. *repugnant.*

4. *Actum habiturum.* D. Lambinus emendat «ratum habiturum», ac ita fere loquuntur Romani. Andr. autem Schottus Nodor. Cicer. lib. II, cap. 22, «actum abiturum», cui quidem conjecturæ favet Cantabr. is enim habet «actum abitura». Dav. — *Actum habiturum.* Approbaturum, si modò rationes sufficientes attulerint. Nein. —Quando contendere nolumus, dicere solemus, habituros nos ratum et actum quidquid egerint adversarii. Proverbium est apud antiquos, «actum agam, actum agis», pro eo quod est, «nihil agam, nihil agis»; quod enim in jure semel judicatum fuerit, rescin-

de bello Punico[5] agitur? de quo ipso quum aliud M. Catoni, aliud L. Lentulo videretur, nulla inter eos concertatio umquam fuit. Hi nimis[6] iracunde agunt, præsertim quum ab his non sane animosa[7] defendatur sententia, pro qua non in senatu, non in concione, non apud exercitum, neque apud[8] censores dicere audeant. Sed cum istis alias, et eo quidem animo, nullum ut certamen instituam, verum dicentibus[9] facile cedam. Tantum admonebo: si maxime verum sit, ad corpus omnia referre sapientem, sive, ut honestius dicam, nihil facere, nisi quod[10] expediat, sive omnia referre ad utilitatem suam; quoniam hæc plausibilia non sunt, ut in sinu gaudeant[11], gloriose loqui desinant.

di et iterum agi non potest. Hinc illud Terentianum in Phormione : « actum, aiunt, ne agas ». Beroald.

5. *De bello Punico agitur*. Sens. Adeo necessarium non est, nos hostili modo inter nos agere, quum M. Cato censorius, et L. Lentulus, quamvis in diversas de bello Punico sententias abirent, numquam inimici facti sunt. Nein.

6. *Hi nimis*. Omnis culpa inimicitiæ in Epicureos cadit. Nein.

7. *Non sane animosa*. Est, in qua vel defendenda vel oppugnanda facile vehementius moventur animi, etiam iracundia, quales sunt, quæ sequuntur, de rebus publicis. Ern.

8. *Neque apud censores*. Davisius « neque ad censores ». Hanc, inquit, lectionem firmant Reg. Med. Eliens. pr. sec. tert. Vatic. Petrens. et Bak. Sic Cæsar, lib. I B. G. cap. 31 : « Iidem principes civitatum, qui ante fuerant ad Cæsarem, reverterunt ». Ita nos legendum docuimus, et eam quidem emendationem pluribus exemplis jam stabiliemus. Varro, R. R. lib. I, cap. 2 : « Ad te enim rudes esse agriculturæ nunc, olim ad Stolonem fuisse dicunt ». Terentius Heaut. act. III, sc. III, 43 : « Eaque est nunc ad uxorem tuam ». Vide et act. V, sc. II, 26. — Neid. Davisium sequitur.

9. *Verum dic. f. cedam*. Iis facile cedam, eorumque partes amplectar, si probent se verum dicere.

10. *Nisi quod expediat*. Reprehendendus non est, qui nihil facit, nisi quod expediat. Est, qui nihil, nisi quod sibi expediat. Credibile est igitur scripsisse Ciceronem : « nisi quod expediat sibi » : postremamque vocem ab iis esse mutatam, qui e margine in contextum intruserunt ineptam paraphrasim illam : « Omnis referre ad utilitatem suam ». Bouherius.

11. *In sinu gaudeant*. Privatim, secum; potius eos pudere oportet suæ sententiæ; quare non est, cur glorientur. Nein.

52 XXII. Cyrenaicorum restat[1] sententia : qui tum ægritudinem censent[2] exsistere, si nec opinato quid evenerit. Est id quidem magnum, ut supra dixi. Etiam Chrysippo ita videri scio, quod provisum ante non sit, id ferire[3] vehementius. Sed non sunt in hoc omnia : quamquam hostium repens adventus magis aliquanto[4] conturbat, quam exspectatus; et maris subita tempestas, quam ante provisa, terret navigantes vehementius; et ejusmodi sunt pleraque. Sed quum diligenter nec opinatorum naturam consideres, nihil aliud reperias, nisi omnia videri subita majora; et quidem ob duas causas : primum, quod, quanta sint quæ accidunt, considerandi spatium non datur; deinde quum videtur præcaveri potuisse, si provisum esset, quasi culpa contractum malum ægri-

XXII. 1. *Cyrenaicorum restat* ... (usque ad finem cap. xxv, pag. 316) *perleviter pungat animi dolor.* Examen sententiæ Cyrenaicorum de ægritudine. Cyrenaici putabant (cf. § 28) ægritudinem ex malo inopinato exsistere, Si, inquit Cicero, naturam nec opinatorum malorum propius consideres, reperias, subita et non opinata majora fieri duabus de causis. Eatenus ergo mecum congruunt Cyrenaici, qui ægritudinem ex opinione magni mali derivavi. Nein.

2. *Qui tum ægritudinem censent exsistere.* Balliol. exhibet, « quæ tum ægritudinem censet exsistere », ut ad *sententiam* referatur. Eleganter quidem, et ita solet Cicero. Sic Tuscul. V, 29 : « Quorum oratio nihil ipsa judicat ». Et lib. III, Nat. Deor. cap. 2 : « Moveor auctoritate tua, Balbe, et oratione ea quæ me in perorando cohortabatur ». Ibi plura congessimus, ut et ad lib. II de Divin. cap. 35. Lectionem tamen vulgatam teneo, quum Reg. Med. aliique codices eam repræsentent. Dav.

3. *Id ferire vehementius.* Omnes MSS dant, « id fieri vehementius ». Sed bonam Rivii conjecturam optimo jure receperunt Lambinus et Gebhardus. Infra cap. 23 : « Feriunt fortasse gravius ». In hac locutione multus est Seneca. Sic Cons. ad Marciam, cap. 9 : « Necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur ». Iterum Epist. LVII : « Hujus quoque ferietur animus, mutabitur color ». Vide et Epist. CVIII. Dav. — Buherius defendit *fieri*, quod certe frigidius est. Sed Ernest. Oliv. Wolf. Schütz. Neid. *ferire*.

4. *Magis aliquanto conturbat.* Vulgo *aliquando*. Quasi, quæ sunt inopinata, non semper gravius feriant, quam exspectata! Nos igitur lectionem, quam Bak. dedit, quamque tamdiu Manutius et Lambinus expres-

tudinem acriorem facit. Quod ita esse dies[5] declarat: 53
quæ procedens ita mitigat, ut, iisdem malis manentibus, non modo leniatur ægritudo, sed in plerisque tollatur. Carthaginienses multi Romæ servierunt; Macedones, rege Perse capto[6]. Vidi etiam in Peloponneso, quum essem adolescens[7], quosdam Corinthios. Hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare[8],

Hæc omnia vidi.

Sed jam decantaverant[9] fortasse: eo enim erant vultu, oratione[10], omni reliquo motu, et statu, ut eos Argi-

serunt, reducendam putavimus. Dav. — Cum Davisio faciunt Ern. Oliv. Wolf. Schütz. et Neid.

5. *Dies.* Tempus, temporis longinquitas. Nau.

6. *Rege Perse capto.* Postquam a Paullo Æmilio devictus fuisset.

7. *Quum essem adolescens.* Nam Corinthus ann. Urb. 608 a Mummio deleta, a Jul. Cæsare instaurata est. Cicero natus ann. Urb. 647. Nau.

8. *Eadem illa de Andromacha deplorare.* Narrat Davisius oblatum sibi esse veterem manu exaratum codicem, in quo legerit *deplorasse*, quod habet quoque antiqua editio quæ penes me est. Vera hæc, et omnino retinenda est lectio. Quum ex consequentibus appareat, Corinthios cives illos, jam patriæ oblitos, nihil cogitare minus, quam ut ejus calamitatem deplorarent: ait tantummodo Tullius potuisse illos eadem deplorare olim, quæ in fabula deplorat Andromacha; ceterum longa die jamdudum lacrymas exaruisse. Bunar.

9. *Sed jam decantaverant*, etc. In antiqua editione: « sed jam etiam decantaverant ». In Lugdunensi codice, itemque in Regio, *sed etiam*, etc. Nemo, quod miror, suspicatus est, omnino legendum esse: « sed jam recantaverant ». Vulgatum illud *decantaverant*, quum nihil ultra *cantaverant* dicat, longe est a Ciceronis sententia remotum, qui vult intelligi, Corinthios ploratores illos, vivere jam securos patriæ, et traducto in alias urbes, quibus transcripti fuerant, affectu, veteres quodammodo amores ac pristina desideria recantasse. Vidit sane nodum Adrianus Turnebus, et Advers. XIX, 5, expedire sic tentavit: « decantaverant, opinor, dicit, non decantabant, sed decantare desierant ». At enim nimis hoc ambiguum est. Tum res ipsa verbum *recantaverant* ultro adducebat, sic aptum loco et congruens, ut credibile sit, hic a Cicerone usurpatum esse, uti post ipsum ab Horatio, Od. I, 16, vs. 24. Bunar. — Schütz. hanc Buher. damnat conjecturam, et merito. — *Decantaverant.* Cantandi et deplorandi finem jam fecerant.

10. *Oratione.* Ita omnes omnino MSS, ut *ornatu* nihil sit opus; quo modo Manutius et Lambinus emen-

vos[11], aut Sicyonios diceres; magisque me moverant Corinthi subito adspectæ parietinæ[12], quam ipsos Corinthios[13], quorum animis diuturna cogitatio callum
54 vetustatis obduxerat. Legimus librum Clitomachi, quem ille eversa Carthagine misit consolandi causa ad captivos cives suos. In eo est disputatio scripta Carneadis[14]; quam se ait in commentarium retulisse. Quum ita positum esset[15], « videri fore in ægritudine sapientem, patria capta » : quæ Carneades contra dixerit, scripta sunt. Tanta igitur calamitatis præsentis adhibetur a philosopho medicina, quanta in inveterata[16] ne desideratur quidem. Nec, si aliquot annis post idem ille liber captivis missus esset, vulneribus

dandum censnere. Nemini sane latet, sermonem, non minus quam vultum, pro variis animi perturbationibus mutatum esse. Dav.

11. *Ut eos Argivos.* I. e. felicissimos, quibus nil calamitatis accidisset. Neid.

12. *Subito adspectæ parietinæ. Parietinæ*, quam vocem alibi quoque non refugit Cicero, sunt « parietum ruinæ », ut ex glossemate repræsentant nonnulli libri tam MSS quam editi. Isidorus, Orig. lib. XV, cap. 8 : « Parietinas dicimus, quasi parietum ruinas. Sunt enim parietes stantes sine tecto et sine habitantibus ». Hieronymus in Rufin. lib. III, pag. 528, A. « Vis scire ... vulpecularum insidias, quæ habitant in parietinis ». Utitur et Plinius H. N. XXII, 17. Dav. — Cod. Reg. *parietum ruinæ*.

13. *Quam ipsos Corinthios.* Ursinus se malle testatur, « quam ipsi Corinthii » (probante Buberio). Sed hac in re nimia inconsideratum se præstitit vir ille doctus; non enim erat, cur vel minime quidem Ciceronem moverent adspecti Corinthii, qui nulla præ se ferebant indicia miseriæ. At urbis tam nobilis ruinæ primum visæ animo non prorsus inhumano dolorem possint incutere. Pari modo Julius Cæsar, Corinthi visis ruderibus, εἰς τοιαύτην ἦλθε ΣΥΜΠΑΘΕΙΑΝ καὶ φιλοδοξίαν ὥστε μετὰ πολλῆς σπουδῆς πάλιν αὐτὴν ἀναστῆσαι. Verba sunt Diodori Siculi in Excerpt. Peiresc. pag. 345. Davis.

14. *Carneadis.* Carneades proprie non fuit Carthaginiensis, sed Cyrenaicus. Quum vero Cyrene æque ac Carthago urbs Africæ esset, Cicero Carthaginienses sensu latiori vocat cives Carneadis. Neid.

15. *Quum ita positum esset.* Sc. quum aliquis hoc affirmasset, et ad disputandum protulisset. Neid.

16. *Quanta in inveterata.* Vulgo « quanta inveteratæ ». At Reg. Pithœan. Balliol. aliique codices « quanta inveterata » : ut Cicero scripserit « quanta in inveterata », quo modo Des. Erasmus edidit. Davis. — Sic etiam Ern. Schütz. et Neid. ediderunt.

mederetur, sed cicatricibus[17]. Sensim enim, et pedetentim progrediens extenuatur dolor; non quo[18] ipsa res immutari soleat, aut possit; sed id, quod ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quæ sint visa majora.

XXIII. Quid ergo opus est[1], dicet aliquis, oratione, 55
aut omnino consolatione ulla[2], qua solemus uti, quum levare dolorem mœrentium volumus? Hoc enim fere[3] tum habemus in promptu, nihil oportere inopinatum videri. Aut qui tolerabilius feret[4] incommodum, qui cognoverit, necesse esse homini tale aliquid accidere? Hæc enim oratio de ipsa summa mali nihil detrahit: tantummodo affert, nihil evenisse, quod non opinandum fuisset. Neque tamen genus id orationis in consolando non valet: sed id haud sciam an plurimum. Ergo ista nec opinata non habent tantam vim, ut ægritudo ex his omnis oriatur.

17. *Cicatricibus.* Quum nimirum tempore jam sanata essent vulnera. Nem.

18. *Non quo.* Wolf. Sch. Neid. *non quod* e Leidd. duobus.

XXIII. 1. *Quid ergo opus est ... non quia repentina.* Occurrit hic Cicero objectioni. Si tempus, dicat aliquis, omnem ægritudinem levat, quid opus est, consolari aliquem his verbis: nihil tibi inopinatum videatur? Nonne idem effecturum fuisset tempus? Hoc verum quidem, sed usu rerum edocemur hanc consolationem plurimum valere. Feriunt enim quidem inopinata forsan gravius, sed ægritudo exsistit non inde, quia inopinata sunt, sed quia recentia. Utilis erit ergo consolatio, quatenus dolor est recens. Nem. — Nobis contra hæc ipse Cicero videtur doctrinæ Cyrenaicorum objicere: quam objectionem ipse directe non facit, quia postea de illius vi judicat in vv. « Neque tamen genus ». Ea autem Cyrenaicis objici arbitramur ex sqq. « Ergo ista nec opinata », quæ certe a Cicerone et contra Cyrenaicos dicuntur. Vid. cap. seq. § 59: « Hoc igitur efficitur ut ex illo ... non ut illi (Cyren.) putant ».

2. *Consolatione ulla.* Davisius in prima editione dederat « consolatione illa », quod e Sigonii libro desumptum probaverunt P. Manut. et Lambinus: *illa* enim bene refertur ad sequentia *hoc enim*.

3. *Hoc enim fere.* Vulgo *hæc*. Male, contraque quam jubent Reg. Pithœan. Med. Eliens. pr. tert. Bak. et Cantab. Davis.

4. *Aut qui toler. feret incommodum.* Vulgo, omissa interrogationis nota, dant « atqui tolerabilius »; quæ quidem scriptura nullum hoc in loco sensum fundit. Igitur Turnebus, Advers.

Feriunt enim fortasse [5] gravius : non id efficiunt, ut ea, quæ accidant, majora videantur, quia recentia
56 sunt, non quia repentina. Duplex est igitur [6] ratio veri reperiendi, non in iis solum, quæ mala, sed in iis etiam, quæ bona videntur. Nam aut ipsius rei na-

XIX, 5, et Manutius ex vetustis codd. bene reponebant, « aut qui tolerabilius ». Id equidem recipere nullus dubitavi, nam non modo sententia postulat, sed et Reg. Pithœan. Med. Eliens. pr. tert. Balliol. Petrens. ac Bak. addicunt. Ad rem vero quam Tullius agit pertinet illud Solonis dictum, cui filium fato functum lugenti quum diceretur, Ἀλλ' οὐδὲν ἀνύττεις. Δι' αὐτὸ δὲ τοῦτο, inquit, δακρύω ὅτι οὐδὲν ἀνύττω. Vide Laertium, I, 63. Idem refert Stobæus Serm. CXXI, pag. 613. Quod autem Lambino placet *tolerantius*, non *tolerabilius*; id, renitentibus MSS, haud est admittendum : licet enim « toleranter dolorem pati » dicat Cicero quum alibi, tum Tusc. II, 17, et Fam. IV, 6; idem tamen lib. XV, Epist. 20 : « Tu, mi Trebati, inquit, ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti. Quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos literis appellato, etc. » Sic « dolores eosdem tolerabilius pati » dixit etiam Fin. III, 13. Ut proba sit utraque loquendi ratio. Dav. — Davisio obtemperaverunt Ern. Oliv. Wolf. Schütz. et Neid. his enim continuatur objectio, quæ usque ad voces « neque tamen genus » extendere se nobis videtur.

5. *Feriunt enim fortasse* ... *non id efficiunt*, etc. Dav. « Feriunt tamen fort. ... nam id efficiunt, ut ea quæ accidant majora videantur, quia repentina ». Eximia, inquit, hæc est præstantissimi Bentleii emendatio. Vulgati, contra rem ipsam contraque id quod supra posuerat Cicero, præ se ferebant : « Feriunt enim fortasse gravius; non id efficiunt, ut ea quæ accidant majora videantur : quia recentia sunt, non quia repentina ». Adeo audaces in locis interpolandis se præstiterunt Fraterculi! Ne quid tamen dissimulem, mihi omnia hæc verba, « quia recentia sunt non quia repentina », pro glossemate videntur habenda. — Vellemus nobis Davisius dixisset quomodo hac posita lectione sententia hæc cum iis quæ præcedunt et sequuntur coire possit. Hoc loco maxime desiderandum est, quod vir iste doctus adeo abstinuerit ab auctore penitus introspiciendo : qui sæpe, ut rhetorice loquamur, de adjunctis multa disserit longius, ipsa rei viscera negligit. Longe melius Bubertus conj. « non id efficiunt, ut ea quæ accidant majora videantur. Quia recentia sunt, majora videntur, non quia repentina ». Sic Wolf. Schütz. et Neid. ediderunt. Nobis omissio vv. « majora videntur » scribis imputari posse videretur, si legeres : « ut ea quæ accidant majora videantur. Majora videntur, quia rec. sunt, non quia rep. ».

6. *Duplex est igitur ratio* ... *aut perleviter pungat animi dolor.* Ostendit Cicero duplicem esse veri reperiendi rationem in disquisitione de bono aut malo quodam, alteram ut quæratur, qualia et quanta rei natura sit, alteram ut exemplis doceatur. Applicationem hujus theoriæ fieri posse

tura[7], qualis et quanta sit, quærimus, ut de paupertate nonnumquam, cujus onus disputando levamus, docentes, quam parva, et quam pauca sint, quæ natura desideret; aut a disputandi subtilitate orationem ad exempla traducimus. Hic Socrates commemoratur; hic Diogenes; hic Cæcilianum illud,

Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.

Quum enim paupertatis una, eademque sit vis, quidnam dici potest, quamobrem C. Fabricio tolerabilis
ea fuerit, alii negent se ferre posse. Huic igitur alte- 57
ri generi[8] similis est ea ratio consolandi, quæ docet humana esse, quæ acciderint. Non enim solum id continet ea disputatio, ut cognitionem[9] afferat generis humani; sed significat, tolerabilia esse, quæ et tulerint[10], et ferant ceteri.

XXIV. De paupertate[1] agitur: multi patientes pauperes commemorantur. De contemnendo honore: multi inhonorati proferuntur, et quidem propter id ipsum beatiores; eorumque, qui privatum otium negotiis publicis antetulerunt, nominatim vita laudatur;

putat in consolando aliquo; doce igitur, inquit, 1° rem aliquam (e. g. paupertatem) non tantam esse quantam ægritudine depressus opinatur, trade quam parva, quam pauca sint, quæ natura desideret; 2° affer exempla eorum (ut Socratis, Diogenis et aliorum) qui simile malum patienter tulerunt, sive, quod aliis verbis idem est, humana esse, quæ acciderint. Nato.

7. *Aut ipsius rei natura.* Vulgo, « aut de ipsius rei natura ». Illam vero præpositionem nesciunt quinque Gebhardiani, et octo nostri, quibus morem gessimus. Dav. — Et certe si qua præpositio adhibenda esset, non *de*, sed *ex*, requireremus.

8. *Huic ig. a. generi.* Sc. per exempla docendi. Nam fere idem est, dicere: hic vel ille homo infelix est, aut: omnibus hominibus malum accidere potest, ergo et tibi. Nato.

9. *Cognitionem aff. g. humani.* Cognitionem, homines diversis incommodis ac miseriis obnoxios esse. Neid. — MS Leid. *cogitationem.*

10. *Et tulerint.* Davis. ex Elieus. tert. delet *et*, male: ceteri editores retinuerunt.

XXIV. 1. *De paupertate agitur.* I. e. si agitur de paupertate. Nato.

nec siletur illud potentissimi regis[2] anapæstum, qui laudat senem, et fortunatum esse dicit, quod inglorius[3] sit, atque ignobilis ad supremum diem perventurus.
58 Similiter commemorandis exemplis, orbitates quoque liberorum[4] prædicantur, eorumque, qui gravius ferunt, luctus aliorum exemplis leniuntur. Sic perpessio ceterorum facit, ut ea, quæ acciderint, multo minora, quam quanta[5] sint existimata, videantur. Ita fit sensim cogitantibus, ut, quantum sit ementita opinio, appareat. Atque hoc idem et Telamo ille declarat,

Ego quum genui[6],

et Theseus,

Futuras mecum commentabar miserias;

et Anaxagoras, « Sciebam me genuisse mortalem ». Hi

2. *Potentissimi regis anapæstum.* Lambino placuit *anapæsticum*, et ita dant Eliens. pr. sec. Aliis tamen MSS potius crediderim. Noster lib. II, cap. 15 : « Nec adhibetur ulla sine anapæstis pedibus hortatio ». Lucianus tom. I, pag. 17 : ΑΝΑΠΑΙΣΤΟΙΣ μέτροις ἐποχουμένη τὰ πολλά. Per *potentissimum* vero *regem* designatur Agamemno, qui apud Euripidem Iphig. in Aulid. vs. 15, sic alloquitur senem: ... Ζηλῶ σε, γέρον, Ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς, ἀκλεής. Eosdem versus laudat Plutarchus περὶ εὐθυμίας, pag. 471, quorum mentem Tullius haud accurate retulit. Dav. — Hos versus Euripidis imitatus est Noster Racinius initio suæ Iphigeniæ: « Heureux, qui satisfait de son humble fortune, Libre du joug superbe où je suis attaché, Vit dans l'état obscur où les dieux l'ont caché ».

3. *Inglorius.* In utroque Norvic. scribitur *ingloriosus;* de qua voce sic Isidorus, Orig. lib. X, col. 1078 : « Ingloriosus, quod sit sine gloria, id est, sine triumphis ». Claudianus Mamertus de statu animæ, lib. III, cap. 14 : « Sine hoste pugnare cassa contentio est, et virium frustratio, quod ita erit ingloriosum, ut laboriosum ». Ut autem, quod res est, fatear, mihi non constat, hoc vocabulum, licet analogicum, in usu fuisse, dum aureum fluxit latinæ linguæ seculum. Dav.

4. *Liberorum.* Hanc v. insititiam Ern. putabat.

5. *Quam quanta.* Hujusce φράσεως exempla suppeditabit Fr. Sanctius Min. lib. III, cap. 14. Dav.

6. *Ego quum genui.* Schütz. et Neid. addunt « tum moriturum scivi » e duobus Leidd. atque aliquot edd. vett. — *Ego quum genui.* Post hasce voces Cantabr. addit, « moriturum scivi, et ei rei sustuli »: ac priorem

enim omnes diu cogitantes de rebus humanis, intelligebant, eas nequaquam pro opinione vulgi esse extimescendas. Et mihi quidem videtur idem fere accidere iis, qui ante meditantur, quod iis[7], quibus medetur dies : nisi quod ratio quidem[8] sanat illos, hos[9] ipsa natura, intellecto eo, quod remedium[10] illud continet, malum, quod opinatum sit[11] esse maximum; nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere[12]. Hoc igitur efficitur, ut ex illo nec opi- 59
nato plaga major sit; non, ut illi[13] putant, ut, quum

quidem bigam exhibent Petrens. et editt. vett. Cum Jano Gebhardo Pal. tert. et Vatic. sequor; solet enim Tullius imperfectum sensum relinquere, quum ea, quæ jam posuerat, rursus essent adducenda. Si versus integros videre cupias, adi sis hujusce libri cap. 13 seq. Dav.

7. *Quod iis*. MS Leid. *quod accidit iis*.

8. *Nisi quod ratio quidem*. Sic correxit Bentleius. Vulgo *quædam*. Errat Schütz. qui dicit vulgo fuisse *quidem*, et Bentleium correxisse *quædam*.

9. *Illos, hos. Illos*, qui ante meditantur; *hos*, quibus medetur dies. Neid.

10. *Quod remedium illud continet, malum*. Davis. « quod rem continet; illud malum », qui observat : Pal. quint. et Balliol. « quod rem continet, malum ». Vat. Reg. et Pith. « quod rem illud continet, malum » : unde Cl. Bentleius vere scripsit, « quod rem continet, illud malum ». Sic infra IV, 10 : « Qua oratione prætermissa minime necessaria, ea quæ rem continent, pertractemus ». Vide sis et Brutum, cap. 29.— Davisium Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur. —*Quod rem. continet*. In quo cardo totius rei vertitur. Neid.

11. *Quod opinatum sit*. Balliol. « quod inopinatum sit ». Lego « quod opinati sint », postulante, ni fallor, sensu. Dav. — Atque sic Ern. emendavit.

12. *Ipsa natura; intellecto ... evertere. Hoc igitur*. Sic interpungendum censeo : « ipsa natura. Intellecto eo, quod remedium illud continet, malum, quod opinatum sit esse maximum; nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere; hoc igitur efficitur, etc. » Bunee — Hanc pessimam esse conj. quisque statim videt : nam tum *igitur* omnino est h. l. importunum. Quod contra recte se habet; si teneas vv. « hoc igitur efficitur, etc. » continere præcedentis disputationis de doctrina Cyrenaicorum conclusionem. — *Intellecto eo*. Quum ad id venerunt, ut intelligerent illud (in quo intellecto situm est doloris remedium), scilicet malum, etc.

13. *Illi*. Cyrenaici. Concludit Noster non omnino veram esse Cyrenaicorum sententiam, qui putent ex inopinato malo ægritudinem venire: nam si inopinatum malum nos gravius affligit, nihilominus et provisam nobis ægritudinem affert; quæ tota ex opinionibus falsis oritur.

duobus pares casus evenerint, is modo ægritudine afficiatur, cui ille nec opinato casus evenerit. Itaque dicuntur nonnulli in mœrore, quum de hac communi hominum conditione audivissent, ea lege esse nos natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, gravius etiam tulisse.

XXV. Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprehendere Chrysippum solebat, laudantem Euripideum carmen illud,

> Mortalis nemo est [1], quem non attingat [2] dolor,
> Morbusque. Multi sunt [3] humandi liberi,
> Rursum creandi; morsque est finita omnibus:
> Quæ generi humano angorem nequidquam afferunt.
> Reddenda est terræ terra: tum vita omnibus
> Metenda, ut fruges. Sic jubet necessitas.

60 Negabat genus hoc orationis quidquam omnino ad levandam ægritudinem pertinere. Id enim ipsum [4] dolendum esse dicebat, quod in tam crudelem necessitatem incidissemus: nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum ad malivolos [5] consolandos esse accommodatam. Mihi vero longe

XXV. 1. *Mortalis nemo est.* Euripidis ex Hypsipyla, tragœdia deperdita, sunt, ut docet Stobæus Serm. CVI, pag. 568, apud quem legi possint, vel apud Plutarchum Consol. ad Apoll. pag. 110. Græca, sicut a viris doctis emendata sunt, proferam: Ἔφυ μὲν οὐδεὶς, ὅστις οὐ πονεῖ βροτῶν, Θάπτει τε τέκνα χ' ἄτερ' αὖ κτᾶται νέα, Αὐτός τε θνήσκει, καὶ τάδ' ἄχθονται βροτοὶ Εἰς γῆν φέροντες γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπιμον στάχυν. E versibus hisce tres priores adducit Clemens Alexandrinus Strom. IV, pag. 588; ultimum Antoninus, lib. VII, § 40. Ibi vide doctissimum Gatakerum, ut et Miscell. lib. II, cap. 10, pag. 327. Dav.

2. *Attingat.* Ern. e MS Guelf. *attingit.*

3. *Multi sunt.* Bentleius, Buher. conj. *multis*, quod Wolf. Schutz. et Neid. ediderunt; et facile potuit una *s* ob sequentem obliterari.

4. *Id enim ipsum.* Huc pertinet illud Solonis, quem quum gravius deploraret filii obitum, et quisquam objiceret: « at nihil proficis », respondisse aiunt: « atque ob id ipsum illacrymo, quia nihil proficio ». Neid.

5. *Malivolos.* Quatenus solatium bis, socios habere malorum. Neid.

videtur secus. Nam et necessitas ferendæ conditionis humanæ, quasi cum deo pugnare prohibet[6], admonetque esse hominem; quæ cogitatio magnopere luctum levat: et enumeratio exemplorum non, ut animum malivolorum oblectet, affertur, sed ut ille, qui mœret, ferendum sibi id censeat, quod videat multos moderate et tranquille tulisse. Omnibus enim modis 61
fulciendi sunt, qui ruunt, nec cohærere[7] possunt propter magnitudinem ægritudinis: ex quo ipsam ægritudinem λύπην Chrysippus[8], quasi solutionem totius hominis, appellatam putat. Quæ tota poterit evelli, explicata, ut principio dixi, causa ægritudinis. Est enim nulla alia, nisi opinio et judicium magni præsentis atque urgentis mali. Itaque et dolor corporis, cujus est morsus acerrimus, perfertur spe pro-

Quis boni mallent soli miseri esse, quam secum ceteros esse miseros.

6. *Quasi cum deo pugnare prohibet.* Vulgo *cohibet*. Melior autem videbatur lectio, quam suppeditat Eliens. sec. quamque Des. Erasmus et D. Lambinus olim, postulante latinitate, repræsentarunt. Optime Dion. Orat. XXX, pag. 300: Τὰ μὲν καθ' ἡμᾶς οὕτω γέγονεν, ὡς ἔδοξε τῷ Θεῷ· χρὴ δὲ μηδὲν ὑπ' ἐκείνου γιγνομένων, χαλεπὸν ἡγεῖσθαι, μηδὲ δυσχερῶς φέρειν· ὡς παραινοῦσιν ἄλλοι τε σοφοὶ, καὶ οὐχ ἥκιστα Ὅμηρος, λέγων μηδαμῆ ἀπόβλητα εἶναι ἀνθρώποις τὰ θεῶν δῶρα· καλῶς ὀνομάζων δῶρα, τὰ ἔργα τῶν θεῶν, ὡς ἅπαντα ἀγαθὰ ὄντα καὶ ἐπ' ἀγαθῷ γιγνόμενα. Leguntur etiam apud Stobæum Serm. CXXIII, pag. 617. Sed vitiose quidem; ut ad hanc normam emendandi sint ejus codices. DAV. — Davisium Ern. Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur.

7. *Cohærere.* Consistere; eadem significatione occurrit infra lib. V, 28. Cicero forsan hac in primis voce usus est, propter etymologiam λύπης (a λύειν, solvere, quam et Plato adhibet in Cratylo) in sequentibus allatam. NKIN.

8. *Ægritudinem λύπην Chrysippus, quasi solutionem.* Ven. 1491, Froben. aliæque vett. habent « ægr. λύπην Chrysippus, quasi λύσιν, id est, solutionem ». At in MSS Pall. 2, 4, 5, Vatic. Fabric. Pith. hujus additamenti nec vola, nec vestigium: id etiam recte præterennt nostri, e quibus Norvic. et Cantabr. perperam repræsentant « solutionem appellat »; neque enim Chrysippus ægritudini λύπης nomen primus imposuit; et simile quidem verbum afferunt Plato in Cratylo, pag. 271; nam divinus ille philosophus λύπην ἀπὸ τῆς διαλύσεως τοῦ σώματος ἐπονομασθῆναι pronuntiat. — Schütz. restituit vv. λύσιν, *id est.* Neid. has uncis inclusit.

posita boni[9]; et acta ætas honeste, ac splendide, tantam affert consolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non tangat ægritudo[10], aut perleviter pungat animi dolor.

62 XXVI. Sed ad hanc opinionem[1] magni mali quum illa etiam opinio accesserit[2], oportere, rectum esse, ad officium pertinere, ferre illud ægre, quod acciderit: tum denique efficitur illa gravis ægritudinis perturbatio. Ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi, pædores[3], muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones. Hinc ille Agamemno[4] Homericus, et idem Attianus[5],

Scindens dolore identidem intonsam comam.

In quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio

9. *Perfertur spe proposita boni.* Sic Balliol. et Erasmi editio. Recte : nam præsens tempus in sequentibus adhibetur. Vulgo *perferetur.* Dav.

10. *Aut non tangat ægritudo.* Davis. scribit «aut non attingat omnino». Codd. inquit, habent « aut non attingat ægritudo ». Sed ultima vox plane vacat : ideoque vel in *omnino* mutanda est, quod Cl. Bentleius statuit; vel, si mavis, prorsus delenda. — Wolf. Schütz. et Neid. «aut n. attingat ægritudo ».

XXVI. 1. *Sed ad h. opinionem ... finire diurnis.* Ægritudo non solum exsistit ex opinione magni et præsentis mali, sed etiam ex ea opinione, oportere, rectum esse, malum aliquod, quod acciderit, ægre ferre. Vid. sup. § 28. Plura lectu dignissima hic occurrunt, de proclivitate hominum indulgendi dolori. Exempla afferuntur. Nam.

2. *Accesserit.* Davis. Sch. et Neid. *accessit.* Ern. post Gruterum *accesserit.*

3. *Pædores ... capitis percussiones.* De detestabilibus hisce lugendi generibus adi sis Joan. Kirchmannum de Funer. lib. II, capp. 11, 12, et Everh. Feithium Ant. Homer. lib. III, cap. 15. Davis.

4. *Agamemno Homericus.* Buherius jubet legere *Agamemnon.*—Is, ut ait Homerus, Iliad. K, 15 : Πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας. Σπαραττομένη quidem κόμη res erat in luctu solemnis. Vide Lucianum de Luct. tom. II, pagg. 303, 304, et Martinum Geierum de Luctu Hebræorum, cap. 8, § 3. Davis.

5. *Agamemno ... Attianus.* Quem etiam Attius in tragœdia Agamemnon inscripta expressit. Neid. — Neque illa, neque ulla Attii fabula ad nos pervenit.

mœror levaretur. Sed hæc omnia faciunt, opinantes 63
ita fieri oportere. Itaque et Æschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiæ mortem hostias immolasset[6]. At quam rhetorice! quam copiose! quas sententias colligit! quæ verba contorquet[7]! ut licere quidvis rhetori intelligas. Quæ nemo probaret, nisi insitum illud in animis haberemus, omnes bonos interitu suorum quam gravissime mœrere oportere. Ex hoc evenit, ut in animi doloribus alii solitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte,

> Qui miser in campis[8] mœrens errabat Aleis,
> Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Et Nioba fingitur lapidea[9], propter æternum, credo,

6. *Quod is septimo die post filiæ mortem hostias immolasset.* Hæc verba sunt Æschinis in orat. contra Ctesiphontem, pag. 440, ed. Francof. Ἑβδόμην δ' ἡμέραν τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ (Δημοσθένους) τετελευτηκυίας, πρὶν πενθῆσαι καὶ τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι, στεφανωσάμενος καὶ λευκὴν ἐσθῆτα λαβὼν, ἐβουθύτει, καὶ παρηνόμει, τὴν μόνην ὁ δείλαιος καὶ πρώτην αὐτὸν πατέρα προσειποῦσαν ἀπολέσας· καὶ οὐ τὸ δυστύχημα ὀνειδίζω, ἀλλὰ τὸν τρόπον ἐξετάζω· ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πατὴρ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστὸς, etc. Vide et Plutarchum Cons. ad Apoll. pag. 119. Hujusce facti causam atque fontem sic refert idem vit. Demosth. tom. II, pag. 847: Ἡνίκα δὲ Φίλιππος ἐτεθνήκει, λαμπρὰν ἐσθῆτα προῆλθεν ἔχων, καίτοι τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ νεωστὶ τετελευτηκυίας, ἐφηδόμενος τῷ τοῦ Μακεδόνος θανάτῳ. Æschines autem non modo hostias immolasse, sed etiam coronam gessisse Demostheni vitio dedit, quod Veteres in rebus tantum lætioribus στεφανηφορίαν adhibebant. Adi sis Joan. Schefferum ad Æliani V. H. lib. III, cap. 3. Dav.

7. *Verba contorquet.* Metaphorice dictum de omni quod celerius movetur et fertur, quod vehementius propter brevitatem aut celeritatem pronuntiationis ferit. Ern.

8. *Qui miser in campis.* Sic Homerus, Il. Z, 201: Ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο, Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. Ubi monet Scholiastes Ἀλήϊον esse πεδίον τῆς Κιλικίας καλούμενον ἀπὸ τῆς τοῦ Βελλεροφόντου ἄλης, τουτέστι πλάνης. Adi sis Herodotum, lib. VI, cap. 95; Strabonem, lib. XIV, pag. 993, et Etymologicon M. in Ἀλήϊον. Ad hunc locum respicit Ausonius Epist. XXV, 69. Davis. — Bellerophon deos sibi iratos fecerat, quod eorum mysteria voluerat penetrare.

9. *Nioba fingitur lapidea.* In Sipylo Phrygiæ monte. Vide Scholiasten ad Homeri Iliad. Ω, 602; Pausaniam in Atticis, pag. 49; Ovidium, Metam.

in luctu silentium. Hecubam autem putant, propter animi acerbitatem quamdam, et rabiem [10], fingi in canem esse conversam. Sunt autem alii, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui sæpe delectat, ut illa apud Ennium nutrix :

> Cupido cepit miseram nunc me, proloqui
> Cælo atque terræ Medeæ miserias [11].

64 XXVII. Hæc omnia recta, vera, debita putantes faciunt in dolore; maximeque declaratur [1], hoc quasi

VI, 303, seqq. et Lactantium ad Statii Theb. VI, 124. Eodem fere modo, quo Noster, hanc enarrat fabulam Tzetzes Chil. IV, 449: Τὴν δὲ Νιόβην ἔφρασαν ἔνδακρυν λίθον εἶναι. Ὅτι παντὸς ἀναίσθητος ἐκ πάθους γεγονυῖα, Πρὸς μόνον ἦν τὸ δάκρυον ἄγαν εὐαισθητοῦσα. Vide sis et Hieronymum Epit. Nepot. pag. 23, ac V. C. Joan. Clerici Dissert. de Stat. Solin. § 7. Niobes etiam τὴν ἐπὶ τῷ πένθει αὐτὴν memorat Lucianus de Saltat. tom. I, pag. 802. Dav. — Niobe, Tantali filia, multa superbiens sobole, Latonam irriserat quæ bis tantum peperisset. Apollo et Diana, ut matri factam injuriam ulciscerentur, sagittis Niobæ liberos interfecerunt, quæ tanto dolore afflicta est, ut a Jove precata fuerit, se lapidem fieri.

10. *Propter animi acerbitatem quamdam et rabiem.* Vide Th. Munckerum ad Hygini Fab. CXI. Dav.

11. *Cælo atque terræ Medeæ miserias.* Davis, quem Schütz. et Neid. sequuntur, scribit *Medeaï*, observatque : Vulgo *Medeæ*, nec aliter MSS. Quum vero repugnet metri ratio, conjecturam, cujus auctor est Des. Erasmus, ipsi recepimus. Joach. quidem Camerarius rescribebat, « Cælo atque terræ Medeæ miseras vices ». Paullus autem Manutius, verbis transpositis, legebat « Medeæ cælo atque terræ miserias ». Sed hæ meræ sunt nugæ præ ea, quam laudavimus, emendatione. Porro græca sic se habent apud Euripidem Med. vs. 59 : Ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κ' οὐρανῷ Λέξαι μολούσῃ δεῦρο Μηδείας τύχας. Hosce versus in rem suam comice transduxit Philemon apud Athenæum lib. VII, pag. 288 : Ὡς ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κ' οὐρανῷ Λέξαι μολόντι τοὔψον ὡς ἐσκεύασα. Ipse tamen loquendi modus nihil habet inusitatum. Homerus, Iliad. O, 36 : Ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν. Vide et Odyss. E, 184. Theognetus apud Athenæum, lib. XV, pag. 671 : Πεφιλοσόφηκας γῇ τε κ' οὐρανῷ λαλῶν, Οἷς οὐδέν ἐστ' ἐπιμελὲς τῶν σῶν λόγων. Est autem ab Hebræis desumptus. Vide Deuter. IV, 26; XXX, 19, et alibi. Pariter Latini. Vide Plautum Mercat. Prol. vs. 4, et Acronem ad Horatii Epod. XVII, 30. Adi porro Victorium Var. Lect. IV, 7. Dav.

XXVII. 1. *Maximeque declaratur, hoc quasi officii judicio fieri, quod si.* Davisius scribit : « maximeque declarant, hoc quasi officium judicio fieri. Quod si ». Quam lect. contra codices sola Bentleii auctoritate reponit. Nobis certum est inter se conjungi debere

officii judicio fieri: quod si qui forte, quum se in luctu esse vellent, aliquid fecerunt humanius, aut si hilarius loquuti sunt, revocant se rursus ad mœstitiam, peccatique se insimulant[2], quod dolere intermiserint; pueros vero matres et magistri castigare etiam solent, nec verbis solum, sed etiam verberibus, si quid in domestico luctu hilarius ab iis factum est, aut dictum, plorare cogunt. Quid? ipsa remissio luctus quum est consequuta, intellectumque[3] nihil profici mœrendo, nonne res declarat, fuisse totum illud voluntarium? Quid ille Terentianus[4] ἑαυτὸν τιμωρούμενος, id est, ipse se puniens[5]?

vv. « maxime declaratur », et « quod si, etc. » ita ut post *quod* virgula poni debeat, ut pateat *quod* pertinere ad sqq. *revocant se*, etc. Ideo Wolf. Sch. et Neid. probamus, qui scripserint « maximeque declarat, etc. »

2. *Peccatique se insimulant.* Se ipsos accusant, tamquam peccaverint.

3. *Intellectumque nihil profici m.* Davisius scribit: « intellectumque est nih. pr. m. » Vulgo, inquit, « intellectaque nihil profici »; quo modo etiam Pall. quinque, Reg. Pithœan. Med. Balliol. Bak. et Victor. Quum vero commodam σύνταξιν in illa non viderem lectione; vetustiores editi sequendi videbantur, quibus diserte favet MS Petrens. Sic etiam Man. et Lamb. ediderunt. Accedit Eliens. tert. nisi quod ille conjunctionem nesciat. — Schutz. et Neid. nostram lect. habent.

4. *Terentianus.* Menedemus, qui ob filii absentiam se excruciabat. Heaut. act. I, sc. 1, 95, 83. Nein.

5. Ἑαυτὸν τιμωρούμενος, *id est, ipse se puniens?* Davisius scribit: « ipse se puniens? id est, ἑαυτὸν τιμωρούμενος ». Vulgo, inquit, *puniens*; at quum in MSS esset fere *pœnitens*, antiquam hujusce verbi formam revocari debere vidit Janus Gulielmius. Recte quidem et vere. Voculas autem sequentes, ut alienas, delet Lambinus, præeunte Manutio, qui putat etiam fieri posse ut Cicero scriptum reliquerit, « quid ille Terentianus ἑαυτὸν τιμωρούμενος » eoque modo priora illa glossematis incusantur; quæ quidem sententia Fr. Fabricium habet asseclam. At vero non est cur in hanc suspicionem veniant vel hæc, vel illa verba; non aliter enim aliis in locis Cicero loquitur. Sic Acad. II, 29: « Placet enim Chrysippo ... quiescere, id est, quod ab iis dicitur ἡσυχάζειν ». Et Tusc. lib. V, cap. 3: « Hos se appellare sapientiæ studiosos, id est enim philosophos ». Apuleius de Habit. Doct. Platon. pag. 622: « Sapientem ... sequi arbitramur Deum, id enim est ἕπου θεῷ ». Ea verba glossematis perperam damnat Joan. Wowerius. Quintilianus Inst. II, 16: « Dicens esse rhetoricen persuadendi opificem, id est, πειθοῦς δημιουργόν ». Iterum III, 11: « Causa quoque ex causa, id est, αἴτιον ἐξ αἰτίου, nasci videtur ». Hæc,

Decrevi tantisper[6] me minus injuriæ,
Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser.

Hic decernit, ut miser sit. Num quis igitur quidquam decernit invitus?

Malo quidem[7] me quovis dignum deputem.

Malo se dignum deputat, nisi miser sit. Vides ergo opinionis esse, non naturæ malum. Quid, quod[8] res ipsa lugere prohibet? ut apud Homerum quotidianæ neces, interitusque multorum, sedationem mœrendi afferunt; apud quem ita dicitur:

Namque nimis multos, atque omni luce cadentes[9]
Cernimus; ut nemo possit mœrore vacare.
Quo magis est æquum tumulis mandare peremptos
Firmo animo, et luctum lacrymis finire diurnis.

66 Ergo in potestate est[10] abjicere dolorem, quum velis, tempori servientem. An est ullum tempus (quo-

ut opinor, vulgatam lectionem satis defeodunt muniuntque. Vide sis et Cl. Sarravii Epist. pagg. 85, 119. — Cum Dav. Oliv. Wolf. Schutz. et Neid. faciunt.

6. *Tantisper.* Tam diu: postolat enim post se hæc particula *dum*, vel *donec*, vel *quoad*; ut Cicero: « in carcerem ductus, ut ibi esset tantisper, dum culeus compararetor ». A. Gellius: « eo consilio, ut ibi viveret qoidem tantisper, qooad fieret permutatio ». Baroald.

7. *Malo quidem*. Heaut. act. I, sc. 1, 83. Dav.

8. *Quid, quod res ipsa*. Davis. scribit « quid, quos res ipsa », e codd. Vatic. Pal. tert. et Med. eomqoe Wolf. Sch. et Neid. sequuntur. Nobis altera lectio melior videtur.

9. *Namque nimis multos atque omni luce cadentes Cernimus.* Sic optime primus reposuit Manutius; omnes enim MSS *carentes* exhibent. Ei viam munivit Homerus, eojus verba sic se habent Iliad. T, vs. 226: Λίην γὰρ πολλοὶ καὶ ἐπήτριμοι ἤματα πάντα ΠΙΠΤΟΥΣΙΝ· πότε κέν τις ἀναπνεύσειε πόνοιο; Ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθάπτειν, ὅσκε θάνῃσι, Νηλέα θυμὸν ἔχοντας, ἐπ' ἤματι δακρύσαντας. Ad hunc locom respexit L. Annæus Seneca Epistol. LXIII. Dav.

10. *Ergo in potestate est ... in opinione esse ægritudinem.* Ex antecedentibus ægritudinis susceptionem esse volontariam, sequitur etiam voluntarium se in potestate esse abjicere dolorem, vel non suscipere. Multum in hac re prodest cogitatio, nihil ægritudine profici, et frustra esse susceptam. Neid.

niam quidem res in nostra potestate est), cui non ponendæ curæ[11] et ægritudinis causa serviamus? Constabat[12], eos, qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidissent, quum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil tum aliud egisse, nisi ut remiges hortarentur, et ut salutem adipiscerentur fuga; posteaquam Tyrum[13] venissent, tum afflictari lamentarique cœpisse. Timor igitur ab iis ægritudinem potuit repellere, ratio ac sapientia vera[14] non poterit?

XXVIII. Quid est autem, quod plus valeat ad ponendum[1] dolorem, quam quum est intellectum, nihil
profici, et frustra esse susceptum? Si igitur deponi
potest, etiam non suscipi potest. Voluntate igitur et
judicio suscipi ægritudinem confitendum est. Idque 67
indicatur eorum patientia, qui quum multa sint sæpe
perpessi, facilius ferunt[2], quidquid accidit, obduruis-

11. *Ponendæ curæ et ægritudinis causa.* Vulgo, « ponendæ curæ ægritudinis causa »; nec aliter plerique MSS. Hinc factum, ut Manutius et Lambinus altera voce deleta rescripserint « cui non ponendæ ægritudinis causa ». Sed medicinam multo leniorem præstiterunt Eliens. sec. et Colon. quos omnino sequendos duximus. Si vero epitheton quoddam sub voce *curæ* latere censeas, rescripserim « ponendæ duræ ægritudinis causa ». Vide sis ad Fin. I, 13. Dav.

12. *Constabat.* Mavult Buherius *constat.*

13. *Posteaquam Tyrum venissent.* Ita quidem codices. At alii scriptores *Cyprum* dicunt; ut forsan illa vox et hoc in loco sit reponenda. Dav. — *Posteaquam Tyrum venissent.* Wesselingius Obs. I, 13, putat *Cyprum* legendum, quod in Livii Epit. CXII Cornelia uxor et S. Pompeius traduntur ex Ægypto Cyprum refugisse. Nsid. — Hanc conj. probant Buherius et J. V. L.

14. *Ratio ac sapientia vera.* Bentleius correxit « ratio ab sapienti viro », eumque Dav. Wolf. Schütz. et Neid. sequuti sunt.

XXVIII. 1. *Ponendum.* Schütz. e MS Leid. *deponendum.*

2. *Facilius ferunt, quidq. acc.* Davisius « faciliusque ferant quidq. acc. », deleto *quæ* post *obduruisse*. Codices, inquit, habent *ferant*. Reg. autem, Pithœan. et Med. « obduruisse quam sese ». Reliqui cum vulgatis faciunt. Nos igitur, conjunctione transposita, locum sanavimus. — Inquinavit certe locum Davisius, qui nulla egebat medicina. Quisque videt antithesin esse debere inter « quum multa sint sæpe perpessi » et « facilius ferunt

seque sese contra fortunam arbitrantur: ut ille apud Euripidem,

> Si mihi nunc tristis[3] primum illuxisset dies,
> Nec tam ærumnoso navigavissem salo,
> Esset dolendi causa; ut injecto equulei
> Freno repente tactu exagitantur novo.
> Sed jam subactus[4] miseriis obtorpui.

Defatigatio igitur miseriarum ægritudines quum faciat leniores, intelligi necesse est, non rem ipsam atque
68 causam[5] fontem esse mœroris. Philosophi[6] summi, neque dum tameu sapientiam consequuti, nonne in-

quidquid accidit »; vv. autem « obduruisseque, etc. » ad sententiæ vim augendam per amplificationem addi.

3. *Si mihi nunc tristis.* Græce: Εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ, Καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν, Εἰκὸς σφαδάζειν ἦν ἄν, ὡς νεόζυγα Πῶλον, χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον· Νῦν δ' ἀμβλύς εἰμι, καὶ κατηρτυκὼς πόνων. Exstant apud Galenum de Dogm. Hipp. et Plat. lib. IV, cap. 7, tom. V, pag. 152, ed. Charter. Dav. — Euripid. Fragm. 167, ex incertis tragœd. pag. 492, ed. Beckii.

4. *Subactus.* Sic ex vett. codd. Gebhardus correxit, quum olim vulgo *subjectus* scriberetur.

5. *Non rem ipsam atque causam fontem esse c. m.* Davisius scribit « non rem ipsam, caus. atque f. e. m. » qui, vulgata relata: quasi, inquit, causa mœroris, non esset ejus fons! Sed tam ineptum est, ut non nisi ab indoctis librariis proficisci posse liquido jures. Nos igitur eam revocavimus lectionem, quam Erasmus, Victorius et Manutius erant sequuti, quamque res ipsa flagitat — Cum Dav. Oliv. Wolf. Schütz. Neid. faciunt.

6. *Philos. summi, neque dum tamen.* Davis. « Philos. summi quique, nondum tamen ». Sic, inquit, optime Cl. Bentleius: nam Reg. Pithœan. Med. et Balliol. dant « philosophi summi neque nondum, etc. » — Schütz. Neid. vulgatam servant. — *Philosophi summi.* Exempla philosophorum, qui in philosophia theoretica sive speculatione ad summum perfectionis gradum pervenerunt, attamen philosophiam practicam neglexerunt. Hi ægritudine non afficiuntur. Quidni? quia ad officium pertinere non putant ægre ferre, quod sapientes non sint. Neid. — Nescimus quod sibi velit Neid. hac interp. « attamen philosophiam practicam neglexerunt? » Dicit Noster eis aliquid defuisse: sed prorsus scientiam rerum occultarum intelligit. Probat Cicero ægritudinem ex opinione nasci: ideo ostendit mala magna, quæ nobis ægritudinem non pariant: atqui malum magnum est philosophis rerum occultarum ignoratio: si digna causa ægritudinis esse posset, ea certe foret: attamen ii philosophi, qui se multa ignorare censuerunt, ideo ægritudini se non dederunt. Cur? quia, ut ait Noster, huic generi malorum non affingitur illa opinio, etc. atque hoc, quod in genere dicit, exemplis probat.

telligunt, in summo se malo esse? Sunt enim insipientes : neque insipientia[7] ullum majus malum est : neque tamen lugent. Quid ita? quia huic generi malorum non affingitur illa opinio, rectum esse et æquum, et ad officium pertinere, ægre ferre, quod sapiens non sis. Quod idem affingimus[8] huic ægritudini, in qua luctus inest : quæ omnium maxima est.

Itaque Aristoteles[9], veteres philosophos accusans, 69
qui existimavissent philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse; sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane

7. *Neque insipientia.* Ex Stoicorum sententia, qui insipientiam (i. e. inhonestum, vitium) summum malum putant, ob quod summa ægritudine affici rectum sit. Neid. — Si *insipientia* h. l. sensum Stoicum habet, et non significat tantum ignorationem rerum occultarum, quid valent exempla sequentia, ubi philosophi non Stoici citantur. Ergo hoc de his phil. non dicitur, sed debet v. *insipientia* intelligi latius et extensius. Ceterum J. V. *Leclerc* putat h. l. « Philosophi summi, etc. » a Cicerone derideri Stoicos phil. Sed præterquam quod affert in seqq. exempla e philosophis non Stoicis desumpta, eaque affert serie loquens, ad probandum id quod h. l. ponit, ita ut et h. l. serie loqui debeat; si de Stoicis loqueretur, non posset interrogare *quid ita?* sc. cur non lugent, quum se videant insipientes esse? nam responderetur : quia nulla est Stoicis permissa causa ægritudinis; nec minus ægritudo illis ex insipientia damnari debet, quam ex alis causa. Ergo hoc de iis tantum philosophis dici potest, qui putant quasdam ob causas ægritudinem cadere in sapientem, quales sunt peripatetici. Adde quod infra venit ad eos qui non putant lugendum viris, quod facere non posset, si jam de Stoicis loquutus esset.

8. *Non affingitur illa opinio ... Quod idem affingimus.* Gebhardus primus ex duobus Pall. recepit « affigitur, affigimus », eamque locutionem, qua nemo hominum usus est, velut elegantissimam venditavit. Nos veterem scripturam, quamque firmant plerique omnes codices et latinæ linguæ ratio, jure reduximus. Davis. — *Quod idem.* Quod (sc. officium) recte putamus ægritudini, quæ sentitur ob sapientiæ defectum, inesse debere, quia omnium maxima est. Neid. — Errat Neid. vv. « huic ægritudini, in qua luctus inest », notant ægritudinem, quæ ex amissis parentibus aut propinquis nascitur.

9. *Itaque Aristoteles ... absolutam fore.* Hunc locum his verbis impugnavit Lactant. Div. Inst. lib. III, c. 28 : « Quod fuit illud *tempus?* quo more, quando est, aut a quibus *absoluta?* nam quod sit stultissimos fuisse, qui putassent ingeniis suis perfectam esse sapientiam, verum est : sed, etc. »

absolutam fore. Theophrastus[10] autem moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et[11] cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset : quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, ut, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur[12], se tum, quum illa videre cœpisset, exstingui. Quid? ex ceteris philosophis nonne optimus et gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare, et multa sibi etiam atque etiam esse discenda?
70 Neque tamen, quum se in media stultitia, qua nihil est pejus, hærere[13] intelligant, ægritudine pre-

10. *Theophrastus*. In MSS quidem legitur, non *Theophrastus*, sed *Themistocles*; hoc vero librariis est imputandum, quod olim monuit Is. Casaubonus ad Charact. Ethic. Proœm. quodque Joan. Martianæus rescivisse debuit. Davis.

11. *Cervis et cornicibus*. Fabric. et Cantab. habent *corvis*, eamque lectionem recipit Gebhardus, quod illi vivaces alites recte jungi viderentur. At quum reliqui MSS alteram repræsentent lectionem, eam temere loco movit vir ille doctus; nam scriptores, ubi de longævitate verba faciunt, *cervos* et *cornices* una memorant. Vetus poeta apud Stobæum Serm. X, pag. 127 : Εἰ μὲν ζῇς ΕΛΑΦΟΥ πανχὸν χρόνον, ἢ ΚΟΡΩΝΗΣ, Συγγνώμη πλεῖστον πλοῦτον ἀγειρομένῳ. Ovidius Metam. VII, 273 : « Vivacisque jecur cervi, quibus insuper addit Ora caputque novem cornicis sæcula passi ». Pedo Albinovanus Eleg. II, 115 : « Vivacesque magis cervus decet esse paventes, Si quorum in torva cornua fronte rigent. Vivere cornices multos dicuntur in annos; Cur nos angusta conditione sumus? » Sed exemplorum satis est. Vide tamen Ausonium Idyll. XI, 12, XVIII, 3. Dav.

12. *Querebatur igitur*. Diogenes Laertius, lib. V, § 41, Theophrastum moribundum discipulis suis dixisse tradit, Ἡμεῖς, ὁπότ' ἀρχόμεθα ζῆν, τότ' ἀποθνήσκομεν. Hieronymus ad Nepotianum Epist. II, pag. 9, ed. Victor. « Sapiens ille vir Græciæ Theophrastus, quum expletis centum et septem annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod tunc egrederetur e vita, quando sapere cœpisset ». Addam dumtaxat, me nullo modo dubitare, quin querela, quam memorat Seneca de Brev. vitæ, cap. 1, immerito sit Aristoteli tributa, quum revera pater ejus fuerit Theophrastus. Hac autem de re notus est Hippocratis Aphorismus, quem refert etiam Lucianus Hermot. tom. I, pag. 505, 551; eique simile est illud R. Tarphonis Apophthegma, quod occurrit in Pirke Aboth, cap. 2, § 15. Davis.

13. *Hærere intelligant*. Omnino placet hæc lectio, quam cuncti fere MSS tuentur. Quod enim, Turnebo

muntur : nulla enim admiscetur opinio[14] officiosi doloris.

Quid, qui non putabant[15] lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus[16] efferens filium consularem; qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amissis filiis; qualis M. Cato, prætore designato mortuo filio; quales reliqui, quos in Consolatione collegimus : quid hos aliud 71
placavit, nisi quod luctum et mœrorem[17] non putabant viri? Ergo id, quod alii rectum opinantes, ægritudini se solent dedere, id ii turpe putantes ægritudinem repulerunt. Ex quo intelligitur, non in natura, sed in opinione esse ægritudinem.

XXIX. Contra dicuntur hæc[1]. Quis tam demens,

præeunte, Gebbardus ediderit *habere;* id, ut opinor, eos in medio luto hæsisse satis demonstrat. Dav.

14. *Officiosi.* Quem ad officium credimus pertinere.

15. *Quid, qui non putabant.* Davis. Schütz. Oliv. Neid. « quid, qui non putant ».—*Quid, qui non putant.* Probare pergit Cicero in hominis potestate esse ægritudinem abjicere hoc nimirum modo : Præcipitur viris non esse lugendum. Si hoc, dicere vult, in virorum est potestate, quidni omnino in cujusvis hominis est potestate? Ægritudo ergo non est in natura, sed in voluntate. Neid. — Seneca viris nullum legitimum lugendi tempus constitutum esse tradit, quia nullum est honestum, quum annum feminis ad lugendum majores instituerint, non ut tam diu lugerent, sed ne longius. Laudant luculenti scriptores institutum illud Massiliensium, quo sine lamentatione, sine planctu cadavera efferuntur : luctus funeris die, domestico sacrificio, convivioque necessariorum addito, finitur. Lycurgus in rebus funebribus ἀνεῖλε τὰ πένθη, καὶ τοὺς ὀδυρμοὺς, id est, sustulit luctus et lamentationes. Beroald.

16. *Maximus ... quales reliqui, quos in Consolatione collegimus.* Hieronymus in Epitaph. Nepotiani, pag. 21 : « L. Paullus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Prætermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scævolas, Metellos, Scauros, Marios, Crassos, atque Aufidios, quorum non minor in luctu quam in bellis virtus fuit, et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicavit ». Davis. — *Efferens*, sepeliens.

17. *Et mœrorem non put.* Davis. « et mœrorem esse non put. », addito *esse* ex Reg. Pith. Eliens. tert. Petrens. et edd. vett.

XXIX. 1. *Contra dicuntur hæc.* Respondetur ad objectiones quasdam Peripateticorum, qui ægritudinis mediocritatem admitti vellent, ideoque non opus esse consolatione. Objectio prima est : nemo tam demens erit, ut voluntate mœreat, natura affert dolorem; premit enim, instat, nec ei re-

ut sua voluntate mœreat? Natura affert dolorem. Cui quidem Crantor, inquiunt, noster[2] cedendum putat. Premit enim, atque instat, nec resisti potest. Itaque Oileus ille apud Sophoclem[3], qui Telamonem antea de Ajacis morte consolatus esset, is, quum audisset de suo[4], fractus est. De cujus commutata mente sic dicitur :

> Nec vero tanta præditus sapientia
> Quisquam est, qui aliorum ærumnam dictis allevans,
> Non idem, quum fortuna mutata impetum
> Convertat, clade [ut][5] subita frangatur sua;
> Ut illa ad alios dicta et præcepta excidant[6].

Hæc quum disputant, hoc student efficere, naturæ

sisti potest (§ 71, 72, 73). Secunda objectio : plerique consolationibus nihil levantur. Tertia : consolatores ipsi confitentur se miseros, quum ad eos impetum fortuna converterit. N.

2. *Crantor, inquiunt, noster.* Davisius *vester*, Bentleio jubente, edidit ex Reg. Pith. Med. aliisque codd. quia auctoritatem Crantoris hic objiciunt Ciceroni, qui, se Academicum professus, a magistro dissideret. Davisium Schütz. et Neid. sequuntur. Et *noster* ferri potest, si animadvertas Peripateticos Ciceronis ore loqui.

3. *Apud Sophoclem.* Notum est missus fuisse ad obsidendam Trojam Ajaces duos : alterum Telamonis filium, de quo supra; alterum Oilei filium, qui Locrensibus præerat. Is narratur naufragio periisse, quum Troja rediret, ob iram Minervæ, cujus sacerdoti Cassandræ vim attulerat. Desumptus est, qui sequitur, locus e deperdita tragœdia Αἴας Λοκρός. Fragmentum hoc, paullo liberius a Cicerone translatum, exstat apud Stobæum. Increpat nimirum chorus aut alius quis Oileum, quod filii mortem immoderate ferret his verbis : Τοὺς δ' ἂν μεγίστους καὶ σοφωτάτους φρενὶ Τοιούσδ' ἴδοις ἄν, οἷός ἐστι νῦν ὅδε, Καλῶς κακῶς πράσσοντι συμπαραινέσαι· Ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν, Μάστιγ' ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον, Τὰ πολλὰ φροῦδα καὶ καλῶς εἰρημένα. Vid. deperditorum Sophoclis dramatum fragmm. ed. Brunkii, pag. 588. Neid.

4. *Audisset de suo.* Lego *de sui*, morte videlicet. Sic infra cap. 23 : « Altera, et de communi conditione vitæ, et proprie, si quid sit de ipsius, qui mœreat, disputandum ». Sic et alibi passim. Hæsere tamen librarii : nam Eliens. pr. Balliol. et Bak. dant *de filio*. Eliens. autem sec. *de suo filio*. Dav.

5. *Clade [ut] subita.* Dav. *ut* delet, notatque : Mediam vocem non agnoscunt Eliens. pr. Ven. 1491, Erasm. Lambin. nec eam recipit latini sermonis ratio; quapropter a me furcillis est ejecta. Davisium Schutz. et Neid. sequuntur.

6. *Excidant.* Vana, irrita fiant. Neid.

obsisti nullo modo posse : ii tamen fatentur, graviores
ægritudines suscipi, quam natura cogat. Quæ est igi-
tur amentia, ut nos quoque idem ab aliis[7] requira-
mus? Sed plures sunt causæ[8] suscipiendi doloris. Pri- 72
mum illa opinio mali, quo viso atque persuaso ægri-
tudo insequitur necessario. Deinde etiam gratum mor-
tuis se facere, si graviter eos lugeant, arbitrantur.
Accedit superstitio muliebris[9] quædam : existimant
enim, diis immortalibus se facilius satis facturos, si
eorum plaga perculsi, afflictos se, et stratos esse fa-
teantur. Sed hæc inter se quam repugnent, plerique
non vident. Laudant enim eos, qui æquo animo mo-
riantur; qui alterius mortem æquo animo ferant, eos
putant vituperandos. Quasi fieri ullo modo possit,
quod in amatorio sermone dici solet, ut quisquam
plus alterum diligat, quam se. Præclarum illud est, 73

7. *Idem ab aliis requiramus?* Ursini liber *ab illis*, quod viro illi docto jure placet : respicit enim ad id, quod supra dixerant Epicurei : « Quis tam demens, ut sua voluntate mœreat? » Dav. — Adversarii quum quæsivissent : quis tam demens, etc. idem quoque ab illis requirit, i. e. eamdem hanc quæstionem ad illos retorquet, dicens : quæ est amentia dicere, naturam afferre dolorem nec ipsi resisti posse (i. e. necessariam esse ægritudinem), simul vero dicere, graviores suscipi ægritudines, quam natura cogat (i. e. voluntariam esse ægritudinem)? Hæc contradictoria sunt. Nein.

8. *Sed plures sunt causæ*. Responsio ad objectionem primam.: Omnino sunt homines ita dementes, nam nisi opinio esset magni mali alicujus, etc. ægritudine non afficerentur. Sequitur digressio de luctu illo officioso, quo mortuos prosequimur. Nein.

9. *Superstitio muliebris.* Sicut religio deos colit, ita superstitio violat. M. Tullius in N. D. II, superstitiones aniles appellat, atque superstitiosum esse vitii nomen, ex eo dictum, quod qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Lactantius ait, superstitiosos dici, qui superstitem memoriam defunctorum colunt. Qui novos sibi deos colendos assumebant, eos superstitiosos vocabant : unde est illud Virgilianum : « Vana superstitio veterumque ignara deorum ». « Superstitio, ut inquit Seneca, error insanus est; amandos timet; quos colit, violat : hoc faciunt peculiariter mulierculæ, quæ quibusdam rebus inanibus addictæ, dum volunt videri nimis religiosæ, superstitiosæ fiunt et ita delirant ». Beroald

et, si quæris, rectum quoque, et verum[10], ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, æque ac nosmet ipsos amemus; ut vero plus[11], fieri nullo pacto potest. Ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus, quam se[12], ego illum plus, quam me : perturbatio vitæ, si ita sit, atque officiorum omnium, consequatur[13]. Sed de hoc alias[14].

XXX. Nunc illud satis est, non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram, ne illos plus, quam ipsi velint, si sentiant; plus certe, quam nosmet ipsos, diligamus. Nam quod aiunt[1], plerosque consolationibus nihil levari, adjunguntque, consolatores ipsos confiteri se miseros, quum ad eos impetum suum fortuna[2] converterit : utrumque[3] dissolvitur. Sunt enim ista non naturæ vitia, sed culpæ[4]. Stulti-

10. *Rectum quoque, et verum.* Æquum, justum : eaque est hujusce vocis apud optimos scriptores potestas. Cæsar B. G. lib. IV cap. 8 : « Neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare ». Horatius, lib. I, Epist. 7, 98 : « Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est ». Qui plura vult, inter alios videat J. F. Gronovium ad Livii II, 48, et ad Senecæ de Ira lib. II, cap. 29. Dav.

11. *Ut vero plus.* Vulgo *at vero plus*. Ipsa vero sententiæ vis mihi fuit auctor, ut lectionem, quam sequuti sunt Manutius et Lambinus, ipse reducerem. Dav.

12. *Plus, quam se.* In prima ed. Davis. dederat « plus, quam semet » e MS Nurv. Ven. Froben. quum olim vulgg. « quam se amet ».

13. *Consequatur.* In prima ed. Davis. dederat *consequetur* e MS Cantabr.

14. *De hoc alias.* Scilicet in libro illo præclaro quem de Amic. scripsit.

XXX. 1. *Nam quod aiunt.* Responsio ad objectionem secundam et tertiam. Si consolationes nihil efficiunt, et si consolatores ipsi se miseros confitentur, culpa inest in stultitia, et eorum, qui consolatione egent, et eorum qui alios consolantur. Ægritudo quum levari vetustate dicatur ab iis, in hoc errant; eadem enim est res, idem homo; ergo dolori medicina affertur non tempore, sed cogitatione diuturna, nihil esse in re mali. Subjicitur completa ægritudinis definitio ex antecedenti disputatione derivata. Nein.

2. *Fortuna.* Hanc vocem non agnoscunt Pall. quinque nostrique codices. Nec ea videtur necessaria, si modo repetatur ἀπὸ κοινοῦ *miseria*. Dav.

3. *Utrumque dissolvitur.* Utraque objectio tollitur. Nein.

4. *Non naturæ vitia, sed culpæ.* Sic lib. IV, cap. 37 : « Qui autem non natura, sed culpa vitiosi esse dicun-

tiam autem accusare quamvis copiose licet. Nam et qui non levantur, ipsi ad se miseriam invitant[5]; et qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores[6] aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores, quam fere plerique, qui avari avaros, gloriæ cupidos gloriosi reprehendunt. Est enim proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

Sed nimirum hoc maximum est experimentum, 74
quum constet ægritudinem vetustate tolli[7], hanc[8] vim non esse in die[9] positam, sed in cogitatione[10] diuturna.

tur ». D. tamen Lambinus reponendum censuit, « non naturæ vitia, sed stultitiæ ». Credo, quia *stultitiam* mox addit noster. Quasi vero *culpa* non sit *stultitia !* Donatus in Terentii Hecyr. act. II, sc. 1, 31 : « Videtur unum dixisse *opera* et *culpa ;* et tamen non est idem. Opera enim est, si scientes læserimus; culpa, si nescientes: quorum alterum sceleris, alterum stultitiæ est ». Similiter Eratosthenes apud Homerum, Odyss. I, 6, legit : Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ, ΚΑΚΟΤΗΤΟΣ ΑΠΟΥΣΗΣ. Φάσκων τῆς ἀφροσύνης. Auctor est Athenæus, lib. I, pag. 16. Quin et Origenes in Celsum, lib. III, pag. 155 : Κατὰ γὰρ, inquit, τὸ ἀκριβὲς, πᾶς φαῦλος ἀνόητός ἐστιν. Vide Scholiasten ad Euripidis Hippol. vs. 643, et Suidas in ἀνόητα. Ne vero solorum esse Christianorum φράσιν, ex sacris scriptoribus haustam, putes, en tibi Dionem Chrysostomum, qui Orat. III, pag. 39, ait, Ποτὲ μὲν ὁ πονηρὸς ἀνόητος λέγεται. Hæc vulgatam lectionem abunde, nisi fallor, muniunt firmantque. Dav.

5. *Ipsi ad se miseriam invitant.* Vulgo, « ipsi ad miseriam invitant », et ita fere MSS. Erasmus autem, Manutius et Lambinus habent, « ipsi alios ad miseriam invitant ». Eadem est utriusque lectionis sententia, sed ea falsa prorsus et rebus ipsis repugnans. Nam vix est, ut qui consolatione nihil levatus, miser esse pergit; vix est, ut is ad alios miseriam possit invitare. Reliqui potius, ejus sorte deterriti, consolationem non respuent; cavebuntque ne nimias suscipiant ægritudines. Quantivis pretii est codicis Ursiniani scriptura, quam nos recepimus; etenim, ut recte monuit vir ille doctus, non minus est stultum ultro sibi accersere mala, quam « aliorum vitia cernere, oblivisci suorum ». Dav.

6. *Aliter ferunt, atque ut auctores.* Vide Godesc. Stewechium de Part. LL. pag. 22. Dav. — Sine causa Ern. delevit *ut.*

7. *Quum constet ægritudinem vetustate tolli.* Præclare noster *La Fontaine :* « Sur les ailes du temps la tristesse s'envole ».

8. *Hanc vim.* Qua scil. tollitur ægritudo.

9. *In die.* In diuturnitate temporis. Nam.

10. *In cogitatione diuturna.* Inepte Gebhardus hic et paullo post ex nonnullis codd. edidit *diurna :* nam Balliol. Eliens. tert. aliique veram lectionem servant. Dav.

Nam[11] si et eadem res est, et idem est homo: qui potest quidquam de dolore mutari, si neque de eo, propter quod dolet, quidquam est mutatum, neque de eo, qui dolet? Cogitatio igitur diuturna, nihil esse in re mali, dolori medetur, non ipsa diuturnitas.

XXXI. Hic mihi[1] afferunt mediocritates. Quæ si naturales sunt, quid opus est consolatione? Natura enim[2] ipsa terminabit modum. Sin opinabiles, opinio tota tollatur. Satis dictum esse arbitror, ægritudinem esse opinionem mali præsentis, in qua opinione illud insit, ut ægritudinem suscipere oporteat.

75 Additur ad hanc definitionem a Zenone recte, ut illa opinio præsentis mali sit recens. Hoc autem verbum sic interpretatur[3], ut non tantum illud recens esse velit, quod paullo ante acciderit, sed, quam diu in illo opinato malo vis quædam insit, et vigeat[4], et habeat quamdam viriditatem, tam diu appelletur recens: ut Artemisia illa, Mausoli, Cariæ regis[5], uxor,

11. *Nam*, etc. En hoc experimentum, quo probatur ægritudinem cogitatione diuturna tolli: scilicet quum eadem causa mœrendi idemque homo semper maneat, quid valere potest lapsus temporis ad exstinguendum mœrorem? Si tamen quotidiana docemur experientia ægritudinem sensim minui, medela doloris non tempori, sed cogitationi tribuenda est.

XXXI. 1. *Hic mihi afferunt ... consolatione?* Laudat Nonius in *mediocritas*, ita tamen, ut a Ciceronis exemplaribus nonnihil abeat diversus. Davis. — Respicit h. l. ad Peripateticos; vid. Tusc. IV, cap. 19.

2. *Natura enim ipsa. Enim* abest a MS Petrens. idque non admodum necessarium Davisius putabat. MS Leid. *terminavit*, probante Buherio.

3. *Interpretatur .... velit.* Davis cum Pith. Reg. Med. scribit « interpretantur ... velint », eumque Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur.

4. *Insit, et vigeat.* Cum Cl. Bentleio legerim *ut vigeat*. Dav. — Hoc dederunt Wolf. Schütz. et Neid.

5. *Mausoli, Cariæ regis.* Huc respicit A. Gellius N. A. lib. X, cap. 18: « Mausolus autem fuit, ut M. Tullius ait, rex terræ Cariæ: ut quidam græcarum historiarum scriptores, provinciæ Græciæ præfectus, Satrapen Græci vocant ». Apud eum decantatissima illa, quam Noster hic refert, sequitur historia. Vide sis et Strabonem, lib. XIV, 969, 970, ac Hieronymum adv. Jovin. lib. I, pag. 345. Horum uterque cum Tullio Mausolum Cariæ regem fuisse statuerunt, ut faciunt etiam Plinius H. N. lib. XXXVI, cap. 3? et Lucianus in

quæ nobile illud Halicarnassi fecit sepulcrum, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam[6] confecta contabuit. Huic erat illa opinio quotidie recens: quæ tum denique non appellatur recens[7], quum vetustate exaruit.

Hæc igitur officia[8] sunt consolantium, tollere ægritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quam plurimum, aut supprimere, nec pati manare longius,
aut ad alia[9] mentem traducere. Sunt, qui unum offi- 76
cium consolantis putent[10], malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet. Sunt, qui non magnum malum, ut peripatetici[11]. Sunt, qui abducant[12] a malis

Dial. Diogenis et Mausoll, tom. I, pag. 311. Idem clare confieitur ex Herodoti lib. VII, cap. 99, et Valerii Maximi lib. IV, c. 6, § 1: « quid de illo inelyto tumulo loquare, quum ipsa Mausoli vivum ac spirans sepulcrum fieri concupierit, exstincti ossa potioni adspersa bibendo ». Me certe fugiunt scriptores, qui eum « provinciæ Græciæ præfectum » dixerunt. Adeatur etiam Suidas in Ἀρτεμισία.

6. *Eodemque etiam conf.* Davis. e Balliol. « eo denique etiam conf. »

7. *Appellatur recens.* Sic Bak. et Med. Schütz. et Neid. Vulgo *appellabatur.* Davisius quum diceret *appellatur* stare non posse, ob sequens præteritum tempus, reposuit *appellabatur.* Sed non videmus cur minus præsens tempus quam futurum h. l. cum præterito conveniret.

8. *Hæc igitur officia ... videndum est.* Officia consolantium. Sub examen vocantur diversæ philosophorum rationes consolandi, postquam suam ipsius sententiam protulit. Censentur Cleanthes (§ 77), Lycon (§ 78); ii qui in alicujus consolationem dicunt: Non tibi soli hoc accidit (§ 79); et Chrysippus (§ 79). Judicio opus est, quo loco ac tempore quodvis genus consolationis adhibere possis. Nein.

9. *Ad alia ... traducere.* Vulgo *ad aliam.* Quasi sicut amor amore aliu, sic animi dolor alio dolore sit expellendus! Sed hoc minime vult Tullius; quare nos eam recepimus lectionem, quam præstant Reg. Pithœan. Med. Vatic. Pall. quart. quint. Balliol. Bak. et Eliens. sec. tert. Dav.

10. *Putent, malum.* Davis. « putant docere malum », notatque: Ex Eliensi sec. *modum* mutavimus, quod in reliquis verba sunt indicativa. *Docere* vero nos adjecimus Lambinum Bentleiumque secuti; orationi enim complendæ deest vel hæc, vel similis vox.

11. *Ut peripatetici.* Davis. scribit *ut peripateticis.* Ita, inquit, recte Cl. Bentleius, si modo vera sit in priore loco scriptura. Nonnumquam auspicatus sum Ciceronem dedisse, « sunt qui unum officium consolantis putant, malum illud omnino non esse, ut Cleanthes, persuadere ». Tum demum non est a codicibus hic recedendum. Davisium ceteri non sequuntur.

12 *Abducant.* Davis. et Oliv. *ab-*

ad bona, ut Epicurus. Sunt, qui satis putent, ostendere, nihil inopinati accidisse, nihil mali[13]. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem mœrenti, si se officio[14] fungi putet justo atque debito. Sunt etiam, qui hæc omnia genera consolandi colligant[15]: alius enim alio modo movetur. Ut fere nos omnia in Consolationem[16] unam

ducunt; iidem *putant*, non *putent.*

13. *Nihil inopinati accidisse, nihil mali.* Davisius edidit « nihil inop. accidisse, ut Cyrenaici ». Vulgata, inquit, *nihil mali*, cunctorum MSS lectio; quæ quum absurda fuerit, Manutius et Lambinus rescripsere, *nihil novi.* Sed altius latet mendum, quam putarunt eruditi illi viri. Omnino reponendum *ut Cyrenaici:* quum enim ceterorum, quæ hic refert, dogmatum fautores nominat Cicero; parum decore se gesserat, si patronos hujusce sententiæ tacuisset. Hos autem fuisse Cyrenaicos, abunde constat. Noster lib. III, cap. 13: « Cyrenaici non omni malo ægritudinem effici censent; sed insperato et nec opinato malo ». Iterum cap. 22: « Cyrenaicorum restat sententia, qui tum ægritudinem censent exsistere, si nec opinato quid evenerit ». Mirum tamen fortasse videatur, quod a recta via immane quantum discesserint omnes librarii. Sed qui MSS trivere, non nesciunt, quam frequentia sint in propriis nominibus eorum peccata: si vero ductus attendas literarum, a vulgata tam longe non abeunt, quam prima facie censeri queat. Utcumque sit, ipsa sententiæ vis facit, ut hæc emendatio mihi palmaria videatur et ab omnibus probanda. Prætermittendum tamen non est, quod tradit Plutarchus περὶ εὐθυμίας, pag. 474: Ὁ μὲν, inquit, Καρνεάδης ἐπὶ πραγμάτων μεγάλων ὑπεμίμνησκεν, ὅτι πᾶν καὶ ὅλον ἐστὶν εἰς λύπην καὶ ἀθυμίαν τὸ ΑΠΡΟΣΔΟΚΗΤΟΝ. Sed is, quum fuerit Academicus, adeoque vinculis opinionum liber, nunc hanc, nunc illam pro libitu defendit, ut Stoicis, cum quibus disputabat, negotium facesseret. Cyrenaicorum vero tum temporis adoptabat sententiam, « quos improvisa tantum species exterret », ut loquitur Horatius, lib. I, Ep. 6, 11. Ex eorumdem mente Dido Æn. IV, 419: « Hunc ego si potui tantum sperare dolorem, Et perferre, soror, potero ».

14. *Si se officio fungi putet justo atque debito.* In quibusdam codd. deest illud *si*, in aliis *se:* alii habent *ne se;* unus e Davisii codd. *ut se.* Hæ sunt hariolationes librariorum, qui vitiosam orationem facile agnoverunt, morbum vero altius latentem nequiverunt deprehendere; qui jam, nisi valde fallor, feliciter et funditus tolletur: lege enim fidenter: « Detrahere illam opinionem mœrenti, se officio fungi pio, et justo atque debito ». Sic « officium justum et pium et debitum » legas Epp. Fam. VI, 1. Bentleius.

15. *Colligant.* Dav. Oliv. *colligunt.*

16. *Ut fere nos omnia in Consolationem unam conj.* Davisius scribit « ut fere nos in Consolatione omnia in consolationem unam conj. » Sic, inquit, Reg. Pithœan. et optimi quique codices; nam vulgo *in Consolatione* nesciunt. Vatic. repræsentat, « ut fere

conjecimus : erat enim in tumore[17] animus, et omnis in eo tentabatur curatio.

Sed sumendum tempus[18] est non minus in animorum morbis, quam in corporum : ut Prometheus ille Æschyli; cui quum dictum esset,

> Atqui, Prometheu[19], te hoc tenere existimo,
> Mederi posse rationem iracundiæ[20];

respondit,

> Si quidem qui tempestivam medicinam admovens
> Non ad gravescens vulnus illidat manus.

nos in Consolatione fecimus, et omne genus consolandi in consolationem unam conjecimus ». — Wolf. et Neid. Davisium sequuntur. Schütz. emendat « ut fere nos in Consolatione omnia in unum conj. »

17. *In tumore.* Ob mortem filiæ Tulliæ. Nam.

18. *Tempus*, opportunum.

19. *Atqui*, *Prometheu*, etc. Apud Æschylum Prom. Vincto, vs. 378, ait Oceanus, Οὔκουν, Προμηθεῦ, τοῦτο γινώσκεις, ὅτι ΟΡΓΗΣ νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι; Cui Prometheus, Ἐάν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ, Καὶ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ. Plutarchus Cons. ad Apoll. pag. 102, et Eustathius in Iliad. Θ, 696, secundum versum ita laudant : ΨΥΧΗΣ νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι. Eoque modo legi debere statuunt bene multi. Ne in illorum sententiam pedibus iverim, fecerunt omnia poetæ exemplaria, scholiastis auctoritas, nec non ipsa Ciceronis versio quæ receptam scripturam manifesto vindicat. Vocibus ὀργῆς νοσούσης « iram ægrotare facientem » puto denotari. Scriptores nimirum, suis verbis, tertiæ conjugationis apud Hebræos vim sæpe tribuunt. Euripides in Rheso, vs. 445 : ... Ἡμέραν δ' ἐξ ἡμέρας Πίπτεις ... Iterum Bacchis vs. 146 : Πυρσώδη φλόγα πεύκας Ἐκ νάρθηκος ἀΐσσει. Infinita sunt hujusmodi, quorum nonnulla dedimus ad Ciceronem de Fato, cap. 20. Vide sis et Servium ad Virgilii Eclog. VIII, 4, et Dan. Fesselium Advers. Sacr. I, 2. Dav. — Vide Larcheri notas in Herodotum, tom. I, pag. 330, ubi ille et vir doctus *Coray* versus Ciceronis et Æschyli comparant. Sed forsitan illi Attii sunt, non Ciceronis. J. V. L.

20. *Mederi posse rationem iracundiæ.* D. Lambinus reponebat, « orationem mederi iracundiæ »; sed ea sane conjectura metricas in leges peccat, quæ pedem trochaicum in versu iambico non admittunt. Post, sententia mutata, rescripsit, « mederi posse orationem iracundiæ », nec aliter H. Stephanus ad Æschylum in Castig. Cicer. pag. 38. At nec ea ratione procedit versus. Menander apud Stobæum Serm. XX, p. 172 : Οὐκ ἔστιν ὀργῆς, ὡς ἔοικε, φάρμακον, Ἀλλ' ἢ ΛΟΓΟΣ σπουδαῖος ἀνθρώπου φίλου. Themistius Orat. VII, pag. 98 : Φάρμακον δὲ ὀργῆς οἰδαινούσης τὸ μὲν αὐτίκα ΛΟΓΟΣ ἐστίν, ᾧ σὺ τηνικαῦτα ἐπράυνας σφαδάζουσαν καὶ ζέουσαν ἔτι. Sym-

77 XXXII. Erit igitur in consolationibus prima medicina, docere, aut nullum malum esse, aut admodum parvum; altera, et de communi conditione[1] vitæ, et proprie, si quid sit de ipsius, qui mœreat, disputandum[2]; tertia, summam esse stultitiam frustra confici mœrore, quum intelligas, nihil posse proficl. Nam Cleanthes quidem sapientem consolatur[3]; qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum, quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris. Alienum autem tempus docendi. Et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando ægritudinem posse ex eo ipso, quod esse summum malum Cleanthes ipse fateatur[4]. Quid enim dicemus, quum Socrates Alcibiadi

machus lib. III, Epist. 6 : « Solet quidem ægritudines animi ratio mitigare ». Hieronymus Epist. XXV, pag. 165 : « Recens vulnus est, et tactus iste, quo blandior, non tam curat quam exasperat. Attamen quod tempore mitigandum est, cur ratione non vincitur? » Vide et Epist. XXVI, pag. 167. Quum λόγοι vel *orationem*, vel *rationem* significent, posterior vocis potestas Ciceroni placuit. Dav.

XXXII. 1. *Et de communi conditione vitæ, et proprie, si quid sit de ipsius, qui mœreat, disputandum.* Hoc vult Cicero : « Disputandum est, et de communi conditione vitæ, et proprie de conditione ipsius, qui mœreat, si quid sit, quod de illa possit proprie disputari ». Concinnitas orationis non exigit, ut quoniam præcessit, « de communi », sequatur, « de propria ». Cic. de Offic. I, 30 : « Intelligendum est etiam, duabus quasi nos a natura indutos esse personis : quarum una est communis; altera autem, quæ proprie singulis est tributa ». Si quis veretur, ut satis latinum sit, *de ipsius*, putatque adjungendum esse præpositioni nomen sexti casus, habet, quem legat, Ciceronem. Anon. — Buherius legi volebat *propria* e MS. Leid.

2. *Disputandum.* Dicere debebat, *disputare*, ex antecedentibus. Inde hanc vocem Ern. uncis inclusit, ut spuriam. N. — Certe durius est anacoluthon, ob sqq. *tertia, summam esse.*

3. *Sapientem consolatur.* Cleanthis consolandi ratio : Nihil malum esse, nisi turpe; solum, si posset, sapienti prodesse posset, sed is consolatione non eget. Præterea Cleanthes non satis ad id respexisse videtur, sæpissime aliquem in ægritudine esse posse ob animi turpitudinem. Qualem si his consolari vellet, Nihil esse malum, nisi turpe; quid proficiat? æger est enim ille ob ipsam turpitudinem. Ergo Cleanthis consolatio nihil omnino prodest, nec sapienti, nec insipienti. Cf. § 68. Nein.

4. *Fateatur.* In prima ed. Davis. dederat *fatebatur* e Pal. quint. et

persuasisset[5], ut accepimus, eum nihil hominis esse, nec quidquam inter Alcibiadem, summo loco natum, et quemvis bajulum interesse; quum se Alcibiades affligtaret, lacrymansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet, turpitudinemque depelleret: quid dicemus, Cleanthe? num in illa re[6], quæ ægritudine Alcibiadem afficiebat, mali nihil fuisse? Quid, illa 78
Lyconis, qualia sunt? qui ægritudinem extenuans, parvis ait eam rebus moveri, fortunæ[7] et corporis incommodis, non animi malis. Quid ergo? illud, quod Alcibiades dolebat, non ex animi malis vitiisque constabat? Ad Epicuri consolationem satis est ante dictum.

XXXIII. Ne illa quidem consolatio firmissima est, 79
quamquam et usitata est, et sæpe prodest[1]: Non tibi hoc soli. Prodest hæc quidem, ut dixi, sed nec sem-

Norvic. Petrens. *fatetur*, ac ita multi ex impressis.

5. *Quum Socrates Alcibiadi persuasisset.* Augustinus C. D. lib. XIV, cap. 8: « Alcibiadem ferunt, si me de nomine hominis memoria non fallit, quum sibi beatus videretur; Socrate disputante, et ei, quam miser esset, quoniam stultus esset, demonstrante, flevisse ». Hoc autem præstitit Socrates apud Platonem in Alcib. I, pag. 38. Davis. — Plutarchus in vita Alcibiadis, Cleanthis dictum refert « solis auribus Alcibiadem a Socrate capi posse »; eoque dicto J. V. L. observat eas dissipari calumnias, quas in Socratem quidam congesserant.

6. *Num in illa re.* Vulgo « tum in illa re », quod ex Pall. suis male recepit Gebhardus. Attamen Reg. Pithœan. aliique codices isto vitio laborant. Nos Erasmum, Victor. Maunt. et Lambinum duces habemus. Dav.

7. *Fortunæ.* Ern. malebat *fortuna.* Sed non ita *fortunam* absolute posuisse videntur; addunt *malam* vel *bonam.*

XXXIII. 1. *Quamquam et usitata est, et sæpe prodest.* Huc spectant elegantissimi Timoclis versus, qui leguntur apud Athenæum, lib. VI, pag. 223, et Stobæum Serm. CXXIII, pag. 616. Eorum dumtaxat partem, ne sim longior, apponam: Τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον, εἰ βούλει, σκόπει, Ὡς ὠφελοῦσι πάντας· ὁ μὲν γὰρ ὢν πένης Πτωχότερον αὐτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον Γενόμενον, ἤδη τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει. Ὁ νοσῶν τι μανικὸν, Ἀλκμαίων' ἐσκέψατο. Ὀφθαλμιᾷ τις; εἰσὶ Φινεῖδαι τυφλοί. Τέθνηκέ τῳ παῖς; ἡ Νιόβη κεκούφικε, etc. Ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον' ἢ πέπονθέ τις Ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννοούμενος Τὰς αὐτὸς αὐτοῦ συμφορὰς ἧττον στένει. Sic enim, comparatis inter se variis lectionibus, emendandum locum censui. Rem ipsam tetigit Noster supra capp. 23, seqq. Dav.

per, nec omnibus : sunt enim, qui respuant : sed refert, quo modo adhibeatur. Ut enim tulerit quisque eorum, qui sapienter tulerunt, non quo quisque incommodo affectus sit, prædicandum est. Chrysippi, ad veritatem firmissima [2] est; ad tempus ægritudinis, difficilis. Magnum opus [3] est, probare mœrenti, illum suo judicio, et quod se ita putet oportere facere, mœrere. Nimirum igitur, ut in causis non semper utimur eodem statu [4] (sic enim appellamus controversiarum genera); sed ad tempus, ad controversiæ naturam, ad personam accommodamus : sic in ægritudine lenienda [5] quam quisque curationem recipere possit, videndum est.

80 Sed nescio quo pacto [6] ab eo, quod erat a te pro-

2. *Chrysippi, ad veritatem firmissima est.* In nonnullis editt. legitur *Chrysippi ratio :* in Norv. Pal. prim. quint. scribitur *Chrysippi auctoritas*, ac ita quoque Ven. 1491, et Froben. Utrumque Glossema, ut colligi potest ex Petrens. aliisque MSS qui lectionem servant a nobis repræsentatam. Intelligitur autem *consolatio*, quæ vox non longo intervallo præcessit. Dav. — Buherio placebat lectio cod. Reg. Leid. ed. Ald. Rob. Steph. « Chrysippi aucturitas ». Schutz. — *Ad veritatem.* In theoria, sive abstracto. Neid.

3. *Magnum opus.* MS Leid. « magnum unus ».

4. *Eodem statu.* Quæ Cicero (Top. cap. 25) ad explicationem hujus vocis affert, eo fere redeunt, sub statu comprehendi omne id, quod quis ad diluendam accusationem vel infringendam sententiam alicujus dicere possit. Neid.

5. *Sic in ægr. lenienda quam quisque curationem rec. p. vid. est.* Sequutus hic sum libros quatuor, vet. cod. Pal. quint. Fabr. Pith. etiam ductus sententiæ concinnitate. Solutius vulgo : « sic in ægrit. lenienda : nam quam quisque cur. etc. » Gebhard. — *Natura quam quisque est.* In Norvic. « quamnam quisque » Manut. Davisius in tertia ed. vetustam lect. « nam quam quisque » restituit e Reg. Eliens. tert.

6. *Sed nescio quo pacto*, etc. Deflexit sermo noster, inquit Cicero, a proposito nostro (quærebamus enim solum : an ægritudo in sapientem cadere possit) et ulterius digressi de ægritudine lenienda generatim præcepimus. Præcipitur quidem in philosophorum scholis de paupertate, de vita inhonorata, de interitu patriæ, de servitute, de debilitate, de cæcitate et de omni calamitate; sed haud necessarium est, quum, si quis recte de ægritudine in genere edoctus fuerit, facile in singulis calamitatibus medicinam adhibere sibi possit. Sed habet ægritudo tamquam genus suas formas, de quibus alias, et quidem libro, qui sequitur, quarto. Neid.

positum, aberravit oratio. Tu enim de sapiente quæsieras; cui aut malum videri nullum potest, quod vacet turpitudine; aut ita parvum malum, ut id obruatur sapientia, vixque appareat : qui nihil opinione affingat, assumatque ad ægritudinem; nec id putet esse rectum, se quam maxime excruciari luctuque confici : quo pravius nihil esse possit. Edocuit tamen ratio, ut mihi quidem videtur, quum hoc ipsum proprie non quæreretur hoc tempore, num quod esset malum, nisi quod idem dici turpe posset, tamen ut videremus[7], quidquid esset in ægritudine mali, id non naturale esse, sed voluntario judicio, et opinionis errore contractum.

XXXIV. Tractatum est autem a nobis id genus ægri- 81
tudinis, quod unum est omnium maximum, ut, eo sublato, reliquorum remedia ne magnopere quærenda arbitraremur[1]. Sunt enim certa, quæ de paupertate; certa, quæ de vita inhonorata et ingloria dici soleant. Separatim certæ scholæ sunt[2] de exsilio, de interitu patriæ, de servitute, de debilitate, de cæcitate, et de omni casu[3] : in quo nomen poni solet calamitatis.

7. *Tamen ut videremus.* Baherius, quia in cod. Leid. est, « tum et videremus » totum hunc locum sic constituendum putabat : « Edocuit tamen ratio, ut mihi videtur (quum hoc ipsum proprie non quæreretur), quum ne quod esset malum, nisi quod idem dici turpe possit, tum ut videremus, etc. » Sed sensus est : Quum hoc loco non quæreremus an ullum esset malum, nisi quod turpe sit, hoc quidem ex nostra disputatione affirmare omnino non possumus nullum malum esse, nisi quod turpe sit, illud autem certe affirmare possumus nullum esse verum in ægritudine malum, quod in partem quamdam proficit ad probandum nullum esse malum, nisi in turpitudine. — Ceterum Pal. pr. « ne quod esset malum » Pal. 2, 3, 4, 5, « nimi quod esset malum ». Paullo ante Dav. dederat in prima ed. *Ed. t. oratio* cum MS Norv.

XXXIV. 1. *Arbitraremur.* Davis. *arbitremur* cum Eliens. pr. Balliol. et Victor.

2. *Certæ scholæ sunt.* Prælectiones philosophicæ habentur. Naid.

3. *Et de omni casu.* Voculam *et* Davisius delevit e Reg. Pith. Med. Eliens. pr. tert. et Bak. eumque Sch. et Neid. sequuti sunt.

Hæc Græci in singulas scholas, et in singulos libros dispertiunt. Opus enim quærunt[4]: quamquam plenæ
8. disputationes delectationis sunt[5]. Et tamen, ut medici[6], toto corpore[7] curando, minimæ etiam parti, si condoluit, medentur: sic philosophia, quum universam ægritudinem sustulit, tamen, si quis error aliunde exstitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offudit exsilium, aut eorum, quæ modo dixi, si quid exstitit; et si[8] sin-

4. *Opus enim quærunt.* Jocose in philosophos, qui scribendi materiam anxie quærunt, sicut pauperes occasionem laborandi et quærendi, unde vivant. Ern.

5. *Quamquam plenæ disputationes delectationis sunt.* Sic emendavit Hadr. Turnebus Advers. lib. XIX, cap. 5, quam conjecturam recepere D. Lambinus, Janus Gebhardus, et Fr. Fabricius, eam a MS Colon. probatam esse testatus. Quum tamen mire varient libri, diversas lectiones videamus. Norvic. unus « plenæ disputationis sunt ac delectionis »: alter cum Pith. et Pal. quint. « plane disputationis delectationisque sunt ». Vatic. « quamquam plane disputationis, delectationis summæ: tamen, etc. » Vulgg. « quamquam plane disputationis sunt, delectationis », unde Paullus Manutius ex V. C. rescribebat *et delectationis*. Petrens. « quamquam plane disputationis alias delectationis sunt ». Pal. quart. « quamquam plane disputationes delectioni sunt ». Corrigo « quamquam plane disputationes sunt delectationi », vel « delectationi sunt », ut ordinem verborum sequamur, quem præstant Reg. Pithœan. et plures MSS. Hanc hariolationem diserte firmat Pal. quart. nisi quod is male *delectioni*. Nemo certe nescit Græcos ingenii fuisse disputacis, quos ea propter « contentionis cupidiores quam veritatis » dixit Cicero de Orat. lib. I, cap. 11. Dav. — Wolf. Schütz. et Neid. « quamquam plenæ disputationes sunt delectationis ».

6. *Et tamen, ut medici.* Sensus: Medici totum corpus curantes, hoc ipso singulis corporis partibus, si condoluerunt, medentur; eadem est ratio philosophiæ, quæ quum universam ægritudinem sustulit, simul quoque singulas ægritudinis causas, quæ ceterum nil nisi leves sunt morsus et contrectiunculæ (latet hæc sententia in verbis *mordere*, *pungere*, *quid tenebrarum offundere*), aufert. Nein.

7. *Toto corpore curando.* Hoc est, curatione totius corporis, dum corpus totum curant. Ita Offic. lib. I: « Orationem latinam profecto legendis nostris efficies pleniorem »: lectione nostrorum, legendo nostra. De Rep. III: « Noster populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est »: defendendo socios. Passerat.

8. *Et si singularum.* Turbatus est locus, quem restituere multi sunt conati. Hadr. Turnebus Advers. XIX, 5, ac Joach. Camerarius reponunt *etiam singularum*. Violentior est D. Lambini medicina, pro qua duæ

gularum rerum sunt propriæ consolationes[8]: de quibus
audies tu quidem, quum voles. Sed ad[9] eumdem fontem
revertendum est, ægritudinem omnem procul abesse a
sapiente, quod inanis sit, quod frustra suscipiatur,
quod non natura exoriatur, sed judicio, sed opinione,
sed quadam invitatione ad dolendum, quum id decre-
verimus ita fieri oportere. Hoc detracto, quod totum 83
est voluntarium, ægritudo erit sublata illa mœrens[10];
morsus tamen, et contractiunculæ quædam animi re-
linquentur[11]. Hanc dicant sane naturalem, dum ægri-
tudinis nomen[12] absit, grave, tetrum, funestum; quod

priores voculæ resecandæ sunt. Mauntius, servata lectione vulgata, ἀνακόλουθον agnoscit. Equidem rescribendum censeo, « ei singularum rerum sunt propriæ consolationes ». Lenissima quidem est curandi ratio. *Si* enim repetitis primis proximæ vocis literis ortum debuit. Dav. — *Et si singularum rerum.* Mendosus est his locus: alii aliter corrigunt: expedita videtur esse ratio, si legas: « Et sic singularum, etc. » Hoc ipsum legerat in veteri codice Davisius; cur neglexerit, non video. Buherius. — Quum e vulgata lectione nihil possem elicere, Buherianam in contextum admisi. Quod tamen factum nolim. Ejectis scilicet duabus his voculis, *Et si*, nihil decedet sententiæ: immo non parum lucis accedet. Neque aliter dedit Lambinus, quem sequi debueram. Olivet. — Wolfius et Neid. vv. *et si* uncis incluserunt: eas Schütz. delevit. J. V. L. Davisii rationem probat: nobis ea, quam Schützius sequitur, melior videtur, quamquam *et* bene retinebitur. Neid. in principio sententiæ scribi vellet *sic philosophiæ*, vel *a philosophia*, ut cohærerent seqq. « propriæ sunt consolationes ».

9. *Ad eumdem fontem.* Sed in iis consolationibus, quæ speciatim in singulis calamitatibus suppeditantur, semper recurrendum est ad principium illud, quod quasi est fons universæ consolationis, ægritudinem omnem procul abesse a sapiente, etc. Neid.

10. *Mœrens.* J. V. L. conj. *mœroris.*

11. *Morsus tamen, et contractiunculæ quædam animi relinquentur.* Sic codices, nec aliter Nonius in *contrahi*: sed tum demum absque solœcismi vitio sequi nequit, *hanc dicant sane naturalem.* Forsan legendum, *has dicant sane naturales*: nisi cum Cl. Bentleio malis, « morsus tantum et contractiuncula quædam animi relinquetur ». Dav. — Ita legi voluit Bentleius, cui Buherius assentitur, ut ad v. *contractiuncula*, referatur τὸ *hanc.* Nam si referas ad *ægritudinem*, hic ergo fatebitur Cicero, ægritudinem esse naturalem: quod tota hac disputatione infirmare voluit. Olivet. — Ern. Wolf. Schütz. et Neid. Bentleium sequuti sunt, nisi quod retinuerunt *tamen.*

12. *Ægritudinis nomen.* Ridiculum foret arbitrari nihil aliud voluisse Ci-

cum sapientia esse, atque, ut ita dicam, habitare nullo modo possit. Atqui[13] stirpes sunt ægritudinis, quam multæ, quam amaræ! Quæ, ipso trunco everso, omnes eligendæ[14] sunt, et, si necesse erit, singulis disputationibus. Superest enim nobis hoc, cuicuimodi est[15], otium.

Sed ratio una omnium est ægritudinum, plura no-
mina. Nam et invidere[16], ægritudinis est, et æmulari,
et obtrectare, et misereri, angi, lugere, mœrere, ærum-
mna affici, lamentari, sollicitari, dolere, in molestia
84 esse, afflictari, desperare. Hæc omnia definiunt stoici;
eaque verba, quæ dixi, singularum rerum sunt; non,
ut videntur, easdem res significant, sed aliquid diffe-
runt: quod alio loco fortasse tractabimus[17]. Hæ sunt
illæ[18] fibræ stirpium[19], quas initio dixi, persequen-

ceronem, nisi ægritudinis nomen depellere. Romani aliquando, Græcorum instar sæpe verbum *nomen* loco rei ipsius posuerunt. Multa a VV. DD. afferuntur exempla, et memini apud Sophoclem Trachin. v. 1082, vidisse ὄνομα μητρὸς pro μήτηρ. J. V. L. — Si Bentleii emendationem admiseris, hæc inutilis erit interpretatio.

13. *Atqui stirpes.* Davisius, « at quæ stirpes » e Reg. et Pith. suadente Bentleio, scripsit; eumque Wolf. et Neid. secuti sunt.

14. *Omnes eligendæ sunt.* Davisius in prima editione dederat *elidendæ*, notaveratque: Hanc lectionem repræsentant uterque Norvic. Petrens. ac veteres editi; quapropter ea nobis reducenda videbatur. Paullo post: « Fibræ stirpium omnes elidendæ », ut ibi legitur in plerisque codd. nam Norvic. unus *eligendæ*, alter *eruendæ*. Varro R. R. lib. I, cap. 47: « Herbæque elidendæ, et, dum teneræ sunt, vellendæ ». Quæ sit hujus verbi potestas, docebit Nonius, cap. 4, p. 650. Dav. — In tertia ed. Dav. in eadem lect. edenda perseveravit, quum tamen tum diceret sibi potiorem videri lect. *eligendæ*. Olivet. Schütz. et Neid. cum Davisio faciunt. *Eligendæ* Burmannus defendit.

15. *Cuicuimodi est, otium.* Scilicet quamquam hoc otium mihi per reipublicæ calamitates est partum. Nam tum, Cæsare regnante, Cicero urbe et rebus publicis recesserat.

16. *Nam et invidere.* De his formis vide plura lib. IV. Neid.

17. *Quod alio loco fortasse tractabimus.* Id præstitit infra, lib. IV, cap. 8. Davis.

18. *Hæ sunt illæ.* Davis. « hæc sunt illæ ». Sic, inquit, Reg. Pithœan. Med. et Bak. ἀρχαϊκῶς.

19. *Fibræ stirpium.* Quasi radiculæ minutæ, et veluti capillamenta in extremo ægritudinis trunco adhærescentes. *Fibrum* enim antiqui extremum dixerunt, ut docet Varro: unde *fibræ*

dæ[20], et omnes eligendæ, ne ulla umquam possit exsistere. Magnum opus, et difficile: quis negat? Quid autem præclarum[21], non idem arduum? Sed tamen id se effecturam[22] philosophia profitetur. Nos modo curationem ejus recipiamus. Verum quidem hæc hactenus. Cetera, quotiescumque voletis, et hoc loco, et aliis, parata vobis erunt.

dictæ extremitates in jecore, et *fimbriæ* in vestimentis, et *fibræ* in arboribus et herbis. Plin. XIX: « Tubera vocantur hæc undique terra circumdata nullisque fibris innixa, aut saltem capillamentis ». Beroald.

20. *Quas initio dixi, persequendæ, et omnes eligendæ*. Davis. dat: « quæ sunt ut initiu dixi persequendæ et omnes eligendæ ». Sic, inquit, Eliens. tert. Vulgo, « quas initio dixi, persequendæ ». Lambinus rescribendum censuit *persecandæ*. Eliens. sec. dat « quas initiu dixi præsecandas et umnes eruendas ». Sed tum demum sequi debet « ne umquam ulla posset (nun *possit*), exsistere «. Lego, « quæ sunt, ut initiu dixi, præsecandæ et omnes eligendæ ». — Et certe *præsecandæ* est in MS Norvic. ut Davis. notavit in prima ed. in qua hanc lect. in textum intulerat. Sed *persequendæ* bene se habet: hoc sensu, a trunco proficiscentem oportet descendere in stirpes; a stirpibus in fibras extremas descendere; atque ultima quasi capillamenta persequi, ne ullum oculos fugiat, manumque evulsuri.

21. *Quid autem præclarum, non idem arduum?* Ursinus e MS suo addidit « quud non idem », quod putat a sententia postulari; idemque est in MS Leid. sed sic via sententiæ est minor, quæ præclare se habet subaudito *est* post *arduum*. Atqui Buberius in ed. vet. vidit « nun idem est arduum ».

22. *Id se effecturam*. Vulgo *se* nesciunt, quod ex MSS et veteribus editis adjecimus. Dav. — Davisium Oliv. Wolf. Schütz. et Neld. consensu sequuntur.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER QUARTUS

ARGUMENTUM

LIBRI QUARTI.

Liber quartus post præfationem, qua veteres Romanos philosophiam, amplissimam bene vivendi disciplinam vita magis quam literis persequutos esse ostendit, continet quarti diei disputationem, in qua auditor hanc sententiam proposuerat, « non videri omni animi perturbatione sapientem posse vacare ». Quod ut refutetur, primum id agit Cicero, ut Zenonis, Stoicorum principis, definitionem perturbationis et ipsa perturbationum genera exponat. Perturbationem ille dixerat aversam a recta ratione contra naturam animi commotionem (τὴν ἄλογον καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησιν. Diog. Laert. VII, 63). Partes autem perturbationum ex duobus opinatis bonis nasci, et ex duobus opinatis malis; ita esse quatuor, ex bonis libidinem et lætitiam, ut sit lætitia præsentium bonorum, libido futurorum; ex malis metum et ægritudinem, metum ex futuris, ægritudinem ex præsentibus. Et *ægritudinem* quidem esse opinionem recentem mali præsentis in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur (λύπην, συστολὴν ἄλογον). *Lætitiam* opinionem recentem boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur (ἡδονὴν, ἄλογον ἔπαρσιν ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν). *Metum* opinionem impendentis mali, quod intolerabile esse videatur (φόβον, προσδοκίαν κακοῦ). *Libidinem* opinionem futuri boni, quod sit ex usu jam præsens esse (ἐπιθυμίαν, ἄλογον ὄρεξιν). Singulis autem his perturbationibus partes generis plures subjici. Itaque ægritudini a Stoicis subjicitur *æmulatio*, id est, ægritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat (ζῆλος, λύπη ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ). *Obtrectatio* ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit (ζηλοτυπία, λύπη ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ). *Misericordia* ægritudo ex miseria alterius injuria laborantis (ἔλεος, λύπη ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι). *Angor* ægritudo premens (ἄχθος, λύπη βαρύνουσα). *Luctus* ægritudo ex ejus qui carus fuerit interitu acerbo. (Hujus et mœroris, doloris, lamentationis, molestiæ et desperationis definitiones apud Diogenem Laertium omittuntur). *Mœror* ægritudo flebilis. *Ærumna* ægritudo labo-

riosa (ὀδύνη, λύπη ἐπίπονος). *Dolor* ægritudo crucians. *Lamentatio* ægritudo cum ejulatu. *Sollicitudo* ægritudo cum cogitatione (ἀνία, λύπη ἐκ διαλογισμῶν μένουσα, ἢ ἐπιτεινομένη). *Molestia* ægritudo permanens. *Afflictatio* ægritudo cum vexatione corporis (ἐνόχλησις, λύπη στενοχωροῦσα καὶ δυσχωρίαν παρέχουσα). *Desperatio* ægritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum. Sub *metu* autem subjecta sunt, quæ sequuntur : *Pigritia* metus consequentis laboris (ὄκνος, φόβος μελλούσης ἐνεργείας). *Pudor* (αἰσχύνη, φόβος ἀδοξίας). *Terror* metus concutiens (ἔκπληξις, φόβος ἐκ φαντασίας ἀσυνήθους πράγματος). *Timor* metus mali appropinquantis. *Pavor* metus mentem loco movens. *Exanimatio* metus subsequens et quasi comes pavoris. *Conturbatio* metus excutiens cogitata (θόρυβος, φόβος μετὰ κατεπείξεως φωνῆς). *Formido* metus permanens. *Voluptatis* partes sunt istæ : *Malivolentia* voluptas ex malo alterius sine emolumento suo (ἐπιχαιρεκακία, ἡδονὴ ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς). *Delectatio* voluptas suavitate auditus animum deleniens (κήλησις, ἡδονὴ δι' ὤτων καταχλῶσα). *Jactatio* voluptas gestiens et se efferens insolentius (τέρψις, οἷον τρέψις, προτροπὴ τῆς ψυχῆς ἐπὶ τὸ ἀνειμένον). *Libidini* subjecta sunt *ira*, libido puniendi ejus qui videatur læsisse injuria (ὀργὴ, ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως). *Excandescentia* ira nascens et modo exsistens (θυμὸς, ὀργὴ ἀρχομένη). *Odium* ira inveterata (μῖσος, ἐπιθυμία τις τοῦ κακῶς εἶναί τινι, μετὰ προκοπῆς τινος καὶ παρατάσεως). *Inimicitia* ira ulciscendi tempus observans (μῆνις, ὀργὴ πεπαλαιωμένη καὶ ἐπίκοτος, ἐπιτηρητικὴ δέ). *Discordia* ira acerbior, intimo odio et corde concepta. *Indigentia* libido inexplebilis (σπάνις, ἐπιθυμία τις ἐν ἀποτεύξει, καὶ οἷον κεχωρισμένη ἐκ τοῦ πράγματος, τεταμένη δὲ διακενῆς ἐπ' αὐτὸ καὶ σπωμένη). *Desiderium* libido ejus, qui nondum adsit, videndi, cap. 4-9 (1). His expositis Cicero refert, Stoicos omnium perturbationum fontem dicere intemperantiam; ex iisque primum *morbos* confici, quæ illi νοσήματα vocent, deinde *ægrotationes* quæ ab illis appellentur ἀῤῥωστήματα; utrisque oppositas esse contrarias offensiones. Definiri autem animi ægrotationem opinationem vehementem de re non expetenda, tam-

(1) Hanc animi perturbationum divisionem si facilius mente complecti volueris, vide ad calcem hujus libri tabulam qua illas oculis uno conspectu subjicere Neid. conatus est. Ed.

quam valde expetenda, inhærentem et penitus insitam. Offensionem autem esse, opinionem vehementem de re non fugienda, inhærentem et penitus insitam, tamquam fugienda. Ægrotationi subjecta esse avaritiam, ambitionem, mulierositatem, pervicaciam, ligurítionem, vinolentiam, cupediam et similia. Offensionum exempla esse inhospitalitatem et mulierum odium, cap. 10, 11. Atque ut in corpore sit morbus, sit ægrotatio, et vitium (morbum enim esse totius corporis corruptionem; ægrotationem morbum cum imbecillitate; vitium quum partes corporis inter se dissideant), sic animi quoque morbos et ægrotationes et vitia esse; item in animo sicut in corpore laudari pulchritudinem, vires, valitudinem, firmitatem, velocitatem, cap. 12-14. Sequitur jam brevis demonstratio ejus quod quærebatur, perturbationes in sapientem non cadere, cap. 15-17. Deinde disputatur adversus Peripateticos, qui perturbari animos necesse esse dicebant, iidem tamen modum adhibebant, quem ultra progredi non oporteat; præterea easdem utiliter a natura datas existimabant, cap. 18-26. Tum exponuntur remedia, quæ a philosophia morbis animorum adhibeantur, sive perturbationum curationes. Omnino autem in omnibus quatuor perturbationibus sanandis illam esse distinctionem: utrum ad universam perturbationem, quæ est aspernatio rationis aut appetitus vehementior, an ad singulas, ut ad metum, libidinem, reliquasque melius adhibeatur oratio; et utrum illud non videatur ægre ferendum, ex quo suscepta sit ægritudo, an omnium rerum tollenda omnino ægritudo; ut si quis ægre ferat se pauperem esse, idne disputes paupertatem malum non esse; an hominem ægre ferre nihil oportere. Jam omnem ejusmodi perturbationem animi placatione ablui quidem, quum doceas, nec bonum illud esse, ex quo lætitia aut libido oriatur, nec malum ex quo aut metus aut ægritudo: certam tamen et propriam sanationem esse, si doceas, ipsas perturbationes per se esse vitiosas, nec habere quidquam aut naturale aut necessarium. Illam autem rationem quæ ipsam opinionem boni aut mali tollat, utiliorem quidem esse, sed raro proficere, neque esse ad vulgus adhibendam. Est etiam, ubi adhiberi plane non potest, quum res, quæ perturbat animum, vere est bona aut mala; tamquam si quis ægre ferat, nihil in se esse virtutis,

nihil animi, nihil officii, nihil honestatis, cap. 27-29. Extremo loco adjungitur disputatio de singulis quibusdam perturbationum generibus recte sanandis; et quum de ægritudine satis jam esset libro tertio disputatum, agitur primum de sanando metu, cap. 30; de lætitia, cap. 31; de amore, cap. 32-35; de ira, cap. 36; omninoque concluditur; omnium animi morborum unam hanc sanationem esse : omnes opinabiles esse et voluntarios, ea reque suscipi, quod ita rectum esse videatur, cap. 37, 38.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER QUARTUS.

DE RELIQUIS ANIMI PERTURBATIONIBUS.

I. Quum multis[1] locis nostrorum hominum ingenia virtutesque, Brute, soleo mirari, tum maxime his in studiis[2], quæ sero admodum expetita, in hanc civitatem e Græcia transtulerunt. Nam quum a primo urbis ortu, regiis institutis, partim etiam legibus, auspicia, cærimoniæ, comitia, provocationes[3], pa- 1

I. 1. *Quum multis ... acta res est sic.* In procemio hujus libri Cicero agit de progressu cultioris inter Romanos vitæ ex incunabulis inde reipublicæ. Causæ, cur studia doctrinæ, e. g. poesis, ars oratoria, philosophia non expetita solum, sed etiam culta sint inter Romanos. Philosophia diutius, quam cetera, neglecta jacuit; saltem nulla aut pauca illius latina exstiterunt monumenta, exceptis iis, quæ Epicurei ad systema suum latinis diffundendum scripserant. Denique Cicero profitetur, se nulli sectæ addictum in nullius verba jurare magistri, sed more eclectico versari in studio philosophico, eaque solum, quæ sint in quaque re maxime probabilia, requirere. Nato.

2. *His in studiis.* Davis. Wolf. Neid. *in his studiis.*

3. *Comitia, provocationes.* Ultima vox Ursino est suspecta; non enim putat, invitis regibus, ad populum potuisse *provocari.* Reponit igitur *prensationes.* Quo nihil est absurdius; nam nullos unquam populus *prensationes* instituit; eæ sunt enim ambitiosorum hominum blandimenta, quibus freti munia magistratusque captabant. Hi scilicet, id quod de Antiocho rege narrat Athenæus, lib. V, pag. 193: τοὺς μὲν ΔΕΞΙΟΥΜΕΝΟΙ, τοὺς δὲ καὶ περιπτύσσοντες, παρακαλοῦσι φέρειν αὐτοῖς τὴν ψῆφον, ποτὲ μὲν, ὡς ἀγορανόμοι γένωνται, ποτὲ δὲ, ὡς δήμαρχοι. Itaque per se ruit ista conjectura, quamvis bene se non ha-

trum consilium[4], equitum peditumque descriptio, tota res militaris, divinitus[5] esset constituta; tum progressio admirabilis, incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est, dominatu regio republica liberata. Nec vero hic locus est, ut de moribus institutisque majorum, et disciplina ac temperatione civitatis loquamur. Aliis hæc locis satis accurate a nobis dicta sunt, maximeque in iis sex libris, quos
2 de Republica[6] scripsimus. Hoc autem loco consideranti mihi studia doctrinæ[7], multa sane occurrunt, cur ea quoque arcessita[8] aliunde, neque solum expetita, sed etiam conservata et culta videantur. Erat

beret vulgata lectio, sed et ipsa pessime fuit in dubium revocata : nam « provocationem ad populum etiam a regibus fuisse » docet ex Tullio de Rep. Seneca Epist. CVII. Adeantur etiam Livius, VIII, 33, et Valerius Maximus, VIII, 1. Dav.

4. *Patrum consilium*. Eliens. sec. tert. « patrum, consulum ». Ita enim MS Petrens. nec absurdam hanc lectionem correxit Raphael de Marcatellis, qui in illo codice veram scripturam sexcenties delevit. Egregiam scilicet rerum romanarum notitiam habuere fraterculi! quum consules non nisi post exactos reges fuerint creati, *Patrum* vero consilium instituerit Romulus. Ovidius Fast. V, 71 : « Romulus hoc vidit; selectaque pectora patres Dixit : ad hos urbis summa relata novæ ». Sallustius Catil. cap. 6 : « Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reip. consultabant. Hi vel ætate, vel curæ similitudine, patres appellabantur ». Inter alios vide Livium, I, 8; Justinum lib. XLIII, cap. 8, et Lactantium Div. Inst. II, 6. Dav.

5. *Divinitus*. Non explicandum divino numine, sed divine i. e. eximie, præclare. Ném.

6. *De Republica*. Quos Cicero ad formam Platonicæ πολιτείας scripserat, qui vero temporum injuria interciderunt. Naid. — Multa tamen eorum libb. fragmenta nuper inventa sunt anno 1822, quæ hac in editione nostra videntur.

7. *Studia doctrinæ*. Sc. inter Romanos. Naid.

8. *Arcessita*. MS Petrens. editique vett. *accersita*, quam lectionem defendit Grammatici non unius auctoritas. Agrætius col. 1352 : « Accersit, qui vocat : arcessit, qui accusat ». Sic etiam Charisius Inst. Gramm. lib. III, col. 227; Diomedes lib. I, col. 375, et alii bene multi. At innumeris exemplis constat alteram *arcessendi* verbo tribui potestatem. Vid. modo Plaut. Casin. act. II, sc. 4; Cæcilius apud Nostrum lib. IV Tusc. Disp. 32 : « Quem contra amari, quem arcessiri, quem expeti ». Virgilius Æn. V, 746 : « ... primumque arcessit Acesten ». Ac iterum VI, 119 : « Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus »;

enim illis pæne in conspectu [9] præstanti sapientia et nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus iisdem, quibus L. Brutus patriam liberavit [10], præclarus auctor nobilitatis tuæ. Pythagoræ autem doctrina quum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem; idque quum conjectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Quis est enim [11], qui putet, quum floreret in Italia Græcia [12] potentissimis et maximis urbibus, ea, quæ magna dicta est; in hisque primum ipsius Pythagoræ, deinde postea Pythagoreorum [13] tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures clausas fuisse? Quin etiam arbitror, 3
propter Pythagoreorum admirationem, Numam quoque regem, Pythagoreum a posterioribus existima-

ubi a literatoribus ante memoratis diversus abit Servius, qui ait « arcessere, quod evocantis est proprie ». Me quod attinet, in G. J. Vossii sententiam facile concedo, qui in Etymol. semper rectam esse *arcessendi*, numquam vero *accersendi* scripturam suspicatur : nam fidelissimi codd. priorem legendi modum ubique repræsentant. Hanc in rem nonnulla Godesc. Steweehius ad Apuleii Metam. lib. VI, pag. 378. Dav.

9. *Pæne in conspectu*. Quia magna Græcia vicina erat Latio. Neid.

10. *Liberavit*. Ann. U. C. 244, ejiciendo regem Tarquinium Superbum.

11. *Quis est enim*. Davis. Schütz. et Neid. *Quis enim est*. Conjecturam jam affert Noster, e qua probabile fit, Romanos prima initia doctrinæ atque philosophiæ sumpsisse a Pythagora ejusque asseclis.

12. *In Italia Græcia. . . . ea quæ magna dicta est*. Origenes in Celsum, lib. I, pag. 6 : Οἱ γοῦν Πυθαγόρειοι ἐπὶ πλεῖον τὰς διατριβὰς συνεστήσαντο ἐν Ἰταλίᾳ, τῇ κληθείσῃ μεγάλῃ Ἑλλάδι. Adeantur Iamblichus vit. Pythag. § 166, et Porphyrius vit. Pyth. § 20. « Totum vero Italiæ latus, quod infero mari alluitur, major Græcia fuit », ut ait Seneca Cons. ad Helv. cap. 6. Vide sis Athenæum, lib. XII, pag. 523, E, et Justinum lib. XX, capp. 1, 2. Dav. — Videtur ea Græcia, quam magnam dixerunt, totum hoc spatium tenuisse, quod nunc regnum Neapolitanum occupat. Ceterum Ernestio suspectæ sunt vv. *in Italia*, quæ nobis vim sententiæ addere videntur.

13. *Pythagoreorum*. E. g. Archytæ, Philolai, Hippasii. Ceterum de Pythagoræ Pythagoreorumque philosophia per Græciam magnam diffusa uberrime tractarunt *Meiners Gesch. des Ursprungs und Fortgangs der Wissensch. in Griechenl. und Rom.* vol. 1, pag. 391. Neid.

tum[14]. Nam quum Pythagoræ disciplinam et instituta[15] cognoscerent, regisque ejus æquitatem et sapientiam a majoribus suis accepissent[16], ætates autem et tempora ignorarent[17] propter vetustatem, eum, qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt.

II. Et de conjectura quidem hactenus. Vestigia[1] autem Pythagoreorum quamquam multa colligi possunt, paucis tamen utemur, quoniam non id agitur hoc tempore. Nam quum carminibus soliti[2] illi esse dicantur et præcepta quædam occultius tradere, et

14. *Pythagoreum a posterioribus existimatum.* Vulgari fama captus est Ovidius, Metam. lib. XV, init. et Fast. lib. II, 153. Quod poetæ forsan ignoscendum. Ab hac tamen culpa sibi non caverunt Patres. Clemens Alexandrinus Strom. I, pag. 358 : Νουμᾶς δὲ ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς Πυθαγόρειος μὲν ἦν. Rursus lib. V, pag. 648 : Εἰκότως ἄρα ὁ μὲν βασιλεὺς Ῥωμαίων (Νουμᾶς ὄνομα αὐτῷ) Πυθαγόρειος ὢν, πρῶτος ἀνθρώπων ἁπάντων, πίστεως καὶ εἰρήνης ἱερὸν ἱδρύσατο. Hieronymus in Jovin. lib. II, pag. 380 : « Adhuc sub regibus et sub Numa Pompilio facilius majores tui Pythagoræ continentiam, quam sub coss. Epicuri luxuriam susceperunt ». Ibi cum presbytero Stridonensi lapsus est vir summus Des. Erasmus. Vid. Cyrillus in Julian. lib. VI, pag. 193, qui eumdem in errorem incidit. Sed iis facillima quidem venia debetur; historicos enim pariter errasse testis est Plinius, H. N. lib. XIII, cap. 13; Diodorus in Excerpt. Peiresc. pag. 230 : Λέγουσι δέ τινες (Numam Pompilium) ἀκουστὴν γενόμενον Πυθαγόρου παρ' ἐκείνου λαβεῖν τά τε περὶ Θεῶν νομοθετήματα, καὶ πολλὰ διδαχθῆναι. Adi Livium, I, 18, XL, 29, et Dionysium Halicarnassensem lib. II, cap. 59. Dav.

15. *Et instituta.* Davis. in prima ed. dederat *et constituta*, hoc notato : Scripturam diserte repræsentant Pall. tres, Vatic. Norv. et Petrens. eoque adludunt alii MSS : nam Pal. quart. « disciplinam et constitutam » : quint. « disciplinam constituta ». Quod quum ita sit, auctoritati codicum non sum refragatus.

16. *Æquitatem ... accepissent.* Int. accepissent a majoribus suis, quanta æquitate et justitia rex ille fuisset.

17. *Ignorarent.* Cœpit enim regnare Numa ann. U. C. 40; Pythagoras floruit circa annum 244, quo reges pulsi sunt, id est, duobus sæculis postquam Numa regnare cœperat.

II. 1. *Vestigia.* Historica testimonia, ex quibus probabile fit, Romanos philosophiam sumpsisse a Pythagoreis. Dav.

2. *Carminibus soliti.* De musice Pythagoræ scripsit Macrobius in II, in somnium Scip. Marcianus quoque in lib. de Musica sic inquit : « Pythagorei docuere, ferociam animi tibiis aut

mentes suas a cogitationum intentione, cantu, fidi-
busque ad tranquillitatem traducere, gravissimus au-
ctor in Originibus dixit Cato, morem apud majores
hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent,
canerent ad tibiam[3] clarorum virorum laudes atque
virtutes. Ex quo perspicuum est, et cantus tum fuisse
rescriptos vocum sonis[4], et carmina. Quamquam id 4
quidem etiam XII Tabulæ declarant, condi jam tum
solitum esse carmen; quod ne liceret fieri ad alterius

fidibus mollientes, cum corporibus adhærere nexum fœdus animarum ». Beroald.

3. *Canerent ad tibiam.* De hoc more diximus ad lib. I Tusc. cap. 2. Est vero quod ostendat vetustissimos Romanos a *Pythagoreis* illum non accepisse; nam hi sane lyra sunt usi: τοὺς γὰρ αὐλοὺς ὑπελάμβανον ὑβριστικόν τε καὶ πανηγυρικὸν καὶ οὐδαμῶς ἐλευθέριον τὸν ἦχον ἔχειν, ut tradit Iamblichus vit. Pyth. § 111. Vide et Quintilianum Inst. Orat. lib. IX, cap. 4. Ad horum imitationem αὐλοποιοὺς et αὐλητὰς ejiciens e sua Rep. Plato, lyram tamen et citharam retinuit. Vide lib. III de Rep. pag. 196, ed. Cantab. Hinc Anacharsis, ἐρωτηθεὶς εἰ εἰσὶν ἐν Σκύθαις αὐλοί; εἶπεν, ἀλλ' οὐδὲ ἄμπελοι. Quasi tibia solis commessationibus esset apta nata. Responsum memorant Diogenes Laertius, I, 104, aliique plurimi. Ælianus V. H. III, 14: Ἄτε δὲ ὑπὸ τῆς μέθης καὶ τοῦ οἴνου διαῤῥέοντες (Βυζάντιοι) ΑΥΛΟΥ μὲν ἀκούοντες χαίρουσι, καὶ τὸ ἔργον αὐτοῖς ΑΥΛΕΙΣΘΑΙ ἐστι. Si tamen Athenæo credimus, apud Pythagoreos aliter se res habebat: Καὶ τῶν, inquit ille lib. IV, pag. 184, καὶ τῶν Πυθαγορικῶν δὲ πολλοὶ τὴν ΑΥΛΗΤΙΚΗΝ ἤσκησαν, ὡς Εὐφράνωρ τε καὶ Ἀρχύτας, Φιλόλαός τε, ἄλλοι τε οὐκ ὀλίγοι. Adeatur etiam Scholiastes Hermogenis, quem laudat Is. Casaubonus ad Deipnos. XIV, 5. Utcumque sit, sapientiæ studiosos « ante Lælii ætatem et Scipionis non reperit Cicero, quos appellare posset nominatim », ut ait infra cap. 3, et ex evanidis hujusmodi vestigiis perperam colligitur, veterrimos Quirites instituta Pythagorica sequutos esse; quum talis morum similitudo forte fortuna possit evenire. Noster tamen non solus fuit qui romanos mores Pythagoricis similes fuisse censuit; eadem enim Castoris erat opinio, vel potius conjectura. Vide Plutarchum Quæst. Rom. pag. 266. Dav.

4. *Rescriptos vocum sonis, et carmina.* J. F. Gronovius ad Livii VII, 2, emendabat *descriptos*. Eamque lectionem præ se fert editio Coloniensis a Fr. Fabricio curata. Pantagathus etiam reponit *vocum notis*, quod non placet. Vide Augustinum C. D. II, 21. Si qui sunt, quibus a vulgata scriptura recedere sit religio, videant ii Turnebum Advers. lib. VII, cap. 17; is enim eam non incommode defendit. Dav. — *Rescriptos.* Si sana est lectio, de quo dubitant VV. DD. (vid. Buher. ad h. l. qui conj. *præscriptis*) sensus hic est: Cantuum illorum certos modos esse factos signisque ex-

injuriam, lege sanxerant [5]. Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum [6] est, quod et deorum pulvinaribus [7], et epulis magistratuum, fides præcinunt [8] : quod proprium ejus fuit, de qua loquor, disciplinæ [9]. Mihi quidem [10] Appii Cæci carmen, quod valde Panætius laudat epistola quadam, quæ est ad Q. Tuberonem, Pythagoreum [11] videtur. Multa etiam sunt in nostris institutis ducta [12] ab illis : quæ præ-

pressos, quod nos vocamus *componiren*. Ern.

5. *Quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, lege sanxerant*. Noster de Rep. lib. IV, 10; apud Augustinum C. D. lib. II, cap. 9. Vide ais et capp. 12, 14, ac Interpretes ad Horatii Serm. lib. II, Eclog. I, 82, et lib. II, Epist. I, 152. Dav. —Verba legis sic se habent : « Si quis occentassit mala carmina, sive condidissit, quod infamiam faxit flagitiumque alteri, capital esto ». Nein.

6. *Argumentum*. Idem quod vestigium in superioribus. Nein.

7. *Deorum pulvinaribus*. Solennibus epulis, quum fierent lectisternia. Vide Cl. Salmasium Exercit. Plin. pag. 122. Dav. —*Pulvinaria*, testante Servio ad Georg. III, 533, « sunt proprie lectuli, qui sterni in quibusdam templis consueverant ». Glossæ vett. *Pulvinar*, καθίδρυμα, στρωμνὴ θεοῦ. Hic autem significantur ipsa *lectisternia*, seu solennes epulæ Diis appositæ, in quibus quidem epulis strati fuerunt eorum lectuli. Solinus Polyhist. cap. 5 : « Seu præcentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria præcinendi ». Hinc Papias : « Pulvinaria ... cerimoniæ, res divinæ ... dicuntur ». De lectisterniis nonnulla G. J. Vossius in Etymologico, plura Lilius Gyraldus, Hist. Deor. Syntagm. XVII, pag. 482. Vide et Jac. Gutherium, Jur. Pontif. lib. III, cap. 9. Dav.

8. *Fides præcinunt*. Sc. his nostris temporibus. Nein.

9. *Ejus... disciplinæ*. Sc. Pythagoricæ. Nein.

10. *Mihi quidem Appii*. Sic Ern. dedit, qui delevit *etiam* ante *Appii* auctor. MSS ap. Dav. quod alii servant.

11. *Pythagoreum*. Quum vulgo scriberetur *Pythagoreorum*, rescribo, inquit Buberius, *Pythagoreum*, ut est in altero e codd. MSS Lugdunensibus, in uno e Davisianis, et in antiqua editione mea. Ceterum nescio quid causæ sit, cur memorandi hujus Appii Claudii Cæci nomen non exstet in censu veterum poetarum latinorum, quem Vossius pater descripsit. Is Tubero, qui hoc loco nominatur, est Q. Ælius Tubero, Scipionis Africani illius sorore natus. Ut insignis erat Stoicus, videtur discipulus fuisse Panætii, qui Scipioni comes ivit, quum is proficisceretur in Ægyptum legatus, anno U. C. 623; quo fieri potuit ut avunculo comes iret quoque Tubero. Panætii ad ipsum epistola « de dolore patiendo » scripta erat. De Finib. IV, 9.—Idem dedit Ern. Schütz. et Neid.

12. *Ducta ab illis*. Janus Gebhardus edidit *dicta* : sed alteram lectionem præ se ferunt MSS et vett. editi, ac

tereo, ne ea, quæ peperisse[13] ipsi putamur, aliunde[14] didicisse videamur. Sed, ut ad propositum redeat oratio : quam brevi tempore, quot, et quanti poetæ, qui autem oratores exstiterunt? facile ut appareat, nostros omnia consequi potuisse, simul ut velle cœpissent. Sed de ceteris studiis alio loco et dicemus, si usus fuerit[15], et sæpe diximus.

III. Sapientiæ studium vetus id quidem in[1] nostris : sed tamen, ante Lælii ætatem, et Scipionis, non reperio, quos appellare possim nominatim. Quibus adolescentibus, stoicum Diogenem, et academicum Carneadem video ad senatum ab Atheniensibus missos esse legatos : qui quum reipublicæ nullam umquam partem attigissent[2], essetque eorum alter Cyrenæus[3], alter Babylonius[4], numquam profecto scholis[5] essent

ita scribendum esse, res ipsa clamat. Dav.

13. *Quæ peperisse ipsi putamur.* Quum Reg. Pithœan. et Pal. tert. *perperisse* nobis exhibeant, eo quidem ducunt, ut non inepte corrigatur *repperisse*. Non tamen in se mala est recepta lectio. Vide sis Nostrum in Oratore, cap. 32. Dav.

14. *Aliunde.* Ab externis gentibus, adeoque nihil quod nobis proprium sit, remaneat. Nain.

15. *Si usus fuerit.* Si opus, necessarium, opportunum fuerit de iis dicere. Nain. — Ne quidam conjiciat, *si usus feret*, vel *tulerit*, vel *si opus fuerit*, Moser ita lecturem admonet : Rarior quidem, neque vero ab optimis scriptoribus alienus est usus illius vocis, ut *usus* sit idem, quod *opus* vel *necessarium*. Sed ita Terentius Hecyr. III, 1, 47 : « Nun usus facto est mihi nunc hunc intro sequi » : ubi vide Donatum et Mer. Casaubonum. Sed ut animum plane tibi expleam, audi ipsum Ciceronem loquentem de Off. I, 26, 92, « et amicis impertientes et reipublicæ, si quando usus esset » : ubi vid. Beier. tom. I, pag. 207 sq. et quos ille laudat scriptores.

III. 1. *In nostris.* Sc. fuit. Ab antiquis inde temporibus Romæ culta est philosophia. Nain.

2. *Attigissent.* I. e. numquam reipubl. muneribus functi essent, sed philosophiæ dediti vitam egissent privatam. Nain.

3. *Cyrenæus.* Carneades Academicus. Nain.

4. *Babylonius.* Diogenes Stoicus. Tertius quem Cicero non nominat, erat Critolaus Peripateticus. Nain.

5. *Numquam profecto scholis*, etc. Hoc ratiocinium (manes ignoscant Ciceronis) insubidum prorsus est et ficulneum; nam ne minime quidem ostendit, Romanos philosophiam tum temporis in pretio habuisse; docet

excitati, neque ad illud munus electi, nisi in quibusdam principibus, temporibus illis, fuissent studia doctrinæ. Qui[6] quum cetera literis mandarent, alii jus civile, alii orationes suas, alii monumenta majorum[7]: hanc amplissimam omnium artium bene vivendi disciplinam vita magis, quam literis persequuti
6 sunt[8]. Itaque illius veræ elegantisque[9] philosophiæ, quæ ducta a Socrate in peripateticis adhuc permansit, et idem[10] alio modo dicentibus stoicis, quum academici eorum controversias disceptarent[11], nulla fere sunt, aut pauca admodum latina[12] monumenta, sive propter magnitudinem rerum, occupationemque hominum[13], sive etiam, quod imperitis ea probari

solummodo, hosce viros illi muneri pares ab Atheniensibus existimatos esse; ut erant sane propter dicendi facultatem, quæ quum apud studiorum rudes, tum apud peritos vim suam exserit. Audiamus Plutarchum vit. Caton. Maj. tom. I, pag. 349: Πρέσβεις Ἀθήνηθεν ἦλθον εἰς Ῥώμην οἱ περὶ Καρνεάδην τὸν Ἀκαδημαϊκὸν καὶ Διογένη τὸν Στωϊκὸν φιλόσοφον, καταδίκην τινὰ παραιτησόμενοι τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, ἣν ἐρήμην ὦφλον, Ὠρωπίων μὲν διωξάντων, Σικυωνίων δὲ καταψηφισαμένων, τίμημα πεντακοσίων ταλάντων ἔχουσαν ... Ἐμέμψατο (Κάτων) τοῖς ἄρχουσιν ὅτι πρεσβεία κάθηται πολὺν χρόνον, ἄπρακτος ἀνδρῶν, ΟΙ ΠΕΡΙ ΠΑΝΤΟΣ, ΟΥ ΒΟΥΛΟΙΝΤΟ, ΡΑΔΙΩΣ ΠΕΙΘΕΙΝ ΔΥΝΑΝΤΑΙ. His Critolaum Peripateticum accenset, eorumque omnium facundiam laudat A. Gellius N. A. VII, 14. Plura dabunt Joan. Schefferus et Joach. Kuhnius ad Æliani V. H. lib. III, cap. 17. Davis.

6 *Qui*. Sc. principes inter Romanos. Neid.

7. *Monumenta majorum*. Historiam antiquam reipubl. romanæ. Neid.

8. *Quam literis persequuti sunt*. Sens. Philosophiam magis vita probe instituenda expresserunt, quam scriptis illustrarunt. Neid.

9. *Elegantisque philosophiæ*. Philosophia elegans est, quæ tractat res acute et subtiliter, quum contra Epicurei nullo acumine nullaque subtilitate disputarent. Cf. § 7. Neid.

10. *Idem*. Quod Peripatetici, sed alia quadam ratione. Neid.

11. *Disceptarent*. Academici disceptant, i. e. dijudicant Peripateticorum et Stoicorum controversias; in eorum controversiis judicum et arbitrorum partes sustinent. Cf. de Legg. II, 6. Neid.

12. *Latina monumenta*. Hæc referenda sunt ad vv. «illius veræ elegantisque philosophiæ» in principio sententiæ positas.

13. *Occupationemque hominum*. Quum alii scriberent *omnium*, vidit recte P. Manut. *hominum* opponi debere v. *rerum*.

posse non arbitrabantur: quum interim, illis silentibus, C. Amafinius[14] exstitit dicens[15]; cujus libris editis, commota multitudo contulit se ad eamdem potissimum disciplinam[16], sive quod erat cognitu perfacilis, sive quod invitabat[17] illecebris blandæ voluptatis, sive etiam, quia nihil prolatum erat melius; illud, quod erat, tenebant. Post Amafinium autem multi 7
ejusdem æmuli rationis[18] multa quum scripsissent, Italiam totam occupaverunt: quodque maximum argumentum est, non dici illa subtiliter, quod et[19] facile ediscantur, et ab indoctis probentur, id illi firmamentum[20] esse disciplinæ putant.

14. *C. Amafinius.* Sic et paullo post Epicureus iste nominatur, ut etiam lib. XV Fam. Epist. 19. Alibi vero dicitur *Amafanius*. Dav.

15. *Exstitit dicens.* Ultimam vocem delet Lambinus; at illius loco Gulielmius legit *Picens*. Quid sibi velint eruditi illi viri, plane nescio. Nam Amafanium Picentem fuisse non constat, et *dicens* commode prorsus *illis silentibus* opponitur. Loquendi certe ratio bene se habet. Cicero in Orat. cap. 13 : « Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phædri his ipsis verbis loquens Socrates ». Lactantius lib. II, c. 13, § 12 : « Aberrantes a notitia Dei gentes esse cœperunt ». Vide quæ notavimus ad scripturam de Bell. Hispan. cap. 29. Dav. — *Amafinius exstitit dicens.* Frustra tuetur extremam hanc vocem Davisius, quæ commode prorsus, ait, *illis silentibus* opponitur. Si quidem in quibusdam est codicibus *docens*, cur Ciceroni non restituimus quod vere ipsius est? Bun. — Buherio J. V. L. assentitur. Sed nobis *docens*, ita absolute positum, non videtur esse Ciceronis : nempe oporteret addi, quid ab eo doceretur.

16. *Multitudo contulit se ad eamdem potissimum disciplinam.* Ad Epicureismum, cui Amafinius adhærebat. Nein.

17. *Invitabat illecebris blandæ voluptatis.* Vulgo *invitabatur*, quod habent Dav. et Oliv. Ern. induxit *invitabat*. Wolf. et Schütz. *invitabantur*. Olim erat « illecebris blandia voluptatis ». Davis. in prima ed. a Norvic. et Petr. a prima manu dedit *blandæ*; quod Ern. Wolf. Schütz. et Neid. sequuti sunt. Sed postea in tertia ed. Davis. reduxit *blandis*, quia altera lectio ei ποιητικώτερος videbatur. Idem Oliv. retinuit.

18. *Ejusdem ... rationis.* Ejusdem disciplinæ. Neid.

19. *Et facile ediscantur.* Vulgo *etiam*. Nos MS Petrens. sequimur. Quin et uterque Manutius olim sic ediderat. Dav. — Davisium Oliv. Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur.

20. *Firmamentum.* Epicurei facilitatem dogmatum suorum summum argumentum veritatis putant, quum e contrario eadem ipsa facilitas philosophiæ arguat, eam a superficie esse depromptum. Nein.

IV. Sed defendat quod quisque sentit [1]; sunt enim judicia libera : nos institutum tenebimus, nulliusque unius [2] disciplinæ legibus adstricti, quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque [3] re maxime probabile, semper requiremus. Quod quum sæpe alias, tum nuper in Tusculano studiose egimus. Itaque expositis tridui disputationibus, quartus dies hoc libro concludetur [4]. Ut enim in inferiorem [5] ambulationem descendimus, quod feceramus idem superioribus diebus, acta res est sic.

8 Cicero. Dicat, si quis [6] vult, qua de re disputari velit. — Auditor. Non mihi videtur omni animi perturbatione posse sapiens vacare. — Cic. Ægritudine quidem hesterna disputatione videbatur, nisi forte temporis causa [7] assentiebare. — Aud. Minime vero;

IV. 1. *Sed defendat quod quisque sentit.* Sic Horatius Serm. lib. II, Ecl. 1, 50 : « Ut, quo quisque valet, suspectos terreat .... » At Pal. quartus, « sed defendat unusquisque, quod sentit ». Librarius ad usitatum verborum ordinem propius voluit accedere. Dav.

2. *Nulliusque unius disciplinæ legibus adstricti.* Vulgo *nullisque.* Emendationem vero Bentleianam recepimus, quod commodissima videbatur. Sic « nulla re una magis oratorem commendari » dixit Noster in Bruto, cap. 69. Dav. — Norvic. *adscripti*, quod Davis. quum in prima ed. dedisset, a Bentleio admonitus, postea ad vulgatam rediit.

3. *In quaque re.* Quam philosophandi rationem sequebantur Academici. Neid.

4. *Concludetur.* Sic dedit Ern. e Buherii MSS. Alii, *concluditur.* — *Concluditur* est *continetur.*

5. *In inferiorem.* Inferior ambulatio Academia, superior ubi valitudinis causa deambulare consueverunt Lyceum vocabatur. Cf. de Divinat. I, 5. Neid.

6. *Dicat, si quis vult ... si unum aliquod effugerit.* Ponitur jam ab auditore thesis disputationis, sapientem nimirum non posse animi perturbatione vacare. Cui quidem Cicero sic respondet : Tu jam heri concessisti, sapientem ægritudine vacare; sublata autem ægritudine, sublatus est et metus. Ergo ostendi tantum adhuc debebit, lætitiam et libidinem non cadere in sapientem. Quum deinde Cicero quæsivisset ab auditore, utrum malit statim se vela facere, an e portu egredientes paullum remigare, eaque auditor non satis intellexisset, in explicandis his paullum commoratur. Neid.

7. *Nisi forte temporis causa assentiebare.* Dav. dat : « nisi f. temporis c.

nam mihi egregie probata est oratio tua. — Cic. Non igitur existimas cadere in sapientem ægritudinem? — Aud. Prorsus non arbitror. — Cic. Atqui, si ista perturbare animum sapientis non potest, nulla [8] poterit. Quid enim? metusne conturbet? At earum rerum est absentium metus, quarum præsentium est ægritudo. Sublata igitur ægritudine, sublatus est metus [9]. Restant duæ perturbationes, lætitia gestiens, et libido: quæ si non cadent in sapientem, semper mens erit tran-
quilla sapientis. — Aud. Sic prorsus intelligo. — Cic. 9
Utrum igitur mavis [10] statimne nos vela facere [11], an quasi e portu egredientes paullulum remigare? — Aud. Quidnam est istuc? non enim intelligo.

V. Cic. Quia Chrysippus, et stoici [1], quùm de animi

nobis adsentiebare ». Penultima vox, inquit, vulgo abest. Plerique MSS *novi:* Gryph. autem *novis*. Legendum *nobis* cum Reg. et sic ediderunt Ascensius, Erasmus, Victorius et Lambinus. Vatic. exhibet *non vi*, quod ex conjectura placebat Gulielmio. Sed illi *vi* nullus est locus; quam enim *vim* significet, haud memorat. Si simile quiddam voluerat Tullius, procul dubio dixisset: « temporis causa, non rationum vi et pondere coactus adsentiebare ». — Bentleius conjiciebat: « temporis causa, non re assentiebare ». — *Temporis causa*. Sive ob brevitatem temporis, ne disputatio justo longior fieret; sive, quod magis arridet, temporibus inserviens, motus auctoritate mea, ne dubiis tuis tædium mihi exhiberes. Nein.

8. *Nulla poterit. ... absentium metus*. In MS Norvic. hæc verba sic ordinantur: « Nulla poterit. A. Quid enim? metus non conturbet? M. Non, quia earum rerum est absentium metus, etc. » Quum vero reliqui codd. non addicant, et vulgata lectio perquam sit commoda, illam mutationem a librario profectam arbitror. Dav.

9. *Sublatus est metus*. Reg. Pithœan. Med. Balliol. aliique codices « et sublatus est metus ». Forsan « etiam sublatus est metus. Davisius. — Moser se dicit iis assentiri qui *et* tollant, nisi scribatur « sublatus est et metus », obiterque profitetur se non iis VV. DD. sat multis concedere, qui præcipiant apud Nostrum numquam *et* pro *etiam* poni.

10. *Utrum igitur mavis*, etc. Vulgo post hæc interrogationis nota additur. J. V. L. sequutus est Gœrenzium ad Acad. II, 22.

11. *Nos vela facere*. Utrum malis statim copiose et late disputari, an vero ante adhuc aliquamdiu subtiliter rem persequi: quemadmodum qui portum egrediuntur non statim vela dant, sed lentius progrediuntur. Id autem fit remigando. Ern.

V. 1. *Chrysippus, et stoici*. Reliquis generali nomine designatis, Chrysip-

perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt : illa eorum perexigua oratio[2] est, qua medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt : spinas partiendi et definiendi prætermittunt. Quærebam igitur, utrum panderem vela orationis statim[3], an eam ante paullulum dialecticorum remis[4] propellerem. — Aud. Isto modo vero : erit enim hoc totum, quod quæro, ex utroque perfectius[5]. — Cic. Est id quidem rectius; sed post requires[6], si quid fuerit obscurius. — Aud. Faciam equidem. Tu tamen, ut soles, dices ista ipsa obscura planius, quam dicuntur a Græcis. — Cic. Enitar equidem; sed intento opus est animo, ne omnia dilabantur[7], si unum aliquod effugerit. Quoniam quæ Græci

pus ῥητῶς appellatur, quia vir ille præcipuæ fuit inter Stoicos auctoritatis. Ac ita solent scriptores. Homerus, Iliad. T, 63 : Ἕκτορι μὲν καὶ Τρωσὶ τὸ κέρδιον. ... Machon apud Athenæum, lib. VIII, pag. 337 : Πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς καὶ Θεῶν. Noster de Divin. I, 53 : « Fore ut armis Darius et Persæ ab Alexandro et Macedonibus vincerentur ». Petronius Sat. cap. 2 : « Quum Pindarus novemque Lyrici Homericis versibus canere timuerunt ». Plura vide sis apud J. F. Gronovium ad Livii lib. III, cap. 25. Dav.

2. *Perexigua oratio*. Medicinam perturbationum leviter tantummodo tangunt. Neid.

3. *Statim*. Buberius in MS reperit additum, « velut egredientes e portu », quod est e glossa.

4. *Dialecticorum remis*. An initium faciam a dialectica disputandi ratione per divisiones, definitiones, etc. Ern.

5. *Perfectius*. In prima ed. Davis. e MSS Norvic. et Cantabr. dederat *perfectum*, quia gradus, ut aiebat, positivus auditorem non inhumanum decet.

6. *Sed post requires*. Sed oportebit te postea requirere a me explicationem.

7. *Dilabantur*. Ern. conj. *elabantur*. Sed melior est vulgata, quæ notat aliquid omni parte huc et illuc ruere; quum altera lectio minorem vim habeat. — *Dilabantur*. Est enim, ut Cicero dicit (de Fin. Bon. et Mal. III, 22, 74) admirabilis compositio disciplinæ incredibilisque rerum ordo; si unam literam moveris, labentur omnia nec quidquam est, quod moveri possit. Sequitur jam ipsa disputatio, quæ quidem est tripartita. Prima sistit pars divisiones et definitiones omnium perturbationum animi, in quibus presse Stoicorum sequitur vestigia (§ 10—33). Altera docet, perturbationes sapientiæ oppositas esse, itaque eas

πάθη[8] vocant, nobis perturbationes appellari magis
placet, quam morbos : in his explicandis veterem
illam equidem Pythagoræ primum, deinde[9] Platonis
descriptionem sequar; qui animum in duas partes di-
vidunt; alteram rationis participem faciunt, alteram
expertem. In participe rationis ponunt tranquillita-
tem, id est, placidam quietamque constantiam; in illa
altera motus turbidos tum iræ, tum cupiditatis, con-
trarios inimicosque rationi. Sit igitur hic fons. Uta- 11
mur tamen, in his perturbationibus describendis,
stoicorum definitionibus et partitionibus : qui mihi
videntur in hac quæstione versari acutissime.

in sapientem cadere oon posse. Qua quidem occasiooe longios exspatiator in refotanda, quam Peripatetici admitti velleot, pertorbationom et oecessitate et mediocritate (§ 34—57). Tertia deniqoe agit de remediis, quæ perturbationibus sive morbis animorum adhibenda sunt (§ 58, fin.). Singulas harum partiom sectiones deinceps soo loco videbimus. Nein.

8. *Quon. quæ Græci πάθη...exspectamus et cursum.* Coutioentur bis divisiones et definitiones animi perturbatiooom. Lectorem ot adjuvaremus, adjecimus tabulam in qua totam earum, ut ita dicam geoealogiam adjectis, ubi poteramus, græcia et vernacnlis vocibus, adombrare visum est. Neid. — Vide haoc tabulam in fin. hujus libri.

9. *Pythagoræ primum, deinde Platonis.* Quum Stoicorum definitiooibus et partitionibus otator Cicero, illique pbilosopbi τὰ πάθη loceot in eadem sede ac rationem; Pythagoras autem et Plato diversos locos adsignent; Tolliom disciplinæ, qoam æmolatur, oblitom esse perperam censet Hadr. Turnebos Advers. VII, 17. Nam clare monet Noster, se io soimæ divisiooe Pythagoricos et Platonicos sequi, in reliquis autem Stoicos. Illorum sententiam dicat Plutarchus Plac. Philos. lib. IV, cap. 4 : Πυθαγόρας, Πλάτων κατὰ μὲν τὸν ἀνωτάτω λόγον διμερῆ τὴν ψυχὴν (τὸ μὲν γὰρ ἔχει, forsan ἐστὶ, λογικὸν, τὸ δὲ, ἄλογον) κατὰ δὲ τὸ προσεχὲς καὶ ἀκριβὲς τριμερῆ, τὸ γὰρ ἄλογον διαιροῦσιν εἴς τε τὸ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικόν. Hæc latina diducunt Apuleios de Habit. Doct. Plat. lib. I, pag. 586; Alcinoos Doctr. Plat. cap. 23, et Diogenes Laertius, lib. VIII, § 30. At vero Stoici φασὶν εἶναι τῆς ψυχῆς ἀνώτατον μέρος, τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ ποιοῦν τὰς φαντασίας καὶ τὰς συγκαταθέσεις, καὶ αἰσθήσεις, καὶ ὁρμάς· καὶ τοῦτο λογισμὸν καλοῦσι. Verba sunt Chæronensis pbilosophi lib. IV Plac. cap. 21. Pertorbationes etiam ἐν τῷ λογικῷ τῆς ψυχῆς posuisse Stoicos testatur idem de Virt. Mor. pag. 441, 443, et περὶ ψυχογονίας, p. 1025. Hinc factum, ot illis io perturbatiooes incidere bestiæ oon viderentur, id quod monet Noster iofra cap. 14. Posido-

VI. Est igitur Zenonis hæc definitio, ut perturbatio sit, quod πάθος ille dicit, aversa a recta[1] ratione, contra naturam, animi commotio. Quidam brevius, perturbationem, esse appetitum vehementiorem; sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturæ constantia. Partes autem perturbationum volunt ex duobus opinatis[2] bonis nasci, et ex duobus opinatis malis; ita esse quatuor. Ex bonis libidinem, et lætitiam: ut sit lætitia, præsentium bonorum; libido, futurorum. Ex malis metum, et ægritudinem nasci censent: metum, futuris; ægritudinem, præsentibus. Quæ enim venientia metuuntur, eadem afficiunt ægritudine instantia[3].

12 Lætitia autem et libido in bonorum opinione versantur, quum libido ad id, quod videtur bonum, injecta[4], et inflammata rapiatur; lætitia, ut adepta jam aliquid concupitum, efferatur et gestiat. Natura

nius tamen Stoicus Pythagoreorum rationem sequutus est. Vide Galenum de Dogm. Hipp. et Platon. lib. IV, cap. 3. DAV.

VI. 1. *Aversa a recta ratione, contra naturam.* Cl. Salmasius ad Simplicium, pag. 55, addita conjunctione, reponit, «et contra naturam». Nihil opus est. Vide cap. 21. Sic tamen scriptores græci. Laertius, VII, 110: Ἔστι δὲ αὐτὸ τὸ πάθος κατὰ Ζήνωνα ἡ ἄλογος καὶ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις, ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα. Hujus exscriptor est Suidas in πάθος. Iisdem ὁρισμοῖς usus Chrysippus, ut patet ex Galeni lib. IV de Dogm. Hipp. et Plat. cap. 2, pag. 136. Andronicus Rhodius περὶ παθῶν, pag. 523: Πάθος ἐστὶν ἄλογος ψυχῆς κίνησις δι' ὑπόληψιν κακοῦ ἢ ἀγαθοῦ, ΚΑΙ παρὰ φύσιν τῇ ὁρμῇ πλεονάζουσα. Lege καὶ παρὰ φύσιν, ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα. Vide et Stobæum Ecl. Ethic. pag. 175. DAV.

2. *Opinatis.* Quæ opinamur bona, quæ opinamur mala: verbum deponens *opinari* participium habet h. l. passivo sensu positum, quod in quibusdam verbis ejusdem generis occurrit.

3. *Eadem afficiunt ægritudine instantia.* Arrianus Epict. lib. III, cap. 26, pag. 360: Ὧν γὰρ προσδοκωμένων φόβος γίνεται, καὶ λύπη παρόντων. Vide Hieronymum ad Ctesiph. contra Pelag. pag. 546, et lib. II adv. Pelag. 576, ac in Joelis, cap. 1. DAV.

4. *Injecta.* Sic dedit Gebhardus e Pall. 3, 4, 5, Fabr. Pith. Vatic. Gulielmius malebat *invecta*, quod in duobus gallicanis viderat. Ceteri habent *illecta*, quod post Ascensium, Erasmum, Manutium et Lambinum,

enim omnes ea, quæ bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem simul objecta species cujuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id quum constanter prudenterque fit, ejusmodi appetitionem stoici βούλησιν appellant, nos appellamus voluntatem. Eam illi putant in solo esse sapiente; quam sic definiunt. Voluntas est[5], quæ quid cum ratione desiderat. Quæ autem, ratione adversa[6], incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata; quæ in omnibus stultis invenitur: itemque, quum ita movemur, ut in 13
bono simus aliquo, dupliciter id contingit. Nam quum ratione[7] animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur: quum autem inaniter et effuse animus exsultat, tum illa lætitia gestiens, vel nimia dici potest; quam ita definiunt, sine ratione animi elationem.

Quoniamque, ut bona natura appetimus, sic a malis natura declinamus: quæ declinatio, quum ratione

Davis. Oliv. Wolf. Schötz. et Neid. ediderunt.

5. *Voluntas est ... effrenata*. Voluntatis et libidinis definitiones e mente Stoicorum sic refert Laertius, VII, 116: Τῇ δὲ ἐπιθυμίᾳ ἐναντίαν φασὶν εἶναι τὴν βούλησιν· οὖσαν εὔλογον ὄρεξιν. Augustinus C. D. XIV, 8: « Voluntas, inquiunt Stoici, appetit bonum, quod facit sapiens ». Adi et Joan. Stobæum pag. 175. Idem pag. 176: Τὴν μὲν οὖν ἐπιθυμίαν λέγουσιν ὄρεξιν εἶναι ἀπειθῆ λόγῳ. Sic etiam Clemens Alexandrinus Pædag. lib. I, cap. 13. Andronicus vero et Laertius, VII, 113: Ἐπιθυμία ἐστὶν ἄλογος ὄρεξις, nec aliter Suidas. Eadem est sententia, verba diversa. Dav.

6. *Ratione adversa*. Davisius post Bentleium dedit « ratione aversa », quia paullo post codices exhibent « est igitur metus ratione aversa cautio »: sed etiam hoc loco vulgata lectio est *adversa*: eamque lect. utroque loco recentiores editores retinuerunt.

7. *Nam quum ratione... animi elationem*. Dav. « nam q. enim ratione », qui notat: Excidisse voculam repetitam vidit Cl. Bentleius: sic enim plus vice simplici loquutus est hoc ipso in capite Cicero. Gaudium vero χαρά· lætitia gestiens, ἡδονὴ Græcis nominatur. Andronicus Rhodius, p. 523: Ἡδονὴ, ἄλογος ἔπαρσις. Ac pag. 525: Χαρὰ δὲ, εὔλογος ἔπαρσις. Diogenes Laertius, VII, 114: Ἡδονὴ ἐστιν ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν.

fiet[8], cautio appelletur, eaque intelligatur in solo esse
sapiente; quæ autem sine ratione, et cum exanima-
tione humili atque fracta, nominetur metus. Est igi-
14 tur metus, ratione adversa[9], cautio. Præsentis autem
mali, sapientis affectio, nulla est. Stulti[10] autem ægri-
tudo est ea, qua afficiuntur in malis opinatis, ani-
mosque demittunt et contrahunt, rationi non obtem-
perantes. Itaque hæc prima definitio est, ut ægritudo
sit animi, adversante ratione, contractio[11]. Sic qua-

Et § 116 : Τὴν μὲν χαρὰν ἐναντίαν φασὶν εἶναι τῇ ἡδονῇ· οὖσαν εὔλογον ἔπαρσιν. Eadem repetit Suidas in ἡδονὴ, χαρὰ et εὐπάθεια. Vide et Clementem Alexandrinum Pædag. lib. I, cap. 13; Hieronymum in Epist. ad Galat. cap. 5, pag. 153, et nos ad Fin. II, 4. Dav.

8. *Quæ declinatio, quum ratione fiet*, etc. Vulgo, « quæ declinatio, si cum ratione fiet ». Vox, quam delevimus, abundabat, ut animadvertit Cl. Bentleius. Andronicus, pag. 523: Φόβος δ' ἐστὶν ἄλογος ἔκκλισις ... εὐλάβεια δὲ, εὔλογος ἔκκλισις. Diogenes, VII, 116 : Τὴν δὲ εὐλάβειαν (ἐναντίαν φασὶν εἶναι) τῷ φόβῳ, οὖσαν εὔλογον ἔκκλισιν· φοβηθήσεσθαι μὲν γὰρ τὸν σοφὸν οὐδαμῶς, εὐλαβηθήσεσθαι δέ. Hæc exscripsit Suidas in εὐπάθεια. Vide nos infra cap. 31. Dav.

9. *Ratione adversa*. Davis. *aversa*, ut supra, e quinque Gebhardianis Reg. Pith. Med. et Bak.

10. *Præsentis autem mali, sapientis affectio nulla est. Stulti autem ægritudo est ea, qua afficiuntur in malis opinatis, animosque demittunt*. Etiam hic solœcismus est, et priore quidem crassior, licet aciem interpretum effugerit. « Ægritudo, ait, stulti, qua afficiuntur et demittunt ». Placetne hoc? enimvero aut « stultorum qua afficiuntur », aut vicissim, « stulti qua afficitur », sine dubio dictum oportuit. Hoc primum : illud deinde contemplare, « Præsentis mali sapientis affectio nulla est ». Quæ, malum, scabies? quam prava ambiguitas? Apage istos genitivos ; et repone meo periculo, unius literæ migratione : « Præsentis autem mali sapienti affectio nulla est : stultis autem ægritudo est ea, qua afficiuntur, etc. » Quis huic conjecturæ fidem negare ausit? Ceterum, *sapienti* dixit numero singulari ; quia omnis sapiens est uniusmodi, *stultorum* vero sunt genera infinita. Bentleius. — Davisius Bentleii emendationem amplexus est. Wolf. et Schützius dederunt « stulta autem ægritudo », quam lect. in codicibus esse testatur Davisius ; Neid. vulgatam retinet. Et certe si nihil aliud habent VV. DD. quam conjecturam in promptu, melius esse eas in notis quam in textum inferre.

11. *Ægritudo sit animi, adversante ratione, contractio*. Si græca desideres, exhibet Stobæus Eclog. Ethic. pag. 176, quo notante, Stoici tradunt λύπην εἶναι συστολὴν ψυχῆς ἀπειθῆ λόγῳ, vel συστολὴν ἄλογον, ut habent Andronicus, pag. 523; Diogenes, VII, 111, ac ex hoc Suidas in λύπη et πάθος. Davis.

tuor perturbationes sunt, tres constantiæ[12], quoniam ægritudini nulla constantia opponitur.

VII. Sed omnes perturbationes judicio censent fieri et opinione[1]. Itaque eas definiunt pressius, ut intelligatur non modo quam vitiosæ, sed etiam quam in nostra sint potestate. Est igitur ægritudo[2], opinio recens mali præsentis, in quo demitti[3] contrahique

12. *Tres constantiæ*. Augustinus, C. D. XIV, 8 : « Quas enim Græci appellant εὐπαθείας, latine autem Cicero constantias nominavit, Stoici tres esse voluerunt, pro tribus perturbationibus, in animo sapientis ... pro ægritudine vero vel dolore ... negaverunt esse posse aliquid in animo sapientis, etc. » Εὐπάθειαι vero sunt χαρὰ, cui lætitiam gestientem, εὐλάβεια, cui metum, καὶ βούλησις, cui libidinem opponunt. Ægritudini autem nullam constantiam opponunt. Vide Diogenem, VII, 115, et Suidam in εὐπάθεια. In Andronico, pag. 525, lege εὐπαθείας εἴδη, non ἀπαθείας. Dav. — Ciceroni vel propterea hoc vocabulum arrisit, quia maxime contrarium *perturbationi* designare videretur. Neid. — Obiter notemus Virgilium ne uno quidem versu Stoicorum divisionem inclusisse, Æn. VI, 733 : « Hinc metuunt, cupiuntque : dolent, gaudentque ... »

VII. 1. *Judicio... et opinione*. Δοκεῖ δὲ αὐτοῖς (Stoicis) τὰ πάθη κρίσεις εἶναι. Κρίσις itaque est genus, cui singulæ perturbationes tamquam formæ sive species subjectæ sunt; hinc Cicero dicit, Stoicos definire pressius, i. e. brevius, quum simul ac species aliqua definienda sit, notioni genericæ tantummodo differentia, quam vocant, specifica annecti debeat. Simul statim ex hac generis notione elucet, eas esse, et vitiosas (quia omnis opinio in vitio est) et in nostra potestate (quia omnis opinio a voluntate nostra pendet). Nain.

2. *Est ergo ægritudo ... in quo efferri rectum esse videatur.* Longius a Nostro recedunt Diogenes et Stobæus, quos ea de causa prætermisi. Ægritudinis autem lætitiæque definitiones, quas ex mente Chrysippi sic refert Galenus, lib. IV de Dogm. Hipp. et Plat. cap. 1, propius accedunt. Τὴν λύπην, inquit, ὁριζόμενος δόξαν πρόσφατον κακοῦ παρουσίας.... τὴν δὲ ἡδονὴν, δόξαν πρόσφατον ἀγαθοῦ παρουσίας. Ciceronianas tamen plenius exprimunt illæ apud Andronicum Rhodium, p. 523 : Λύπη, δόξα πρόσφατος κακοῦ παρουσίας, ἐφ' ᾧ οἷόν τε δεῖν (leg. οἴονται δεῖν) συστέλλεσθαι. Ἡδονὴ, δόξα πρόσφατος ἀγαθοῦ παρουσίας, ἐφ' ᾧ οἷόν τε δεῖν ἐκτείνεσθαι. Iterum reponas oportet οἴονται δεῖν. Simile mendum, quod ex hodierna Græcorum pronuntiatione nascitur, in multos invasit Veterum locos. Dav.

3. *In quo demitti contrahique animo rectum esse videatur.* Malim *animos;* ut in præcedente cap. habemus, « animosque demittunt et contrahunt ». De Fin. V, 15, « victi debilitantur, animosque demittunt ». Epist. ad Q. Fratr. I, 1, « rogo, ne contrahas aut demittas animum ». Pearcius.

animo rectum esse videatur. Lætitia, opinio recens[4] boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur. Metus, opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur. Libido, opinio venturi boni, quod sit ex usu[5], jam præsens esse atque adesse.

15 Sed quæ judicia, quasque opiniones perturbationum esse dixi, non in eis perturbationes solum positas esse dicunt, verum illa etiam[6], quæ efficiuntur perturbationibus: ut ægritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat; metus, recessum quemdam animi et fugam; lætitia, profusam hilaritatem; libido, effrenatam appetentiam. Opinationem autem, quam in omnes definitiones superiores inclusimus[7], volunt esse imbecillam assensionem.

16 Sed singulis perturbationibus partes ejusdem generis plures subjiciuntur: ut ægritudini[8], invidentia

4. *Recens.* Cf. lib. III, § 75.

5. *Ex usu.* Utile.

6. *Verum illa etiam.* Veretur doctissimus Salmasius ad Simplicium, pag. 59, ne perperam hæc intellexerit Cicero: et cum eo facit Menagius ad Laertii VII, 111. Nam quum Chrysippus judicia perturbationes esse statuerit, Zenon aliique e Stoicis eorum effectus hoc nomine donabant. Galenus lib. IV Dogm. Hipp. et Plat. cap. 3, pag. 139: Ζήνωνι κατά γε τοῦτο καὶ ἑαυτῷ καὶ πολλοῖς ἄλλοις (Χρύσιππος) μάχεται τῶν Στωικῶν οἳ οὐ τὰς κρίσεις αὐτὰς τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ ΚΑΙ τὰς ἐπὶ ταύταις ἀλόγους συστολὰς καὶ ταπεινώσεις καὶ δήξεις, ἐπάρσεις τε καὶ διαχύσεις, ὑπολαμβάνουσιν εἶναι τὰ τῆς ψυχῆς πάθη. Legendum videtur ἀλλὰ τὰς ἐπὶ ταύταις ἀλόγους συστολάς. Alioqui Zeno non judicia tantum, sed et quæ ex judiciis consequuntur perturbationes esse statuisset. Vide sis ad lib. II N. D. cap. 64. Ea tamen haud fuit illius sententia: nam sic idem Galenus, lib. V, cap. 1, pag. 155, ait: Χρύσιππος μὲν οὖν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ παθῶν ἀποδεικνῦναι πειρᾶται κρίσεις τινὰς εἶναι τοῦ λογιστικοῦ τὰ πάθη, Ζήνων δ' οὐ τὰς κρίσεις αὐτάς, ἀλλὰ τὰς ἐπιγιγνομένας αὐταῖς συστολὰς καὶ λύσεις, ἐπάρσεις τε καὶ πτώσεις τῆς ψυχῆς ἐνόμιζεν εἶναι τὰ πάθη. Dav. — Dicit Cicero ex his opinionibus labi non solum perturbationes quas dixit, sed etiam ea quæ his perturbationibus gignuntur; ita ut morsus doloris, quem facit ægritudo, sicut ipsa ægritudo ex opinione oriatur; recessus animi et fuga, quam facit metus, sicut metus ipse, oriatur ex opinione, et ita de reliquis.

7. *Inclusimus.* Quæ tamquam notio generica omnibus inest speciebus. Nsen.

8. *Ut ægritudini...invidetur.* Hunc

(utendum est enim, docendi causa[9], verbo minus usitato; quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur), æmulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, afflictatio, desperatio, et si quæ sunt de genere eodem. Sub metum[10] autem subjecta sunt pigritia, pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido. Voluptati malivolentia [lætans malo[11] alieno], delectatio, jactatio, et similia. Libidini ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia[12], desiderium, et cetera ejusmodi. Hæc autem definiunt[13] hoc modo,

VIII. Invidentiam esse[1] dicunt ægritudinem sus- 17

locum profert Nonius in *invidia*. Dav.

9. *Docendi causa*. Ut accurate exprimam quæ volo, ne oriatur ambiguitas, quia vis ac potestas vocabuli *invidia* duplex est. Neid.

10. *Sub metum*. Wolf. Schütz. et Neid. *sub metu*; unde, nescimus.

11. *Malivolentia* [*lætans malo alieno*], *delectatio*, *jactatio*, *et similia*. Davisius dat : « malevolentia lætans alieno malo, delectatio, jactatio et similia ». Hæc, inquit, si libris editis credimus, laudat Nonius in *lætare*, legitque « malivolentia lactans » : unde vir eruditus ad Eliensis codicis oram rescribit, « lætans alieno malo ». Sed, quod optima fide testor, in MSS Coll. Corp. Christ. Cant. apud Nonium exhibetur « malivolentia lætans malo alieno ». Hinc vel ipsum Marcellum mutilum esse, vel hanc a Tullio ῥῆσιν adscititiam spuriamque censeri debere, mihi nata est suspicio. Utcumque sit, lectio, quam dant Ciceronis exemplaria, prorsus est retinenda; si modo, quod Cl. Bentleio mihique persuasum est, « lætans alieno malo » non sit a librariis injectum. Hic enim nuda ponit Noster adfectum nomina; *malivolentiamque* idoneam esse visam quæ Græcorum ἐπιχαιρεκακίαν exprimeret, patet ex cap. 9 : « Malivolentia sit, inquit, voluptas ex malo alterius sine emolumento suo ». Vide et Laertium, VII, 114. Dav. — Schützius voces suspectas omnino delevit.

12. *Indigentia*. Quæ continet avaritiam, etc.

13. *Hæc autem definiunt . . . honorem, ut pecuniæ*. Expositis singulis perturbationum speciebus jam ad earum definitiones accedit. Definitiones specierum ægritudinis (§ 17, 18). Metus (§ 19). Voluptatis (§ 20). Libidinis (§ 21). Neid.

VIII. 1. *Invidentiam esse dicunt*, etc. Invidentia, φθόνος, ἐστὶ λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς. Æmulatio, ζῆλος, λύπη ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ. Vide Diogenem Laertium, VII, 111. Frustra quidem sunt Henr.

ceptam propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti. Nam si quis[2] doleat ejus rebus secundis, a quo ipse lædatur, non recte dicitur invidere; ut si Hectori Agamemno. Qui autem, cui alterius[3] commoda nihil noceant, tamen eum doleat his frui, is invidet profecto[4]. Æmulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude, et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis, æmulatio dicitur; sed ea nihil hoc loco utimur; est enim laudis: et est æmulatio, ægritudo, si eo, quôd concupierit, alius potia-
18 tur, ipse careat. Obtrectatio autem est ea[5], quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit. Miseri-

Stephanus Lex. Cicer. pag. 60, et Paulus Leopardus Emend. VII, 5, qui legunt ἐπιθυμεῖ, ΚΑΙ ΟΥΚ ΕΧΕΙ, siquidem ipsa ἐπιθυμία satis ostendit rem ipsam non possideri; præterquam quod Andronico etiam, pag. 523: Ζῆλος est λύπη ἐπὶ τῷ ἑτέρους τυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ. Adeo ut nihil sit addendum. Stobæus tamen Eclog. Ethic. pag. 176: Ζῆλος, inquit, λύπη ἐπὶ τῷ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ, αὐτὸν δὲ μή. Subjicit ille consarcinator λέγεσθαι καὶ ἑτέρως ζῆλον, μακαρισμὸν ἐνδεοῖς, καί τι ἄλλως μίμησις ὡς ἂν κρείττονος. Corruptissime. Reponendum credo, μακαρισμοῦ ἔνδειαν, ἤτοι ἄλλου μίμησιν ὡς ἂν κρείττονος. Hæc illis respondent, quibus dixit Noster æmulationem esse « virtutis imitationem », Suidas in ζῆλος æmulationem laudabilem describit, quam Cl. Kusterus cum vitiosa perperam miscuit. Dav.

2. *Nam si quis doleat ejus rebus secundis, a quo ipse lædatur, non recte dicitur invidere; ut si Hectori Agamemno.* Davis. scribit: « Nam si qui doleat ejus rebus secundis, a queis ipse lædatur, non recte dicatur invidere; ut si Hectoris Agamemno ». Reg. inquit, et Pithœan. *si quid doleat*, litera perperam repetita; iidemque codices *dicatur*. Reliquæ διορθώσεις Cl. Bentleii debentur ingenio. — Sequentes editores has emendationes reliquerunt.

3. *Cui alterius.* Ernestius mavult *quum alterius.*

4. *Is invidet profecto.* Davis. scribit *invideat* e Balliol. qui hoc totidem literis habet, et Reg. et Pith. qui exhibent *se invideat profecto.*

5. *Obtrectatio autem est ea.* Diogenes Laertius, VII, 111: Δοκεῖ αὐτοῖς ζηλοτυπίαν, λύπην (εἶναι) ἐπὶ τῷ καὶ ἄλλῳ παρεῖναι ἃ καὶ αὐτὸς ἔχει. Locum non esse integrum pronuntiat Æg. Menagius. Henr. autem Stephanus et P. Leopardus emendant, ΩΝ αὐτὸς ΕΠΕΘΥΜΗΣΕ ΚΑΙ ἔχει. Isto tamen additamento nihil opus; nam quod ait Noster infra cap. 26: « Obtrectantia est angi alieno bono, quod id etiam alius habeat ». Receptæ le-

cordia est ægritudo ex miseria alterius injuria laborantis: nemo enim parricidæ aut proditoris supplicio misericordia commovetur. Angor[6], ægritudo premens. Luctus, ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. Mœror, ægritudo flebilis. Ærumna, ægritudo laboriosa. Dolor, ægritudo crucians. Lamentatio, ægritudo cum ejulatu. Sollicitudo, ægritudo cum cogitatione. Molestia, ægritudo permanens. Afflictatio, ægritudo cum vexatione corporis. Desperatio, ægritudo sine ulla rerum exspectatione meliorum[7]. Quæ autem subjecta sunt sub metu, ea sic definiunt: Pigritiam, me-

ctioni patrocinatur et Andronicus pag. 524: Ζηλοτυπία δὲ, inquit, ἐστὶ λύπη ἐπὶ τῷ καὶ ἄλλοις ὑπάρχειν, καὶ ἡμῖν ὑπάρχειν. Legendum, nisi fallor, ἃ καὶ ἡμῖν ὑπάρχει. Ciceronis verbis propior est definitio, quæ exstat apud Stobæum Eclog. Ethic. pag. 176: Ζηλοτυπίαν δὲ λύπην ἐπὶ τῷ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ. Scribendum ἐπεθύμει, ut ex Nostro patet, et res ipsa docet; alioquin enim hæc definitio ab æmulatione non erit diversa. Dav.

6. *Angor, ægritudo premens.* Sic Reg. Pithœan. et Med. Vulgo, *angor est ægritudo premens.* Dav. — *Luctus.* Præter hanc significationem, *luctus* dicitur insigne indiciumque mœrentis, sicut est vestitus niger et pullus. *Lugere* is proprie dicitur qui ex obitu caræ personæ necessariæque induit nigra vestimenta. Scribit Livius matronas luxisse Brutum, annuo tempore, ut parentem. Beroald.

7. *Misericordia ... exspectatione meliorum.* Misericordia, ἔλεος, ἐστὶ λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς, ἀναξίως πάσχοντος ἐκείνου. Sic Andronicus, pag. 523. Aliis verbis, sed eodem sensu, Diogenes Laertius, lib. VII, pag. 190; aliis Stobæus Eclog. Ethic. pag. 176. Angor, ἄχθος, λύπη βαρύνουσα. Luctus, πένθος, λύπη ἐπὶ ἀώρου τέλους, ut Andronicus, at Stobæus ἐπὶ θανάτῳ ἀώρῳ. Πένθος inter species ægritudinis non posuit Diogenes Laertius. Mœror videtur ἄχος, quod apud Andronicum et Stobæum definitur λύπη ἀφωνίαν ἐμποιοῦσα. Ciceroni autem est « ægritudo flebilis », quia vocem eripit, et in solo fletu semet exserit. Ærumna, forte συμφορά, quæ Andronico est λύπη ἐπὶ συμπεφυρμένοις κακοῖς. Dolor, ὀδύνη, λύπη εἰσδύνουσα καὶ ὀξεῖα, ac ita fere Stobæus; at Diogeni λύπη ἐπίπονος, et ea quidem definitio, Ciceronis *ærumnæ* probe convenit. Lamentatio γόος, θρῆνος ἀγόμενος κατὰ λύπην, ut Andronico placet. Eidem sollicitudo, ἀνία, λύπη ἐξ ἀναλογισμῶν, Stobæo autem λύπη κατὰ διαλογισμόν. Vide et Laertium pag. 190. Molestiam putarim Andronici βαρυθυμίαν, quæ est λύπη βαρύνουσα, καὶ ἀνάπαυσιν οὐ διδοῦσα. Afflictatio, ὄχλησις, λύπη στενοχωροῦσα, Laertio ἐνόχλησις dicta. Desperatio, ἀθυμία, Andronico λύπη ἀπελπίζοντος ὧν ἐπιθυμεῖ τυχεῖν. Dav.

19 tum[8] consequentis laboris; Pudorem[9] et terrorem, metum concutientem, ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor, et tremor, et dentium crepitus consequatur; Timorem[10], metum mali appropinquantis; Pavorem, metum mentem loco moventem, ex quo illud Ennii,

Tum pavor sapientiam omnem mihi ex animo expectorat[11];

Exanimationem, metum subsequentem, et quasi comitem pavoris; Conturbationem, metum excutientem cogitata; Formidinem, metum permanentem.

20 IX. Voluptatis autem partes hoc modo describunt,

8. *Pigritiam, metum.* Pigritia, ὄκνος apud Andronicum, Diogenem, Stobæum, et Nemesium Nat. hom. cap. 20, definitur φόβος μελλούσης ἐνεργείας. Dav.

9. *Pudorem et terrorem.* Vulgo desunt duæ primæ voculæ, quas merito doctissimus Bentleius addendas censuit, ut docent sequentia. Vide sis A. Gellium, XIX, 6. Dav. — Alii, ut Schützius, putant hic deesse pudoris definitionem. — *Pudorem.* Forsan e Stoicorum definitione Αἰσχύνη, φόβος ἀδοξίας suppleri posset, « metum ingloriæ », sive *infamiæ*; fursan vero excidit adjectivum, quod verosimilius est, quia sequitur « ex quo fit ». Nxtn. — Terror, ἔκπληξις, φόβος ἐκ φαντασίας ἀσυνήθους πράγματος, ut Laertius; nam Stobæus et Nemesius ultimam vocem prætermittunt: Andronico autem ἔκπληξις est φόβος ἐνακεν ἀσυνήθους φαντασίας δεινοῦ. His inductus Paul. Manutius, Ciceronis definitionem censebat imperfectam; quamobrem supplevit « ex cogitatione inusitatæ rei ». Absque causa, ut opinor, sontica; quum Græcorum ὁρισμοὶ terroris exprimant originem; at Tullii definitio, *effectum* solum respicit; nam concussio illa, consequens est ἀσυνήθους φαντασίας. Minus etiam necessaria videtur J. G. Grævii conjectura, qui ad Offic. lib. I, cap. 36, rescribebat *metum mentem concutientem.* Non enim mentem solum, sed et corpus concutit, ut ex seqq. patet. Davis.

10. *Timorem.* Timor videtur δεῖμα, φόβος ὑφορώμενος. Pavori et exanimationi respondet κατάπληξις, φόβος ἐκ μείζονος φαντασίας. Conturbatio, Laertii σύγχυσις videretur, nisi quod hic sub ægritudine illum subjiciat affectum. Formido, δέος, φόβος συνεχώς. Dav.

11. *Omnem mihi ex animo expectorat.* Davis. transponit *mihi omnem.* Vulgata, inquit, peccat in trochaicorum leges, nisi forte reponas *exanimato*, quemadmodum lib. III de Orat. capp. 38, 58, nunc editur. At Nonius in *expectorare:* Cicero de Oratore, l. III: « Tum pavor sapientiam omnem mihi (leg. *mihi omnem*, cum MS Coll. Corp. Christi Cantab.) ex animo expectorat »: ut dubium non videatur, quin ibi lectio sit reducenda, quam

ut Malivolentia[1] sit voluptas ex malo alterius sine
emolumento suo; Delectatio, voluptas suavitate au-
ditus animum deleniens. Et, qualis est hæc aurium,
tales sunt oculorum, et tactionum, et odorationum,
et saporum : quæ sunt omnes unius generis, ad per-
fundendum animum tamquam illiquefactæ volupta-
tes. Jactatio est voluptas gestiens, et se efferens in-
solentius. Quæ autem libidini subjecta sunt, ea sic 21
definiuntur[2], ut Ira sit libido[3] pœniendi ejus, qui
videatur læsisse injuria; Excandescentia autem sit ira
nascens, et modo exsistens[4], quæ θύμωσις græce dicitur;

constanter hoc in loco ferunt omnes codices. Accius in Phœnissis, quem Marcellus in eadem voce laudat : « Incusant ultro, a fortuna opibusque omnibus Desertum, abjectum, afflictum ex animo expectorant ». Dav. — Schützius scribit « omnem mi exanimato expectorat ».

IX. 1. *Malivolentia*. Ἐπιχαιρεκακία Laertio et Stobæo est ἡδονὴ ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς. Andronicus autem, pag. 525, hunc affectum χαιρεκακίαν vocat definitque, ἡδονὴν ἐπὶ τοῖς τῶν πέλας ἀτυχήμασι. Delectatio, κήλησις, eidem dicitur ἡδονὴ δι' ἀκοῆς κατακηλοῦσα, nec multo aliter Diogenes, pag. 191, et Suidas v. ἡδονή. Ad jactationem nihil propius accedit quam τέρψις, quæ secundum Diogenem est οἷον τρέψις καὶ προτροπὴ τῆς ψυχῆς ἐπὶ τὸ ἀνειμένον. In Suida legitur προτροπή τις ψυχῆς. Dav.

2. *Definiuntur*. Davis. *definiunt*. Sic, inquit, ediderunt Ascensius, Erasmus, Manutius, Lambinus et alii. Vulgo *definiuntur*; ac ita fere codices. — Schütz. et Neid. cum Davisio faciunt.

3. *Ira sit libido*. Ira, ὀργὴ, ἐστὶν ἐπιθυμία τιμωρίας τοῦ ἠδικηκέναι δοκοῦντος. Ad hanc, quæ Andronici est, definitionem addit Laertius, pag. 191, οὐ προσηκόντως, Stobæus vero, p. 176, παρὰ τὸ προσῆκον. Dav.

4. *Ira nascens, et modo exsistens*. Gebhardus ex duobus Pall. fidenter legit, « et modo desistens », quod cito decrescendi vel evanescendi sensu ne latinum quidem est. Hoc vidit Des. Erasmus, cujus editio quum præ se ferret « modo desistens », is reponendum conjecit « mox desistens ». Sed nec ea placet emendatio, nam græci scriptores « iræ desistentis », si ita loqui licet, haud ullam faciunt hac in re mentionem; excandescentia enim, quæ Ciceroni θύμωσις est, Andronico, Diogeni, Stobæo θυμὸς, ab iis definitur ὀργὴ ἀρχομένη vel ἐναρχομένη. Præterea Nonius in *excandescentia* locum sic profert : « excandescentia autem est ira nascens et sine modo exsistens » : adeo ut vetus ille scriptor receptam tuetur in ultima voce lectionem, quamvis apud eum præpositio sit a librariis inferta. Revera nihil hic est innovandum : *exsistens* enim est apparens et semet ostendens. Vide nos ad lib. I de Div. c. 28. Dav. — Θύμωσις. Suspecta est hæc

Odium[5], ira inveterata; Inimicitia, ira ulciscendi tempus observans; Discordia, ira acerbior, intimo odio[6] et corde concepta; Indigentia, libido inexplebilis; Desiderium, libido ejus, qui nondum adsit, videndi. Distinguunt illud etiam, ut sit libido[7] earum

vox Stephano in Thes. L. Gr. pro qua reponendum esse censet θυμός; est certe in definitione Stoicorum apud Diog. Laert. l. c. Nain. — Et sic dedit Wolfius.

5. *Odium*. Odium, μῆνις, est ὀργὴ εἰς παλαίωσιν ἀποτιθεμένη, ut Andronicus; qui etiam inimicitiam, κότον, esse statuit ὀργὴν καιρὸν ἐπιτηροῦσαν. Clarior erit definitio, si cum Stobæo, p. 176, et Nemesio Nat. hom. c. 21, εἰς τιμωρίαν adjiciamus. Discordia, nisi fallor, δυσμένεια, Andronico δύσνοια ἐπιτηρητικὴ κακοποιός. Eidem Indigentia, σπάνις, ἐπιθυμία ἀτελής. Longius a brevitate Ciceronis abit Laert. l. VII, p. 191. Desiderium, ἵμερος, Andronico ἐπιθυμία φίλου ἀπόντος ὁμιλίας, quo modo apud Stobæum Eclog. Ethic. pag. 176, legi debet, non φίλος ἀπόντος, nam ea scriptura nullum fundit sensum. Dav.

6. *Intimo odio et corde*. Sic codices habent, quod quum ineptum visum esset, Lamb. conjecit « intimo animo et corde », quod Davis. probante Bentleio recepit. Wolf. et Schütz. vv. *odio et* delent, quæ Neid. uncis includit.

7. *Distinguunt illud etiam, ut sit libido*. Distinguuntur, quæ definita jam sunt, Desiderium et Indigentia. Sed paullo plenius esset : « Ut desiderium sit libido ». Sin *desiderium* omittimus, subaudiri necesse est. Non placet autem, quod suspicari aliquis fortasse possit, Ciceronem, non *desiderium*, et indigentiam, sed *libidinem*, et indigentiam voluisse distinguere. Quis enim, exempli gratia, animal et hominem, id est, genus et speciem distinguat? Distinguuntur autem, varie definita, eidem generi subjecta, ut homo et lupus, desiderium et indigentia. P. Manut. — Manutium Davisius sequitur, qui in prima ed. conjiciebat « Distinguunt etiam, illud (sc. desiderium) ut sit libido ». Lambinus conj. « Distinguunt illud etiam, ut desiderium sit earum rerum ». Bentleius totum locum sic legi voluit, « Distinguuntur illo etiam, ut desiderium sit libido earum rerum . . . . Indigentia, libido rerum ipsarum; ut hon. ut pec. » Idem, si post *ipsarum* non deleatur *est*, ejus loco scribi vult *sit*, quod respondeat præced. « ut desiderium sit »; atque ita Davis. edidit. Schützius post Wolfium scribit « Distinguunt etiam illud, ut sit libido »; idemque Neid. nisi quod virgulam ante *illud* transponit. Sensus est, *desiderium* hac distinctione significare tantum libidinem quæ nos excitat, si audimus aliquem habere divitias, capere honores, ut pares divitias, pares honores habere cupiamus; dum indigentia significat libidinem habendi divitias, honores, quæ nos sine respectu conditionis alienæ incitat. Interpretatur Bentleius differentiam in eo esse, quod in desiderio, desideramus habere pecuniam, desideramus capere honores, non desideramus pecuniam, honores; dum contra in Indigentia, indigemus pecuniæ, indigemus honorum, non indigemus habere

rerum, quæ dicuntur de quodam, aut quibusdam: quæ κατηγορήματα dialectici appellant; ut habere divitias[8], capere honores. Indigentia, libido rerum ipsarum est, ut honorum, ut pecuniæ.

Omnium autem perturbationum fontem esse di- 22
cunt, intemperantiam: quæ est a tota mente, et a recta ratione[9] defectio, sic aversa a præscriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones, et efficit, ut eæ rectæ rationi pareant, conservatque considerata judicia mentis: sic huic inimica intemperantia, omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Itaque et ægritudines, et metus, et reliquæ perturbationes omnes gignuntur ex ea.

X. Quemadmodum quum sanguis[1] corruptus est, 23
aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi ægrotationesque nascuntur; sic pravarum opinionum

pecuniam, capere honores; idemque Bentleius addit: Vides ineptias Stoicorum. Certe si verus hic sensus est, nihil hac distinctione ineptius.

8. *Habere divitias, capere h.* Davis. dedit in prima ed. « avere divitias, capere h. » Vulgo, inquiebat, « habere divitias, capere honores »; quam lectionem vitiosam fuisse, statim vidi; nam sine minimo desiderio honores capi possunt, haberi divitiæ. Recepi igitur scripturam, quam præstat Froben. præsertim quum « capere honores » diserte repræsentet MS Norvic. Legi etiam possit « havere divitias »; illo enim modo sæpe scripsisse vett. ex permultis inscriptionibus patet. Adi Petr. Victorium in Ciceronis Famil. lib. VIII, Ep. 16.

9. *Et a recta ratione.* Has vv. Bentleius insititias putavit, Davisius uncis inclusit; sequentes vero editores in locum suum restituerunt.

X. 1. *Quemadmodum quum sanguis ... offensiones.* Non abludunt ea, quæ ex mente Stoicorum refert Diogenes Laertius, lib. VII, pag. 191: Ὡς δὲ λέγεται τινὰ ἐπὶ τοῦ σώματος ἀῤῥωστήματα, οἷον ποδάγρα καὶ ἀρθρίτιδες· οὕτω κἀπὶ τῆς ψυχῆς φιλοδοξία καὶ φιληδονία, καὶ τὰ παραπλήσια· τὸ γὰρ ἀῤῥώστημά ἐστι νόσημα μετὰ ἀσθενείας, τὸ δὲ νόσημα, οἴησις σφόδρα δοκοῦντος αἱρετοῦ. Ubi vulgg. habent ἀῤῥωστήματα, Pal. sec. ἀποστήματα, Ven. 1491, *arrisimata* perperam repræsentant. Dav. — *Quemadmodum ... contrariæ offensiones.* Sicuti in corpore e corrupto ejus sanguine morbi exsistunt, ita et in animo e

conturbatio, et ipsarum inter se repugnantia, sanitate spoliat animum, morbisque perturbat. Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quæ vocant illi νοσήματα, eaque, quæ sunt eis morbis contraria; quæ habent ad res certas vitiosam offensionem[2] atque fastidium: deinde ægrotationes, quæ appellantur a stoicis ἀῤῥωστήματα, hisque item oppositæ contrariæ offensiones. Hoc loco nimium[3] operæ consumitur a stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo. Qua oratione prætermissa minime necessaria,
24 ea, quæ rem continent, pertractemus. Intelligatur igitur, perturbationem, jactantibus se opinionibus inconstanter et turbide, in motu esse semper[4]: quum autem hic fervor concitatioque animi inveteraverit, et tamquam in venis medullisque insederit, tum ex-

perturbationibus (πάθεσι) oriuntur morbi (νοσήματα) et ægrotationes (ἀῤῥωστήματα). Nzin.

2. *Vitiosam offensionem.* Sub offensionibus, cui voci vix ulla nostra in lingua respondere videtur, intelligit Cicero, ut e sequentibus patet, eas vitiosas animi affectiones, si quis certas res e. g. mulieres, universum genus humanum, hospites fastidiat, horreat, detestetur. Has e metu derivandas esse censet, sicuti morbos et ægrotationes e libidine ac lætitia. Nzid.

3. *Hoc loco nimium ... quam illa tolluntur.* Stoici nimis multi erant in comparandis corporum et animorum morbis; ex hac comparatione Cicero decerpsit modo ea, quæ ipsi scopo suo sufficere videbantur, et alia tamquam sua adjecit. Præmittuntur definitiones ægrotationum ac offensionum (§ 25—27). Nzid.

4. *Intelligatur igitur, perturbationem, jactantibus se opinionibus inconstanter et turbide, in motu esse semper.* Quum perturbatio sit motus animi turbidus, aut, ut Zeno definivit, « aversa a recta ratione, contra naturam, animi commotio »; nos certe beat Cicero, quum docet perturbationem in motu esse semper, seu motum turbidum, quamdiu movetur, semper moveri! Grave procul dubio latet mendum, cui tollendo quasi viam sternit Pal. quart. Is habet, « intelligatur igitur perturbatione jactantibus opinionibus inconstanter et turbido in animo motus e. semper ». Unde rescribi possit, « intelligatur igitur, perturbationum, jactantibus se opinionibus inconstanter et turbide, in animo motus esse semper ». Hos motus jactantibus se opinionibus tribuit, quod omnes perturbationes opinione fieri censent Stoici; quapropter in

sistit et morbus, et ægrotatio, et offensiones eæ, quæ sunt eis morbis ægrotationibusque contrariæ[5].

XI. Hæc, quæ dico, cogitatione inter se[1] differunt; re quidem copulata sunt; eaque[2] oriuntur ex libidine et lætitia. Nam quum est concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio, quasi quædam Socratica medicina, quæ sanaret[3] eam cupiditatem: permanat in venas, et inhæret in visceribus illud malum, exsistitque morbus[4], et ægrotatio; quæ avelli[5] inveterata non possit[6]: eique morbo nomen est avaritia. Similiterque ceteri morbi[7], ut gloriæ cupiditas, ut muliero-

earum definitiones *opinionem* semper includunt. Vide supra cap. 7. Hine « numquam opinatorum esse sapientem » statuunt, quod is ἀπαθής sit, nec his animorum morbis laboret. Davis. — Sed veram esse vulgatam viderunt Boherius et Wopkens. Lectt. Toll. I, 16. Schutz.

5. *Quæ sunt ... contrariæ*. Vid. ad hæc intelligenda, § 25 infra.

XI. 1. *Cogitatione inter se differunt*. Morbi, ægrotationes cogitando *(in der Speculation und Abstraction)* quidem distingui possunt, re sunt eadem. Cf. § 29. Nato.

2. *Eaque*. Davis. e cod. Med. *ea quæ*.

3. *Quæ sanaret*. Bentleius corrigit *sanat* ob sequens *permanat*: sed *sanaret* stare debet ob præcedd. « est concupita ... adhibita ». Ideo non probamus Davis. Wolf. et Neid. qui Bentleium sequuti sunt.

4. *Inhæret in visceribus illud malum, exsistitque morbus*. Quod Pall. nonnulli præ se ferunt, « exsistit qui morbus et ægrotatio »; Janus Gebbardus legi posse censet, « inhæret in visceribus; illico malum exsistit, qui morbus ægrotatioque avelli inveterata non possunt ». At hæc insignis est παραδιόρθωσις, eaque recepta, nec sensus nec latinitas constabit. Ob leves certe librariorum lapsus, quæ bene se habent, non sunt movenda. Vulgatam vero lectionem a Ciceronis manu fuisse, satis constat; nam secundum Stoicos hoc « inter morbos animi interest et affectus, ut morbi sint inveterata vitia: affectus vero, motus animi subiti et concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum ». Verba fere sunt Senecæ Epist. LXXV. Vide sis et Epist. LXXXV. Dav.

5. *Avelli*. Schützius scripsit *evelli*, duce Wopkensio ad Lectt. Toll. I, 16, Wolfioque præeunte. Idem fecit Neid.

6. *Non possit*. Sic Bentleius, Ern. Alii, *non possunt*.

7. *Similiterque ceteri morbi ... ceterique similiter morbi*. Ut post interposita pauca verba voces eædem vel similes repetantur, non est novum. A. Gellius, XVII, 20: « Verba illa Pausaniæ inter convivas amorem vicce sua laudantis, ea verba ita prorsum amavimus, etc. » Vide sis et Plinium, lib. VIII, Epist. 6. Dav. — Hæc contra Bentleium notantur, qui ob earum-

sitas, ut ita appellem eam[8], quæ græce φιλογύνεια dicitur, ceterique similiter morbi ægrotationesque nascuntur. Quæ autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu; ut odium mulierum, quale in μισογύνῳ Attilii[9] est; ut in hominum universum genus, quod accepimus de Timone[10], qui μισάνθρωπος appellatur; ut inhospitalitas est. Quæ omnes ægrotationes animi ex quodam metu nascuntur earum re-
26 rum, quas fugiunt et oderunt. Definiunt autem animi ægrotationem[11], opinationem vehementem de re non

dem vv. iterationem legi volebat: « ceteri, inquam, similiter morbi » pro « ceterique simil. m. »

8. *Ut ita appellem eam, quæ.* Davis. scribit, « ut ita appellem, ea quæ », ex codd. Reg. Pith. et Balliol.

9. *Quale in μισογύνῳ Attilii est.* Sic Davis. nisi quod scribit *Atili.* Vulgo, inquit, *quale in μισογυνείᾳ est.* Inepte, quum μισογύνεια sit ipsum feminarum odium. MSS Colon. et Lambin. scripturam, quam dedi, clare repræsentant; eoque adludunt reliqui codices, qui fere « misso gino » vel « misso guno Atili » præ se ferunt. Nos igitur eam recepimus lectionem quam Mercerus ad Nonium, pag. 127, et alii veram censuerunt. De Atilio vide G. I. Vossium Poet. Latin. pag. 232. Davis. — *Quale in* Μισογυνείᾳ. MSS codex Regius: « In Missogyno Atilii est »; Lugdunensis, « in Musogunio Attilii est ». Bentleius rescribebat: Μισογύνου Hippolyti. Nimis licenter; nam *Attilii* nomen, nisi a Tullii esset manu, tot veteres membranæ non haberent. Dav. in prima ed. dedit: *in* Μισογύνᾳ *Attilii.* Scrib. fuerat, Μισογύνῃ. Repono: *in* Μισογυναίῳ *Attilii.* Bunarius. — Davisium Ern. Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur. — *Attilii.* Forsan fabula erat Attilii Hippolytus inscripta. Cf. § 27. Nein.

10. *Ut in hominum universum genus, quod accepimus de Timone.* Lambinus reponit, « ut hominum universi generis »; quod ante, non odium in mulieres, sed mulierum, dixerat. At hæc ratio nihili videtur; nam latine dicitur utrumque: nec video cur Ciceroni phrasin variare non liceat. Sic supra cap. 7: « Sub metum subjecta sunt pigritia, pudor ... Voluptati malivolentia ... Libidini ira ». Ibi quoque propter eamdem causam *metui subjecta* perperam legit vir ille doctus. Sed hæc hactenus. Timonis autem historiam nitidissimo dialogo Lucianus expressit, eamque tradidit etiam Tsetzes Chil. VII, Hist. 129. Mores ejus descripsit Plutarchus in Anton. pagg. 948, 949, ubi hoc epigramma Callimacho tribuitur: Τίμων μισάνθρωπος ἐσοικέω· ἀλλὰ πάρελθε, Οἰμώζειν εἴπας πολλὰ, πάρελθε μόνον. Leg. ἐνοικέω, quod patet ex Anthol. lib. III, cap. 7. Illic exstat integrum, et Hegesippum præ se fert auctorem. Davis.

11. *Animi ægrotationem, opinationem vehementem.* Quum animorum *morbi* et ægrotationes cogitatione tan-

expetenda, tamquam valde expetenda[12], inhærentem et penitus insitam. Quod autem nascitur ex offensione, ita definiunt, opinionem vehementem de re non fugienda, inhærentem et penitus insitam, tamquam fugienda. Hæc autem opinatio est judicare[13] se scire, quod nesciat. Ægrotationi autem talia quædam subjecta sunt, avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, ligurritio, vinolentia, cupedia[14], et si qua similia. Est autem avaritia, opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda[15], inhærens et penitus insita: similisque est ejusdem generis definitio reliquarum. Offensionum autem definitiones sunt ejusmodi, 27
ut inhospitalitas sit opinio vehemens, valde fugien-

tum differant, Tullius ægrotationem, ἀῤῥώστημα, eo modo, quo reliqui νόσημα, definivit. Laertius, VII, 115: Νόσημα, οἴησις σφόδρα δοκοῦντος αἱρετοῦ. Seneca Epist. LXXV: « Morbus est judicium in pravo pertinax, tamquam valde expetenda, quæ leviter expetenda sunt ». Ad id, quod agimus, præclare Stobæus Eclog. Ethic. pag. 177: Νόσημα δ' εἶναι δόξαν ἐπιθυμίας ἐῤῥυηκυῖαν εἰς ἕξιν καὶ ἐνσκιῤῥωμένην, καθ' ἣν ὑπολαμβάνουσι τὰ μὴ αἱρετὰ σφόδρα αἱρετὰ εἶναι, οἷον φιλογύνειαν, φιλοινίαν, φιλαργυρίαν· εἶναι δέ τινα καὶ ἐναντία τοῖς νοσήμασι, κατὰ προκοπὴν γιγνόμενα, οἷον μισογύνειαν, etc. Dav.

12. *Tamquam valde expetenda.* Vulgo additur *sit*, quod Ern. delevit, ut infra post *expetenda*. Oliv. Schütz. Neid. utroque loco retinuerunt.

13. *Opinatio est judicare.* Davis. *judicatio* e Reg. Gryph. Vatic. et Pal. quart. cum Schütz. et Neid. sequuntur. — *Judicatio se scire.* Hoc non solum ad offensionem, sed etiam ad ægrotationem referendum videtur. Sensus est, Ægrotatio, quum sit opinio de re non expetenda tamquam expetenda, et offensio opinio de re non fugienda tamquam fugienda; uterque, et qui ægrotatione, et qui offensione laborat, putat se scire, quod nesciat, i. e. in errore versatur; ille enim bonum putat, ideoque expetendum, quod malum est, hic malum, ideoque fugiendum, quod bonum est. Nein.

14. *Ambitio ... cupedia.* Hunc locum adducit Nonius in *cupedia.* Ei tamen male *cupiditas* exponitur, nam φιλοψίαν vel immoderatam delicatiorum ciborum cupiditatem denotat. Dav.

15. *Quasi valde expetenda.* Davisius addit *sit*, notatque: Vulgo « quasi petenda sit ». Nos autem MSS fide nitimur, nec minus ipsa re; vox enim a recentioribus omissa, vehementiam seu σφοδρότητα denotat, quæ definitioni prorsus est necessaria. Sic paullo post: « ut inhospitalitas sit opinio vehemens, valde fugiendum esse hospitem, etc. » Davis.

dum esse hospitem, eaque inhærens et penitus insita. Similiterque definitur et mulierum odium, ut Hippolyti; et, ut Timonis, generis humani.

XII. Atque ut ad valitudinis[1] similitudinem veniamus[2], eaque collatione utamur aliquando, sed parcius, quam solent stoici : ut sunt alii ad alios morbos procliviores (itaque dicimus gravedinosos quosdam, quosdam torminosos[3], non quia jam sint, sed quia sæpe sint); sic alii[4] ad metum, alii ad aliam perturbationem. Ex quo in aliis anxietas, unde anxii; in aliis iracundia dicitur[5], quæ ab ira differt : estque

XII. 1. *Atque ut ad valitudinis ... habeat superius nomen.* Comparat jam Cicero valitudinem corporis et animi, eaque, quæ in corpore animadvertisse sibi visus est, in animum transfert. Sunt, inquit, alii proclivlores ad alios morbos, ita etiam alii ad alias perturbationes. Eam proclivitatem (*Hang*) ægrotationem appellari velim. Nern.

2. *Veniamus.* Vulgo *veniam.* Lectionis quam admisimus auctores sunt vetus Lambini codex, Colon. Bak. et Cantabr. eamque veram esse suadent sequentia, quæ pluraliter efferuntur. Davis.

3. *Gravedinosos quosdam, quosdam torminosos.* Nonnulli MSS dant « gravedinosos, quosdam torminosos ». Sed solennis incuria librariorum vocem, quam bis adponere debuerant, semel tantum posuit. Hoc ex eo manifestum est, quod receptam lectionem plerique codices exhibeant, nec aliter Nonius in *Gravedinosi* et *Tormines.* Vereor etiam, ne magna pars eorum, quæ laudat J. Fr. Gronovius ad Livii III, 37, pari negligentiæ sit adscribenda. Nern. — *Torminosos.* Ad intestinorum cruciatus proclives. Nern.

4. *Sed quia sæpe sint; sic alii* Ursinus in suo libro testatur *sint* abesse. Id Davisius delevit, addiditque *sic*, quod vulgo ante *alii* non comparebat. In vulgata, inquit, deest ἀπόδοσις, et similitudo redditur imperfecta. Nos igitur Manutii conjecturam recepimus : et simile prorsus mendum primi observavimus ad Manutii Felicis cap. 16, pag. 79. — Schütz. et Neid. servato *sint*, *sic alii* dederunt.

5. *In aliis iracundia dicitur.* Davisius scribit *iracundia efficitur*, observatque : Quum illa lectio sensum non pareret idoneum, nos conjecturam nostram, quæ MSS accedit quam proxime, recepimus. Sic infra, cap. 13 : « Morbus efficiatur et ægrotatio ». Livius, V, 5 : « Si quis ægro ... cibi gratia præsentis aut potionis, longinquum et forsitan insanabilem morbum efficiat ». Dav. — Inutilis est hæc conjectura : nam vulgata, ob totius loci tenorem, eumdem præbet sensum : valet enim : inde in aliis est proclivitas quædam, quæ iracundia dicitur. Hoc loco, ut in tam multis nimium suæ temeritati indulsit Davisius, fidelis Bentleii discipulus.

aliud iracundum[6] esse, aliud iratum; ut differt anxietas ab angore. Neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando; nec qui anxii, semper anguntur: ut inter ebrietatem, et ebriositatem interest; aliudque est amatorem esse, aliud amantem. Atque hæc aliorum 28
ad alios morbos proclivitas late patet: nam pertinet ad omnes perturbationes. In multis etiam vitiis apparet, sed nomen res non habet[7]. Ergo et invidi, et malivoli, et lividi, et timidi, et misericordes, quia proclives[8] ad eas perturbationes, non quia semper feruntur. Hæc igitur proclivitas ad suum quodque genus, a similitudine corporis ægrotatio dicatur[9], dum ea intelligatur ad ægrotandum proclivitas. Sed hæc in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, facilitas nominetur; in malis proclivitas[10], ut significet lapsionem: in neutris[11] habeat superius nomen.

6. *Alind iracundum .... aliud amantem.* Hæc omnia proferuntur a Nonio iu *iracundus.* Vide et Seuecam de Ira, lib. I, cap. 4, ac Epist. 85. DAVIS.

7. *Sed nomen res non habet.* Sed quot sunt vitia, non suut tot oomina propria quibus ad quæque vitia proclivitas designetor. Sic uuo nomine dici non potest is, qui pronns est ad misericordiam, vel proclivis ad temeritatem: periphrasi utendum est.

8. *Proclives.* Davis. e conj. Beutleii *proclive.*

9. *Ægrotatio dicatur.* Vulgo *dicitur;* quod optimo jore mutavit idem vir summos. DAVIS. — Iu eo Ernestius, Wolf. et Schötz. Davisium sequuti sunt.

10. *Facilitas nominetur; in malis proclivitas.* Εὐκαταφορία vel εὐεμπτωσία græce dicitur. Vide Diogenem Laertium lib. VII, § 115, et Stobæum Eclog. Ethic. pag. 177. DAV.

11. *In neutris habeat superius nomen.* Io bonis, inquit, rebus, et honestis, affectio, sive, ot vulgo et in scholis loquuntor, *dispositio*, qoæ facit, ut alii ad alia boua capessenda, atque efficienda siut aptiores, nominetur *facilitas.* Iu rebos malis, et a laude atque ab bouestate sejunctis ejusmodi affectio ac dispositio nominetur *proclivitas:* quod uomen videtur eo ipso convenire melius, quia proclivitas significatiouem habet ooo remotam a lapsioue; et qui aptior est ad mala, pronus est ad labendum et peccandum. In iis antem rebus, quæ neutræ sont, neque bonæ, neque malæ, sed mediæ, atque, ut Stoici aiunt, indifferentes, dispositio illa, qua fit nt qoispiam ad aliqoa ex illis sit aptior, quam ad alia, habeat nomen qood prius positum est, et nominetur *facilitas.* ANONYM.

29 XIII. Quo modo autem[1] in corpore est morbus, est ægrotatio et vitium; sic in animo. Morbum appellant totius corporis corruptionem; ægrotationem, morbum cum imbecillitate; vitium, quum partes corporis inter se dissident[2]: ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus, et ægrotatio, ex totius valitudinis corporis[3] conquassatione et perturbatione gignuntur; vitium autem, integra valitudine, ipsum ex se cernitur. Sed in animo tantummodo cogitatione possumus morbum ab ægrotatione sejungere. Vitiositas autem est habitus, aut affectio in tota vita inconstans, et a se ipsa dissentiens. Ita fit, ut in altera[4], corruptione opinionum morbus efficiatur et ægrotatio; in altera, inconstantia et repugnantia. Non enim omne vitium[5] partes ha-

XIII. 1. *Quo modo autem . . . partes esse.* Sequitur jam Stoicorum comparatio morborum corporis et animi. Morbus, ægrotatio, vitium definiuntur. Stoici, inquit, distribuunt malam valitudinem corporis in morbum, ægrotationem, vitium. Eodem modo tribuunt animo morbum, ægrotationem ac vitiositatem. Duo priora cogitatione tantum sejungi possunt. Vitiositas aut est habitus, aut affectio. Nuin.

2. *Inter se dissident.* Aliæ sunt integræ, aliæ non. Nuin.

3. *Corporis.* Hanc vocem uncis inclusit Ernestius; sed opponitur deinde *in animo.* Schutz.

4. *Ut in altera.* Sc. vitiositate, quatenus est habitus; *in altera*, sc. vitiositate, quatenus est affectio. Nuin. — Hunc sensum minime verum esse arbitramur: sed putamus auctorem definire in prima parte morbum et ægrotationem animi, quæ conjungit una definitione, quia dixit cogitatione tantum ea posse distingui; in altera definire vitium animi vel vitiositatem. Sic post *altera* bis subaudiri debet *parte*, nisi fallimur. Et tenendum est « inconstantia et repugnantia » nominativo casu poni, subaudito verbo *efficiatur.* Dicit enim morbum esse, quum animus falsis opinionibus laborat, quibus omnes ejus partes inficiuntur, dum contra in vitio aliæ quædam partes sint animi ægræ, aliæ integræ, ita ut inter eas inconstantia sit et repugnantia. Et quum supra bis notis morbum et vitium distinxerit in corpore, certum est auctorem easdem notas non potuisse adhibere, ut vitii species in animo distingueret. Nam comparatio qua utitur jam claudicaret. Adde quod auctor. vv. *habitus* et *affectio* pro synonymis adhibere videtur. Ita ut ea vv. definitione distinguere postea non debuerit.

5. *Non enim omne vitium partes*

bet dissentientes; ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, affectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens, sed non distorta, nec prava. Morbi autem, et ægrotationes, partes sunt vitiositatis[6]; sed perturbationes sintne ejusdem partes, quæstio est. Vitia enim, affectiones sunt manentes; perturbationes autem, moventes, ut non possint affectionum manentium partes esse.

Atque ut in malis[7] attingit animi naturam corporis similitudo, sic in bonis. Sunt enim in corpore præcipua, pulchritudo, vires, valitudo, firmitas, velocitas: sunt item in animo. Ut enim corporis[8] temperatio,

habet dissentientes. Hunc locum sicco pede reliqui prætereunt interpretes; se non intelligere fatetur Joach. Camerarius. Ad me sane quod attinet, haud equidem capio, « qui omne vitium partes non habeat dissentientes, quum eorum qui non longe a sapientia absunt adfectio sit illa discrepans » ipsa sibi? Si enim vitium *partes* non habet *dissentientes*, quomodo fieri potest, ut sit adfectio sibi ipsa discrepans? Sed hunc nodum, ut et alios bene multos, sagacissima conjectura solvit eruditissimus Bentleius, qui reponit « pares habet dissidentias ». De re ipsa vide Senecam Epist. 75. DAVIS. — Vide Excursum ad calcem hujus libri.

6. *Partes sunt vitiositatis*. Quatenus morbi et ægrotationes ex ea oriuntur. NEID. — *Vitiositas* a *malitia* differt, quod hæc certi cujusdam vitii nomen est; illa autem omnium.

7. *Atque ut in malis... percursionem*. Comparatur corpus cum animo quoad bona, quæ insunt utrique. NEID. — *Attingit*. Quemadmodum affectiones morbique animi quamdam habent similitudinem cum corporis morbis affectionibusque, sic bona corporis cum bonis animi; animus in utroque similis est corpori. ERN.

8. *Ut enim corporis ... sanitas sic animi dicitur*. Vulgo omissa prima voce dant, « enim corporis temperatio, quum ea congruunt inter se e quibus constamus: sanitas sic animi dicitur ». Sed a nobis receptæ sunt interpunctio simul et emendatio Joach. Camerarii, quam quodammodo firmant Pal. quint. et Balliol. dum repræsentant *est enim*; certam vero reddunt græca, quæ leguntur apud Stobæum Eclog. Ethic. pag. 168: Ὥσπερ γὰρ τὴν τοῦ σώματος ὑγίειαν εὐκρασίαν εἶναι τῶν ἐν τῷ σώματι θερμῶν καὶ ψυχρῶν καὶ ξηρῶν καὶ ὑγρῶν· οὕτω καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ὑγίειαν, εὐκρασίαν εἶναι τῶν ἐν τῇ ψυχῇ δογμάτων. Similiter Plato statuit, ut « æqualitas ista sicci, humidi, ferventis ac frigidi, corpori sanitatem, vires, speciemque largitur: sic tunc « animæ dicit » sanitatem adesse, vires, et pulchritudinem, quum ratio totam regit ». Verba sunt Apuleii, lib. I de Habit. Doct. Plat. pag. 591: « Hinc ex quatuor principiis vel superans aliquid vel deficiens ad-

quum ea congruunt inter se, e quibus constamus: sanitas sic animi dicitur, quum ejus judicia opinionesque concordant, eaque animi est virtus; quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiæ præceptis, et eam subsequentem, nec habentem ullam speciem suam[9]: sed sive hoc, sive illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quædam animi sanitas[10], quæ in insipientem etiam cadat, quum curatione[11] medicorum turbatio mentis aufer-
31 tur. Et, ut corporis est quædam[12] apta figura membrorum, cum coloris quadam suavitate; eaque dicitur pulchritudo: sic in animo, opinionum judiciorumque æquabilitas et constantia, cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens, aut virtutis vim

versam vslitodiuem ereat, ut quidam ex sapieotiæ professoribus dixerunt », testante Celso, lib. I, pag. 4. Dav.

9. *Nec habentem ullam speciem snam.* Virtutum est sola idea, eujos ἔκτυπον in nulla omquam experientia datur. Nein.

10. *Est antem quædam animi sanitas, quæ in insipientem etiam cadat.* Miror Hadr. Turnebum Advers. VII, 17, rescripsisse, « est antem quædam animi insaoitas, quæ iu sapientem etiam cadat ». Nam præterquam quod « lu sapieotem cadere noo possit insania », ut ex mente Stoicorum docuit Noster, lib. III, cap. 5, illam conjecturam absurdam esse docent sequentia; prorsus enim repugnat « esse quamdam insauitatem, quæ in sapientem cadat, quum coratione medicorum cooturbatio mentis aufertur »; siquidem perturbstio mentis est io causa, eur insaniunt auimi. Adde quod virtutes ἀθεωρήτους insipienti competere monet Laertius, VII, 91, inter quas ὑγείαν ψυχῆς ponit Stobæus Eelog. Ethic. pag. 168. Davis.

11. *Quum curatione.* Davis. addit *et gubernatione*. Hæc, inquit, a vulgatis absunt. Codices fere dant, *et perturbatione*, pro qua Lambinus conjecit *purgatione*; Brutns autem *pertractatione*. Nos eam scripturam repræsentaodam esse censuimus, qosm dant Balliol. et Vatic. pro varia lectione, quamque Ven. 1491, et Erasmi editio præstant.

12. *Et, ut corporis est quædam ... vires nominentur.* Stoici apud Stobæom Eclog. Ethic. pag. 168: Καὶ ὁμοίως περ (leg. ὥσπερ) ἰσχύος τοῦ σώματος τόνος ἐστὶν ἱκανὸς ἐννεύροις, οὕτω καὶ τῆς ψυχῆς τόνος ἐστὶν ἱκανὸς ἐν τῷ κρίνειν καὶ πράττειν καὶ μή. Ὥσπερ τε τὸ κάλλος τοῦ σώματός ἐστι συμμετρία τῶν μελῶν καθεστώτων αὐτῷ πρός ἄλληλά τε καὶ πρὸς τὸ ὅλον· οὕτω καὶ τὸ τῆς ψυχῆς κάλλος ἐστὶ συμμετρία τοῦ λόγου καὶ τῶν μελῶν αὐτοῦ πρὸς ὅλον τε αὐτοῦ (forsan αὐτὸν) καὶ πρὸς ἄλληλα. Sensos est idem, sed a Cieeroue differt orationis ordo. Dav.

ipsam[13] continens, pulchritudo vocatur. Itemque viribus corporis, et nervis, et efficacitati similes, similibus[14] verbis animi vires nominantur. Velocitas autem corporis, celeritas appellatur: quæ eadem ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem.

XIV. Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo tentari non[1] possunt; corpora possunt. Sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item[2]: quorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. Itaque in hominibus solum exsistunt. Nam bestiæ simile quiddam faciunt[3], sed in perturbationes

13. *Vim ipsam continens*. Bentleius legi jubet *ipsa*, notatque : Hoc scilicet vult; *Pulchritudinem* illam animi, aut ipsam in virtutibus numerandam esse, aut aliquid esse virtutem subsequens. Ita paullo prius, *Concordantia*, inquit, opinionum in animo, aut ipsa virtus Temperantia est, aut aliquid eam subsequens, nec « habens ullam speciem suam ». Quam hic appellat *speciem*, illic nominat *vim*.

14. *Similibus verbis*. Davis. scribit *similibusque verbis* e Reg. Pith. Balliol. et edd. vett. Idem est in Leid. Wolf. Schütz. et Neid. scribunt : *similibus quoque verbis*.

XIV. 1. *Morbo tent. non possunt; corpora possunt*. Quamvis renitantur MSS atque editi omnes, legi tamen cum Bentleio velim : « animi valentes morbo tentari possunt, ut corpora possunt : sed corporum, etc. » Bunarius. — Hanc emendationem amplexi sunt Davisius, Schütz. et Neid. quamvis repugnantibus codd. sic sensus erit: Eo differunt animi et corpora, quod, si utraque morbo tentari possunt, corporum tamen offensiones sine culpa accidere possunt, dum contra animorum offensio semper culpæ nostræ debeatur : nam venit ex aspernatione rationis.

2. *Animorum non item*. Quia omnes actiones morales, qua tales, a libero pendent arbitrio. Nam.

3. *Bestiæ simile quiddam faciunt, sed in perturbationes non incidunt*. Sic Seneca de Ira, lib. I, cap. 3 : « Dicendum est feras ira carere, et omnia præter hominem; nam quum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur nisi ubi rationi locus est ... Muta animalia humanis affectibus carent; habent autem similes illis quosdam impulsus ». Hinc Stoici apud Stobæum Ecl. Ethic. pag. 175, diversam esse statuunt τήν τε ἐν τοῖς λογικοῖς γιγνομένην ὁρμὴν καὶ τὴν ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις. Vide et Galenum de dogm. Hippocr. et Platon. lib. IV, cap. 2, pag. 137. Certe quum Stoici perturbationes in animæ parte rationali collocent, eaque careant bestiæ, perturbationibus careant necesse est. Dav.

32 non incidunt. Inter acutos[4] autem, et inter hebetes interest, quod ingeniosi, ut æs Corinthium in æruginem, sic illi in morbum et incidunt tardius, et recreantur ocyus; hebetes non item. Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit. Non enim multa[5] efferata, et immania : quædam autem humanitatis quoque habent primam speciem, ut misericordia, ægritudo, metus. Ægrotationes autem morbique animorum difficilius evelli posse putantur, quam summa illa vitia, quæ virtutibus sunt contraria. Morbis enim manentibus, vitia sublata esse possunt[6], qui non tam celeriter sanantur, quam illa tolluntur.

33 Habes ea[7], quæ de perturbationibus enucleate disputant stoici, quæ logica appellant, quia disseruntur subtilius. Ex quibus quoniam tamquam e scrupulosis cotibus[8] enavigavit oratio, reliquæ disputationis cur-

4. *Acutos.* Homines magni ingenii dotibus instructi. Neid.

5. *Non enim multa.* Legerim levicula mutatione, « Non enim in ulla efferata et immania ». Sin substantivum mavis, quo hæc referantur; tum repono, « non in vitia efferata et immania ». Bunerius. — Quamquam omnino easdem Bentleii emendationes videamus in ejus emendd. Davisii editioni additis; tamen Davisius, qui scribit, « non enim in ullam efferatam et immanem », dicit se διόρθωσιν Bentleianam sequi : cum Davisio Schütz. facit; Neid. edidit : « non enim in ulla efferata et immania ». Si hanc lect. acceperis, forsan melius in proximis pro *quoque* rescripseris *quæ*, ita, « non enim in illa efferata et immania; quædam autem (pro *sed in quædam*) humanitatis quæ habent primam speciem ».

6. *Vitia sublata esse possunt.* Sic rescribendum conjecit Lambinus, ejusque conjecturam ratam facit Eliens. sec. Vulgo, « vitia sublata esse non possunt ». Inepte prorsus, licet ita dent MSS præter unum illum, cujus meminimus, universi. Nam si » morbi non tam celeriter sanantur, quam vitia tolluntur »; ipsa res indicat, morbis manentibus, vitia sublata esse posse. Dav. — Davisius servavit *quia non tam* in seqq. Wolf. Schütz. et Neid. dederunt *qui non tam*, scilic. *qui morbi*.

7. *Habes ea.* Expositis jam partitionibus et definitionibus Stoicorum transit jam ad partem secundam disputationis, qua nimirum probatur, perturbationes in sapientem cadere non posse. Neid.

8. *E scrupulosis cotibus enavigavit.* Quid sint cotes sive cautes scimus

sum teneamus : modo satis illa dilucide dixerimus, pro rerum obscuritate. — AUD. Prorsus satis : sed si qua diligentius erunt cognoscenda, quæremus alias; nunc vela, quæ modo dicebas, exspectamus et cursum.

XV. CIC. Quando et aliis[1] locis de virtute diximus, 34
et sæpe[2] dicendum erit (pleræque enim quæstiones, quæ ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur), quando igitur virtus est affectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in

omnes : unde igitur illud epitheton *scrupulosæ cautes?* quod perinde est ac si Colosso Pygmæorum vestes aptaveris. *Scrupulus* enim est lapillus minimus, qualis intra calceum forte incidens pedem male cruciat. Viderat hoc, credo, Paullus Manutius, qui *scopulosis* edidit; viderat Lambinus, qui *scruposis* ex conjectura substituit. DAV. — Davisius, Bentleium sequutus, observat : Adi sis Nic. Heinsium ad Valerii Flacci Argon. II, 518. Porro *cotes* aut *cautes* æque dici notat Scholiastes ad Juvenalis Sat. VI, 344. Virgilius Georg. IV, 203: « errando in cotibus alas Attrivere ». Prudentius Apoth. vs. 429 : « Caucasea de cote ». Ipsam vero loquendi rationem sæpius adhibet Hieronymus. Sic ad Heliodorum Epist. I, pag. 4, ed. Victor. « Quoniam e scopulosis locis enavigavit oratio, et inter canas spumeia fluctibus cautes fragilis in altum cymba processit ». Advers. Helvidium, cap. IX, p. 315 : « Quoniam jam e cautibus et confragosis locis enavigavit oratio ». Et in Rufinum, lib. I, c. 7, pag. 499 : « Quoniam de confragosis et asperis locis enavigavit oratio ». — *Scruposis* dederunt Oliv. Wolf. Schütz. et Neid. Ernestius cum P. Manut. conj. *scopulosis*, ut est in Orat. in Cæcil. cap. 11. Nobis *scrupulosis* eo defendi posse videtur, quod notat per sinuosas ambages ire navigantem, quum legit illas cautes; eumque omni prudentia uti debere, ne in eas navem allidat : inde *scrupulosæ*, quæ sine cautissima navigatione evitari non possunt. Nihil dicit Bentleius, quum in proximis conj. *eremigavit* pro *enavigavit*.

XV. 1. *Quando et aliis locis*. Ita quidem codices, tam MSS quam typis impressi. Sed nescio quid est in oratione, quod omnino displicet. Ei suus restituetur nitor, si minima mutatione legas : « quando, ut aliis locis de virtute et diximus et sæpe dicendum erit . . . quando igitur virtus est affectio animi constans, etc. » ad id enim refertur, quod de virtute subdit, nec exitum alio reperies modo. Hanc autem emendationem præcepisse Manutium video; eaque omnino est vera. DAV. — *Quando et aliis . . . verum etiam sanitatem*. § 38. Imago virtutis ac vitiositatis repræsentatur : depingitur deformitas perturbationum, simul docetur eas cum virtute congruere non posse, itaque sapientem, in quo sola est virtus, perturbationibus non esse obnoxium. NEID.

2. *Diximus, et sæpe dic.* Davis. « et diximus et sæpe dic. » e Reg. Pitb. Med. et Bak.

quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate[3], laudabilis; ex ea proficiscuntur honestæ voluntates, sententiæ, actiones, omnisque recta ratio : quamquam ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest. Hujus igitur virtutis contraria est vitiositas. Sic enim malo, quam malitiam appellare eam, quam Græci κακίαν[4] appellant : nam malitia, certi cujusdam vitii nomen est; vitiositas, omnium. Ex qua concitantur[5] perturbationes, quæ sunt, ut paullo ante diximus, turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione, et inimicissimi mentis vitæque tranquillæ. Important enim ægritudines anxias atque acerbas, animosque affligunt et debilitant metu. Iidem inflammant appetitione nimia; quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quamdam animi, a temperantia et moderatione plurimum dissidentem. Quæ si quando adepta est id[6], quod ei fuerat concu-

3. *Separata etiam utilitate.* Nullo ad utilitatem respectu habito. Naiu.

4. *Quam Græci κακίαν appellant.* Κακίαν et *vitium* et *vitiositatem* interpretatur, non *malitiam*, ut sonare græcum nomen videtur; repugnat enim usus linguæ latinæ, in qua *malitia* fraudulentam astutiam significat.

5. *Concitantur.* Davis. scribit *cooriuntur* ex Bentleii conj. Vulgo, inquit, *cogitantur* : nec aliter omnes codd. præter unum Manutium, qui dat *concitantur*, uti quidem emendarat Camerarius. Aliis arrisit *agitantur* vel *coagitantur.*— Buherius malebat *progignuntur.* Oliv. Schütz. et Neid. *concitantur.*

6. *Quæ si quando adepta est id.* Hæc lectio non est a codicibus. Reg. Vatic. aliique MSS *eademptaretur;* at vetus Lambini codex, Bsk. Balliol. et Pal. quint. *adeptaretur id*, unde ne litterula quidem mutata rescribendum puto *adepta retur.* Hellenismus est, idemque valet « ac se adeptam esse retur ». Virgilius Æn. II, 377 : « sensit medios delapsus in hostes ». Horatius lib. I, Epist. VII, 22 : « Vir bonus ac sapiens dignis ait esse paratus ». Propertius lib. II, Eleg. VII, 45 : « Visura et quamvis numquam speraret Ulixen ». Ovidius, Metam. XIII, 141 : « rettulit Ajax Esse Jovis pronepos, etc. » Nec dubito, quin ejusdem libri vs. 153, reponi debeat, ut habet Bas. « ... Quod, ut est, hebes esse fatetur », non *videtur;* Ajax enim se dicendo parum valere fassus est. Sulpicius Severus Dial. II, cap. 8, 2 : « Nos in hac parte numquam vel Martini exemplo vel his disputationibus corrigendi fatemur ». Sed exemplorum satis. Adi tamen sis Priscianum, lib. XVIII, col. 1183 ;

pitum, tum fert alacritatem[7], ut nihil esse[8] constet, quod agat: ut ille, qui voluptatem animi nimiam, summum esse errorem arbitratur[9]. Eorum igitur malorum in unâ virtute posita sanatio est.

XVI. Quid autem est non miserius solum, sed fœdius etiam, et deformius, quam ægritudine quis afflictus, debilitatus, jacens? Cui miseriæ proximus est is, qui appropinquans aliquod malum metuit, exanimatusque pendet animi. Quam vim mali significantes poetæ, impendere apud inferos[1] saxum Tantalo fa-

Casp. Scioppium Veris. IV, 15, et Dan. Vechnerum Hellenolex. I, 29. Dav. — Bentleius quum hanc Davis. conjecturam non probaret, emendabat: « quæ si quando 'se adeptam retur ». Schütz. et Neid. « quæ si quando adepta erit ».

7. *Tum fert alacritatem.* A Tullii manu non est hæc lectio. Nonnulli codices « tum affert » vel « affertur alacritate »; Gryph. autem « tum ea fertur alacritate ». Lego « tum ea effertur alacritate »; quæ minima est mutatio, Ciceronianoque loquendi modo consona. Dav. — Præterea Bentleius *tum* in *tam* mutari volebat. Schütz. et Neid. Davisium sequuntur.

8. *Ut nihil esse constet.* Davis. scribit « ut nihil ei constet », notatque: Codices præ se ferunt « ut nihil esse (Reg. *est*) constet quid agat »; unde Cl. Bentleius id quod exhibemus reposuit. — Non videmus autem Bentleium illud *ei* commendavisse: nam ejus hæc est nota: Quid illud, quæso, est, « nihil esse constet, quod agat? » Profecto « constet esse » nihil aliud notare poterit, quam « pateat, liqueat esse »; quod a sententia prorsus alienum est. Dele igitur τὸ *esse*, et lege, « Ut nihil constet, quod agat ». — Oliv. scribit « ut nihil ipsi constet ». Schütz. Bentleium sequitur, Neid. Davisium, nisi quod *ei* uncis includit.

9. *Voluptatem animi nimiam, summum esse errorem arbitratur.* Trabeæ, poetæ comici, versus fuit, « Ego voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitror ». Vide Fin. II, 4, et Famil. II, 9. Infra cap. 17: « Eaque omnia aut nimis tristia aut nimia læta errore fieri? Qui si error stultis extenuetur, etc. » Dav. — *Errorem*, notat insaniam, ut sæpe.

XVI. 1. *Impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt.* Ut mendacibus solet evenire, de Tantali pœnis variæ sunt poetarum sententiæ, quas recensuit schol. ad Pindari Olymp. I, 95. Alii enim fingunt ejus os sitiens esuriensque fugacibus undis pomisque deludi. Noster Euripidem habuit ducem Orest. vs. 5, pro cujus sententia: . . . Τάνταλος Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον Ἀέρι ποτᾶται καὶ τίνει ταύτην δίκην. Ex eadem mente Plato in Cratylo, pag. 254, tom. III, ed. Bip. et Lucretius, III, 993: « Nec miser impendens, magnum timet aere saxum Tantalus ». Ita plures alii. Vide Nostrum Fin. I, 18;

ciunt, « ob scelera, animique impotentiam, et superbiloquentiam[2] »; ea communis pœna stultitiæ est. Omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione,
36 semper aliquis[3] talis terror impendet. Atque ut hæ tabificæ mentis perturbationes sunt, ægritudinem dico et metum: sic hilariores illæ, cupiditas, avide semper aliquid expetens, et inanis alacritas, id est, lætitia gestiens, non multum differunt ab amentia. Ex quo intelligitur, qualis ille sit, quem tum[4] moderatum, alias modestum, temperantem, alias constantem continentemque dicimus. Nonnumquam hæc eadem vo-

Plotarchum de Soperst. pag. 170; Philostratum vit. Apoll. III, 25; Athenæum lib. VII, pag. 281; Dionem Chrysostomum Orat. VI, p. 97; Suidam io Τάνταλος; Gregorium Nazianzenum apud L. A. Muratorium in Anec. Græc. pag. 4; denique Nonnum ad Gregorii Nazianzeni Stelit. II, Hist. 31. Dav.

2. *Ob scelera, animique impotentiam, et superbiloquentiam.* Hæc pro Tullii verbis habent editores, eaqoe sob ejus nomine laudat Nonius in *superbiloquentia.* At vero versus est trochaicus aotiqoi cujusdam poetæ, quod dictio satis ostendit, et aote me docuit Hadr. Turnebus Advers. VII, 18. Non magis autem de ipso supplicio quam de ejus causa digladiantur scriptores. Plorimi cootendunt loqoacitatem fecisse, ot taotas pœoss subiret. Hinc Theophylactus Simocatta Epist. LXVIII: Ἐντεῦθεν καὶ Τάνταλος ἐκολάζετο· περὶ τὰ θεῖα γὰρ ἔσχε τὴν γλῶτταν ἀκόλαστον. Nescio quis apud Athenæum, lib. VII, pag. 281, eom tam duris modis acceptom tradit, quod τὸ ζῆν τὸν αὐτὸν τρόπον τοῖς θεοῖς optarit. At vero Pindarus Olymp. I, 95: Ἔχει δ' ἀπάλαμνον βίον Τοῦτον, ἐμπεδόμοχθον Μετὰ τριῶν τέταρτον Πόνον· ἀθανάτων ὅτι κλέψας Ἀλίκεσσι συμπόταις Νέκταρ ἀμβροσίαν τε Δῶκεν. Houc sequnti sunt alii nooolli. Vide Tzetzem Chil. V, Hist. 10. Dav.

3. *Semper aliquis talis terror impendet.* Davis. in prima ed. dederat « semper aliquid, aliis dolor, aliis terror impendet », hoc ootato: Volgg. « semper aliquis talis terror impendet ». Petreus. « semper aliquis terror impendet ». Pal. quart. Vatic. « semper aliquid aliis terror impeodet ». Froben. « semper aliqois aliis dolor, aliis terror impendet » (et sic Manut. et Lamb. ediderunt, teste Oliveto). Vera est ea lectio, quam nos ex Pal. quint. et edit. Veo. 1491 recepimus. Sane necessariam esse *doloris* mentionem docent verba sequeotia, qoæ addocit etiam Nonius, cap. 2, v. *tabificabile*, col. 585; alioquio enim *tabificas perturbationes* haud numerarat Cicero. Eamdem lect. Verburgius amplexus est. — In tertia ed. Davis. ad vulgatam rediit, nisi quod scribit *aliqui*, quod Gronovios jusserat, quodque Schütz. et Neid. sequuti sunt.

4. *Quem tum moderatum, alias modestum, temperantem, alias con-*

cabula ad frugalitatis nomen[5], tamquam ad caput, referre volumus. Quod nisi eo nomine virtutes continerentur, numquam ita per illud vulgatum esset[6], ut jam proverbii locum obtineret, hominem frugi omnia recte facere. Quod idem quum stoici de sapiente dicunt, nimis admirabiliter, nimisque magnifice dicere videntur.

XVII. Ergo is[1], quisquis est, qui moderatione et 37
constantia quietus animo est, sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quærimus, is est beatus: cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest. Quid enim vi-

stantem continentemque dicimus. Non dubito quin « alias modestum, alias constantem » huc inserserint librarii. Quum enim exadversus *moderatum*, notata varia lectione, scripserant priores *als modestum*; et exadversus *temperantem*, similiter *als constantem* (quod et inter lineas interdum fit) quatuor illas voces imperite Tullio tribuerunt posteri. Locum igitur sic lego; « quem quum moderatum, tum temperantem continentemque dicimus ». Adi lib. III, cap. 8. Davis. — Wopkens. Lectt. Tull. I, 16, hanc Davisii conj. non probat; Schützius tamen eam amplexus est, Wolfio vv. *alias constantem* servante. Neid. vv. *alias modestum* uncis includit, scribitque *tum temperantem*.

5. *Ad frugalitatis nomen.* Vide quæ diximus ad lib. III, cap. 8. Dav.

6. *Numquam ita per illud vulgatum esset.* Davisius scribit « numquam ita pervulgatum illud esset », sequentibus Oliv. Schutz. et Neid. observatque: Vatic. et Victor. *ita per illud vulgatum esset*, quam τμῆσιν probavit Janus Gebhardus, recepit autem Jac. Gronovius, quod eam a Ciceronis suavitate abesse non posse sit arbitratus. Varro R. R. lib. I, cap. 9: « Quæ sole perferve ita fit, ut radices satorum comburat ». A. Gellius N. A. lib. II, c. 18: « Socratique et Platoni per fuit familiaris ». Ac lib. XVIII, cap. 4: « Per, inquit, magister optime, exoptatus mihi nunc venis ». Plura sunt hujusmodi, quæ collegit G. J. Vossius Instit. Orat. lib. V, cap. 4, § 5. Hæc tamen numquam facient, ut ita Tullium scripsisse censeam; tales enim vocum divisiones non suavitatem præ se ferunt, sed rancidam vetustatem, quo tempore nauseam haud creavit illud Ennii: « saxo cere comminuit brum ». Vide Servium ad Æn. I, 416. Davis.

XVII. 1. *Ergo is.* Davis. scribit *hic* e Reg. Pith. et Med. Nobis *is* melior videtur, ob seqq. *quisquis est.*

deatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam quid[2] aut in studiis humanis, aut in tam exigua brevitate vitæ magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, ut ei nihil improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum?
38 Atque idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, ut semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atque angore vivendi, ut quemcumque casum fortuna invexerit, hunc apte et quiete ferat. Quod qui faciet, non ægritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem vacuus animus, perfecte atque absolute beatos efficit[3]; idemque concitatus, et abstractus ab integra certaque ratione, non constantiam solum amittit, verum etiam sanitatem. Quocirca mollis[4] et enervata putanda est peripateticorum ratio et oratio, qui perturbari animos necesse esse dicunt[5], sed adhibent modum quem-
39 dam, quem ultra progredi non oporteat. Modum tu

2. *Nam quid aut in studiis.* Si attendis ad orationis seriem, videbis illud *nam* supervacuum esse, et frustra impedire sententiam. Lege sine dubio « numquid aut in studiis ». Buherius emendabat *jam quid*, quod Schützius est amplexus. — Vide Servium ad Georg. IV, 445, et Donatum ad Terentii Phorm. act. I, sc. IV, 23. Dav.

3. *Beatos efficit.* Omnino legendum crediderim, « beatus efficitur », quum reliqua singulariter efferantur. Dav.

4. *Quocirca mollis ... nec amputanda sunt.* Sequitur jam uberior refutatio Peripateticorum, qui mediocritatem et utilitatem perturbationum et morborum animi probare studerent. Neid.

5. *Perturbari animos necesse esse dicunt.* Ita statuere Peripatetici; quod illi, cum reliquis vetustioribus philosophis, perturbationes naturales esse censuerunt, ut docet Cicero Acad. I, 10. Lactantius Div. Inst. VI, 15, περὶ τῶν παθῶν sic loquitur: « Hæc naturalia esse, non voluntaria, omnium viventium ratio demonstrat, quæ iisdem omnibus quatitur adfectibus. Peripatetici ergo rectius, qui hæc omnia detrahi negant posse, quia nobiscum simul nata sint ». Contra Stoici adfectus judicio et opinione susceptos putant, ideoque contendunt eos exstirpari posse radicitus. Hieronymus adv. Pelag. ad Ctesiph. p. 546: « Stoici perturbationes ..., asserunt exstirpari posse de mentibus, et nullam fibram radicemque vitiorum in homine

adhibes vitio[6]? an vitium nullum est, non parere rationi? an ratio parum[7] præcipit, nec bonum illud esse, quod aut cupias ardenter, aut adeptus efferas te insolenter? nec porro malum, quo aut oppressus jaceas, aut, ne opprimare, mente vix coustes? eaque omnia aut nimis tristia, aut nimis læta errore[8] fieri? qui si error stultis extenuetur die, ut, quum res eadem maneat[9], aliter ferant inveterata, aliter recentia; sapientes ne attingat quidem omnino. Etenim 40
quis erit tandem modus iste? Quæramus enim modum ægritudinis; in quo operæ[10] plurimum ponitur. Ægre tulisse P. Rupilium[11] fratris repulsam consulatus, scriptum apud Fannium est. Sed tamen transisse

omniuo residere, meditatione et assidua exercitatione virtutum ». Vide et Procem. Dial. adv. Pelag. pag. 554, ac Just. Lipsium Manud. lib. III, Diss. 7. Dav.

6. *Modum tu adhibes vitio?* Peripateticum aliquem sibi præsentem fingit, eumque alloquitur. Neid. — *An*, quod sequitur, valet « vel (*ou bien*) num vitium nullum est ». Dilemma est latens : si concedis vitium esse, nullus vitio modus adhibendus est : si non concedis, erras : nam, nonne vitium est non parere rationi? an ratio, etc.

7. *An ratio parum*. Nonne satis ratio docet? Neid.

8. *Errore*, opinione.

9. *Quum res eadem maneat*. Davisius scribit : « quum re eadem maneant », ex conj. Bentleii, Reg. et Pith. *maneant* exhibentibus, conferrique jubet hujus libri cap. 28.

10. *In quo operæ*. Davis. habet *in qua*, sed observat : Forsan *in quo*, sicut exhibent Eliens. Norvic. Froben. et Petrens. nec aliter Erasmus edidit. — *In quo* Oliv. Schütz. et Neid.

11. *P. Rupilium*. Sic pro vulg. *Rutilium* legi voluit Manutius, qui observat : Historia postulat, *Rupilium*, qui consul fuit anno Urbis 621, ut patet ex fastis Capitolinis. Tollendum idem mendum ex Plinio, lib. VIII, cap. 36. Ipsum etiam Ciceronem in Lælio tribus locis in eodem nomine correximus. Quod si quis mendosos etiam putat Capitolinos fastos; ego adversus hunc, tamquam negantem principia, non disputabo. Manutius. — Vide Pighii Annales, ad annum Urbis 623. — Manutium Wolf. Sch. et Neid. sequuntur, repugnat Davisius. Eamdem, inquit, historiam hisce verbis narrat Plin. H. N. lib. VII, c. 36 : « P. Rutilius morbo levi impeditus, nuntiata fratris repulsa in consulatus petitione, illico exspiravit ». Paullus quidem Manutius utrobique Rupilii nomen inculcat, ut designetur is, qui consul fuit A. U. C. 621. At unde constat P. Popillii Lænatis collegam hic intelligi? Omnes MSS vulgatam lectionem retinent, et eam movere temerarium videtur; præser-

videtur modum, quippe qui ob eam causam a vita recesserit: moderatius igitur ferre debuit. Quid si, quum id ferret modice, mors liberorum accessisset? Nata esset ægritudo nova; sed ea modica [12]: magna tamen facta esset accessio. Quid si deinde dolores graves corporis, si bonorum amissio, si cæcitas, si exsilium [13], si pro singulis malis ægritudines accederent? Summa ea fieret, quæ non sustineretur.

41 XVIII. Qui modum igitur [1] vitio quærit, similiter facit, ut si posse putet eum, qui se e Leucata præcipitaverit [2], sustinere se, quum velit. Ut enim id non potest; sic animus perturbatus et incitatus nec cohi-

tim quum Rutilii repulsam memorat Cicero de Orat. lib. II, cap. 69, ac in Bruto, pag. 272. Librariorum tamen vitio fit, ut uterque frater Publius nominetur. — *Ægre tulisse.* Argumentatur Cicero fere hoc modo: Fac, Rupilium, quum ejus frater repulsam tulisset, moderatius se gessisse, eodem tempore autem alias calamitates e. g. mortem liberorum illi accessisse; nonne ægritudinis magna facta esset accessio? Ubinam ergo fuisset modus, seu terminus? Nonne in majori calamitate etiam graviori eum premi necesse erat ægritudine? Ergo absurdum est, modum in perturbationibus constituere velle. Neid.

12. *Sed ea modica.* Sic codices. Lambinus correxit *etiamsi modica*, Bentleius, *sit ea modica*, quod Davis. edidit. Buberius legendum putabat: « quid si, quum id ferret modice, mors lib. accessisset, et nata esset ægritudo nova, sed ea modica? magna tamen, etc. »

13. *Si exsilium.* Post hæc vv. Wolf. et Neid. ponunt interrogationis notam, et post *accederent* virgulam; pessime. Certe illud ultimum *si* a praecedd. separari non debet.

XVIII. 1. *Qui modum igitur... nullo modo possunt.* § 42. Modum tenere in perturbationibus etiam impossibile est, et perturbationes, quæ sunt crescentes perniciosæ, eædem sunt vitiosæ nascentes. Neid.

2. *Qui se e Leucata præcipitaverit.* Alii *Leucate*, vel *Leucade.* Perperam Cantabr. « qui se e rupe præcipitaverit ». In nostra lectione consentiunt reliqui MSS, quibus ipse sum obsequutus. Maro Æn. III, 274: « Mox et Leucatæ nimbosa cacumina montis »: ubi Servius, « Leucata, inquit, est mons altissimus prope peninsula, in promontorio Epiri, juxta Ambraciam sinum et civitatem ... De hoc Leucate amatores se in mare, ad excludendum amorem, præcipitare dicebantur ». Vide et Ciceronem ad Attic. lib. V, Epist. 9, et Senec. Hippol. vs. 1014. L. Ampelius lib. memor. cap. 8: « Leucade mons, unde se Sappho dejecit propter virum »; scribendum « Leucate mons ». Editt. « qui se e Leucade præcipitaverit ». A nonnullis quidem mons ille Leucas nomi-

bere se potest, nec, quo loco vult, insistere[3] omnino: quæque crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Ægritudo autem, ceteræque pertur- 42
bationes, amplificatæ certe pestiferæ sunt. Igitur etiam susceptæ, continuo in magna pestis parte versantur. Etenim ipsæ se impellunt, ubi semel a ratione discessum est; ipsaque sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur imprudens, nec reperit locum consistendi. Quamobrem nihil interest, utrum moderatas perturbationes approbent, an moderatam injustitiam, moderatam ignaviam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. Quod quum ipsum per se odiosum est, tum eo molestius, quia sunt in lubrico, incitataque semel proclive[4] labuntur, sustinerique[5] nullo modo possunt.

XIX. Quid? quod[1] iidem peripatetici perturba- 43
tiones istas, quas nos[2] exstirpandas putamus, non

natur; sed eam formam hoc in loco codices aversantur. Adi Strabonem Geogr. lib. X, pag. 452. DAV.

3. *Nec, quo loco vult, insistere omnino: quæque crescentia.* Sic vulgo: at Bak. habet « nec quo loco vult insistere : omninoque quæ crescentia ». Elegantius multo, Ciceroneque dignius. Quod quum ita sit, nos eam recepimus lectionem. DAV. — Schütz. et Neid. cum Davisio faciunt.

4. *Proclive labuntur.* Vulgg. *in proclive;* Cantabr. *in proclivi.* Pall. pr. quint. Med. Bak. *proclive;* sec. tert. quart. Vatic. Reg. Pith. et Fabric. *proclivi*, ac vix dissentit Petrens. in quo est *proclivis.* Sive *proclive*, sive *proclivi* scribas, nihil omnino refert; nam utrumque rectum. Lucretius lib. II, pag. 203 : « Et procursus item proclive volubilia exstat ». Sic codex Bertin. Editt. *in proclive.* Cicero de Fin. lib. V, cap. 28 : « Proclivi currit oratio »; ita enim legendum, non *proclivius*, ut fidem faciunt Pall. omnes et MS 400. A. Gellius Noct. Att. lib. X, cap. 24 : « Sane quam consuetum iis veteribus fuit literis his plerumque uti indifferenter, sicut præfiscini et præfiscine, proclivi et proclive ». Eadem repetit Macrobius Saturn. lib. I, cap. 4, pag. 141. Hæc Davis. in prima ed. qui postea in tertia dedit *proclivi*, quod Wolfius secutus est.

5. *Sustinerique. Sustinereque se* MS Leid. probante Buherio.

XIX. 1. *Quid? quod ... quid ad ista.* Recensentur ea, quæ Peripatetici ad defendendas perturbationes afferre solent. Apologia iracundiæ (§ 43), libidinis (§ 44), ægritudinis ejusque partium (§ 45), metus (§ 46). NEID.

2. *Nos.* Academici, vestigia Stoicorum sequentes.

modo naturales esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas? Quorum est talis oratio. Primum multis verbis iracundiam laudant[3]; cotem fortitudinis esse dicunt; multoque et in hostem, et in improbum civem vehementiores iratorum impetus esse; leves autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent[4]: « Prælium rectum est hoc fieri; convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria ». Hæc nullam habent vim[5], nisi ira excanduit fortitudo. Nec vero de bellatoribus solum disputant: imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiæ: quæ etiam si non adsit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur, ut auditoris iram oratoris incendat actio. Virum denique videri negant, qui irasci

3. *Iracundiam laudant; cotem fortitudinis esse dicunt*, etc. Noster distinctionem, quam supra cap. 12 posuit, sibi non duxit observandam; iracundia enim non ὀργιλότητα, quam malum esse statuit Aristoteles, sed iram, θυμὸν, hic denotat. Sic pro P. Sextio, cap. 2: « Quantum et pio dolori et justæ iracundiæ concedendum putetis ... Neque iracundia magis ulla laudanda, quam ea, etc. » Sed de hac vocis illius potestate, ut et de ipsa re quam Tullius agit, vide M. A. Muretum ad lib. I Off. c. 25. Nos quædam illi non tacta proferemus. Lactantius Div. Inst. lib. VI, cap. 19: « Peripatetici ... iram cotem dicunt esse virtutis, tamquam nemo possit adversus hostes fortiter dimicare, nisi fuerit ira concitatus ». Vel ad hunc ipsum locum respicit, vel ad hujusce libri cap. 21, ubi « ardores animorum, cotesque virtutum » memorat. Seneca de Ira, lib. III, cap. 3: « Stat Aristoteles defensor iræ, et vetat illam nobis exsecari ». Calcar *ait esse* virtutis: « hac erepta, inermem animum et ad conatus magnos pigrum inertemque fieri ». Aristoteli facem prætulit vetus Academia. Cicero Acad. II, 44: « Illi quidem etiam utiliter a natura dicebant promotiones istas animis nostris datas .... ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant ». Et sane τόδε τὸ κίνημα τῆς ψυχῆς ὡς ἀνδρῶδές τι καὶ γεννικὸν ἐπαινεῖσθαι testatur Themistius Orat. I, pag. 7. Dav.

4. *Qui ita cogitarent.* Sc. tranquilli, placidi, nullo sensu vehementiore commoti talem forte secum orationem haberent.

5. *Hæc nullam habent vim.* Sic codices: Bentleius tamen corrigit *habere*, quia adhuc loquuntur peripatetici; eumque Davisius sequitur. Idem

nesciat[6]; eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant[7].

Nec vero solum hanc libidinem laudant (est enim 44
ira[8], ut modo definivi, ulciscendi libido), sed ipsum illud genus[9] vel libidinis, vel cupiditatis ad summam utilitatem esse dicunt a natura datum : nihil enim quemquam, nisi quod libeat, præclare facere posse. Noctu ambulabat in publico Themistocles, quod somnum capere non posset; quærentibusque respondebat, Miltiadis tropæis se e somno suscitari[10]. Cui non sunt auditæ Demosthenis vigiliæ? qui dolere se aiebat[11], si quando opificum antelucana victus esset

facit Schützius, qni in proximia scribit *exeandverit.*

6. *Nesciat.* Davis. *nesciet* e Reg. Pith. Balliol.

7. *Eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant.* Aristoteles Ethic. lib. II, cap. 7 : Ἔστι δὲ καὶ περὶ ὀργὴν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις καὶ μεσότης ... Τὴν μεσότητα, ΠΡΑΟΤΗΤΑ καλέσομεν· τῶν δ' ἄκρων, ὁ μὲν ὑπερβάλλων, ΟΡΓΙΛΟΣ ἔστω, ἡ δὲ κακία ΟΡΓΙΛΟΤΗΣ· ὁ δὲ ἐλλείπων ΑΟΡΓΗΤΟΣ τις, ἡ δ' ἔλλειψις ΑΟΡΓΗΣΙΑ, quam Noster *lentitudinem* reddit. Hæc antem Ciceronis verba profert Nonius in *lentitudine*, nec a recepta lectione discedit, ut nesciam quid sibi velint Beroaldus, Lambinns et Fabricius, quibus grammaticus ille *lenitudinis* nomen hic videtur agnoscere. Dav.

8. *Est enim ira ... ulciscendi libido.* Ad hunc locum respicit Lactantius de Ira Dei, c. 17, ad finem. Dav.

9. *Sed ipsum illud genus.* Libidinem, tamquam genus, sub quo iracundia tamquam species continetur, defendunt Peripatetici dicentes : nihil quemquam, nisi quod libeat, præclare facere posse. Hoc probare nituntur allegando exempla Themistoclis, Miltiadis, Demosthenis, Pythagoræ, Democriti, Platonis. Nein.

10. *Miltiadis tropæis se e somno suscitari.* Bak. noster, « Miltiadis tropæa se e somno suscitare »; nec aliter multi codices, ad vocem ultimam quod attinet. Sed perinde est. Valerius Maximus, lib. VIII, cap. 14, 1, ext. « Themistoclem ferunt stimulis virtutum agitatum, et ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus quid eo tempore in publico versaretur, respondisse : Quia me tropæa Miltiadis de somno excitant. Marathon nimirum animum ejus et Artemisium et Salamis ... tacitis facibus incitabant ». At Plutarchus in Theseo, t. I, p. 3, et in Themistocle, p. 113, eum dixisse testatur, ὡς καθεύδειν αὐτὸν οὐκ ἐῴη τὸ τοῦ ΜΙΛΤΙΑΔΟΥ ΤΡΟΠΑΙΟΝ. Quo sola Marathonia designatur victoria. Sic et in Apophthegm. tom II, pag. 185. Dav.

11. *Dolere se aiebat, si quando opificum.* Hieronymus adv. Rufinum, lib. I, cap. 4, pag. 495 : « Demosthenes plus olei quam vini expen-

industria. Philosophiæ denique ipsius principes numquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. Ultimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus. Ubi enim quid esset[12], quod disci posset, eo veniendum judicaverunt. Num putamus hæc fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse?

45 XX. Ipsam ægritudinem, quam nos ut tetram et immanem belluam, fugiendam esse diximus[1], non sine magna utilitate a natura dicunt constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis affici se in delicto dolerent. Impunitas enim peccatorum data videtur eis, qui ignominiam[2] et infamiam ferunt sine dolore. Morderi est melius conscientia. Ex quo est illud e vita[3] ductum ab Afranio[4]. Nam quum dissolutus filius,

Heu me miserum!

tum severus pater,

disse dicitur, et omnes opifices nocturnis semper vigiliis prævenisse ». Prius ipse confitebatur Demosthenes, ἐρωτηθεὶς γάρ, πῶς τῆς ῥητορικῆς περιεγένου; πλέον, ἔφη, ἔλαιον οἴνου δαπανήσας. Huc refert Aristoteles apud Stobæum Serm. XXIX, pag. 206. Plutarchus in Demosth. t. II, p. 848: Ἱστοροῦσι δὲ ὡς οὐδὲ λύχνον ἔσβεσεν, ἄχρι πεντήκοντα ἐτῶν ἐγένετο, διακρίνων τοὺς λόγους. Hinc αὐτοῦ τὰ ἐνθυμήματα ἐλλυχνίων ὄζειν, exprobravit Pytheas. Vide sis inter alios Ælianum V. H. VII, 7. Dav.

12. *Ubi enim quid esset.* Vulgo *quidquid esset;* quod tam absordum est, ut mihi vitium typographicum videretur, nisi sic edidisset etiam Victurius. Nos igitur Bak. editosque veteres sequimur. Certe *quidquid* hic idem quod *quidque* deootare non potest, ut apud Lucretium, II, 956, V, 1387, 1453. Nec *quidquam*, prout arbitror, ullibi significat; licet alia meos sit Ob. Gifanii Observ. in L. L. pag. 205. Dav. — Ern. Wolf. Schütz. et Neid. cum Davisio faciunt.

XX. 1. *Fugiendam esse diximus.* Davisius MSS fide sostulit *esse;* in eoqoe seqoontur illum Wolf. et Neid.

2. *Ignominiam.* Alii *et ignominiam*, contra multos MSS.

3. *Illud e vita ductum.* Sic omnes MSS: quibus invitis, Lambinus edidit *illud scite dictum.* Si tanta licentia grassari sit concessom, nihil in Veterum libris erit sacri, nihil intaminati. Davis. — *E vita*, ex usu vitæ. Neid.

4. *Ab Afranio.* Poeta fuit hic conditor togatarum clarissimus, de quo

Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet [5].

Reliquas quoque partes ægritudinis, utiles esse dicunt, misericordiam ad opem ferendam, et calamitates hominum indignorum[6] sublevandas; ipsum illud æmulari, obtrectare, non esse inutile, quum aut se non idem videat consequutum, quod alium, aut alium idem, quod se; metum vero si quis sustulisset, omnem vitæ diligentiam sublatam fore, quæ summa esset[7] in eis, qui leges, qui magistratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui mortem, qui dolorem timerent. Hæc tamen ita disputant, ut resecanda esse fateantur, evelli penitus dicant nec posse, nec opus 46

Horatius, « Dicitur Afrani toga convenisse Menandro » : hunc ait Quintilianus inquinasse argumenta fœdis amoribus puerorum. Inducebatur ab Afranio in fabula dissolutus filius, qui castigatus a patre et conscientia teste affectus ita dolenter loquitur : *Heu me miserum!* quo audito pater lætatus, quod filium dolentem ex delicto videbat, subjungit « Doleat quod libet, dummodo aliquid doleat », ostendens ægritudinem salubriter constitutam esse. Hoc Afranianum usurpat in Epist. ad Attic. quum ait : « Sed tamen dummodo doleant aliquid, doleant quod libet. ». Beroald.

5. *Quod lubet*. Davis. e Reg. et Pith. *quid lubet*, sequentibus Schütz. et Neid. Bentleius observat hæc Afranii verba unum trochaicum constituere.

6. *Calamitates hominum indignorum*. Minime meritorum, ut talia paterentur. Erasmus enim male dedit *indigorum*, quod est in MSS Reg. et Leid. Plautus Curc. act. IV, sc. II, 23 : « Indignis si male dicitur, maledictum id esse dico ». Ovidius Metam. I, 631 : « . . . indigno circumdat vincula collo ». Et IV, 138 : « Percutit indignos claro plangore lacertos ». Sic quum alibi, tum XIII, 141; Heroid. V, 8; Art. Am. III, 708, et Fast. II, 780. Martialis I, Ep. 79 : « Indignas premeret pestis quum tabida fauces ». Vide et Pedonem Eleg. I, 49, ac Lambinum ad Horatii Serm. lib. II, Eclog. II, 103. Dav. — Aristoteles Rhetoric. II, 10, ἔστω δὴ ἔλεος, etc. quorum hic fere sensus est : Dicamus igitur misericordiam ægritudinem quamdam esse, exortam ex eo, quod malum esse videatur, atque eorum generum malum, quæ aut ad interitum perducant, aut dolorem cruciatumque afferant : in eoque positum sit, qui illa fortuna *indignus* videatur. Stoici homines, illiusque familiæ principes, ita misericordiam definierunt, ut a sententia Aristotelis non discreparent. Victor.

7. *Quæ summa esset in eis . . . qui dolorem timerent*. An igitur omnibus, qui paupertatem ceteraque quorum meminit Noster timent, æqualis inest vitæ diligentia? nam *summo* certe nihil superius. Forsan Cicero scripsit *quæ multa esset in eis*. Cl. autem

esse: ut in omnibus fere rebus[8] mediocritatem esse optimam existiment. Quæ quum exponunt, nihilne tibi videntur, an aliquid dicere[9]? — Aud. Mihi vero dicere aliquid; itaque exspecto, quid ad ista[10].

47 XXI. Cic. Reperiam fortasse[1]: sed illud ante[2]. Videsne, quanta fuerit apud academicos verecundia[3]? Plane enim dicunt[4], quod ad rem pertineat. Peripateticis respondetur a stoicis. Digladientur illi, per me licet: cui[5] nihil est necesse, nisi ubi sit illud, quod verisimillimum videatur, anquirere. Quid est igitur, quod occurrat in hac quæstione, quo[6] possit attingi aliquid verisimile[7], quo longius mens humana pro-

Bentleius reponit, « quæ nulla esset in eis ... qui dolorem non timerent ». Davis. — Eo Cicero defenditur quod non dixit *summa est*, sed *summa esset*, quasi optative, pro *summa esse debet*.

8. *Ut in omnibus fere rebus*. Davis. scribit *et in omnib. f. r.* e Reg. Pith. Med. Bak. et Balliol. eumque Schütz. et Neid. sequuntur.

9. *An aliquid dicere?* Quod attentione dignum sit. Nein.

10. *Ad ista*, contra ista.

XXI. 1. *Reperiam fortasse ... nec amputanda sunt.* Refellit jam Cicero singula, quæ Peripatetici ad utilitatem et mediocritatem perturbationum defendendam in antecedentibus dixerant. Contra utilitatem iracundiæ disseritur § 48—55, libidinis § 55, æmulationis, misericordiæ, obtrectationis, ægritudinis § 56, contra mediocritatem § 57. Neid.

2. *Illud ante*. Se. monendum esse videtur. Nein.

3. *Verecundia*. Moderatio in disputando. Nein.

4. *Plane enim dicunt*. Nihil admiscendo, quod ægre adversarii ferre possint; secus Stoici. Ern.

5. *Cui*. Quum mihi tamquam Academico. Nein.

6. *Quo possit att.* Vulgo edebatur *e qua*. Bentleius *qua*, adverbium scilicet, reponendum censuit; quod Davisius edidit. P. Manutius correxerat *e quo*; eumque Oliv. sequitur. Schütz. Neid. *quo*. — Sensus esse videtur: Ut ad veritatem quam proxime accedatur in disquirendo, necesse est, ad prima principia progrediatur. Talia sunt sane definitiones; sunt enim notiones rei distinctæ ac plenæ, ex quibus singula criteria rursus analytice elici possunt. Ex criteriis, quæ definitionibus perturbationum, quas Stoici exhibent, includuntur, sequitur falsa esse ea, quæ Peripatetici de earum utilitate dicunt. Nein. — Intell. quid est in hac quæstione quod nos ad verisimile adducere possit? dico ad verisimile, non ad verum: nam ultra verisimile mens humana progredi non potest.

7. *Verisimile, quo ... non potest.* Hoc erat dogma Academicorum.

gredi non potest? Definitio perturbationis : qua recte Zenonem usum puto. Ita enim definit, ut perturbatio sit adversa ratione[8], contra naturam, animi commotio; vel brevius, ut perturbatio sit appetitus vehementior; vehementior autem intelligatur is, qui procul absit a naturæ constantia. Quid ad has defi- 48
nitiones possim[9] dicere? Atqui hæc pleraqie[10] sunt prudenter acuteque disserentium : illa[11] quidem ex rhetorum pompa, «ardores animorum, cotesque virtutum». An vero vir fortis, nisi stomachari cœperit[12], non potest fortis esse? Gladiatorum[13] id quidem. Quamquam in eis ipsis videmus sæpe constantiam. Colloquuntur, congrediuntur, queruntur, aliquid postulant, ut magis placati, quam irati esse videantur. Sed in illo genere[14] sit sane Pacideianus[15] aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius :

8. *Adversa ratione.* Davis. scribit « aversa a ratione ». Vulgata, inquit, per se proba est. Sed quum plures codices dent « adversa a ratione », vel « aversa ratione », lectionem repræsentavi, quam secuta est Erasmus, nos in Med. invenimus, et in Maffæi libro repertam probavit Manutius. Quin et in hac definitione Noster eamdem φράσιν adhibet supra cap. 6. Vide et cap. 15. DAV. — Cum Davisio Buher. Oliv. Wolf. Schütz. et Neid. faciunt.

9. *Possim dicere.* Bentleius quem sequuntur Davis. et Neid. corrigit *possint*, id est, Peripatetici; sed certe altera lectio melior est : nam h. l. Peripateticos non impugnat; exponit rationes cur Academici Stoicos potius hac in quæstione sequantur. Melius ergo ad Academicos, quorum personam hic Cicero agit, hæc sententia referatur; quasi diceret : quum nos Academici audimus Stoicos sic perturbationem definientes, nos qui hac in disputatione nullo alio studio quam probabilitatis et verisimilis inveniendi movemur, quid possumus ad has definitiones dicere?

10. *Hæc pleraque.* Quæ Stoici protulerunt ad curatius definiendas perturbationes. NEID.

11. *Illa.* Quæ afferunt Peripatt. quum de perturbationibus loquuntur, quasi e superficie desumpta, rem intactam relinquunt; modo rhetoricis flosculis ac declamationibus splendent. NEID.

12. *Cœperit.* Davis. *cœpit*, e Reg. Pith. Med.

13. *Gladiatorum id quidem.* Sic Pith. Med. et Buk. Vulgo *gladiatorium*. In proximis Bentleius malebat « queruntur aliquid, expostulant ». DAV.

14. *In illo genere.* Qui fortes esse nequeunt, nisi prius stomachari cœperint. NEID.

15. *Pacideianus aliquis.* Aliis *Pla-*

Occidam illum equidem, et vincam, si id quæritis, inquit:
Verum illud credo fore, in os prius accipiam ipse[16],
Quam gladium in stomacho, sura, ac pulmonibu' sisto[17].
Odi hominem; iratus pugno; nec longiu' quidquam
Nobis[18], quam dextræ gladium dum accommodet alter:
Usque adeo studio[19] atque odio illius efferor ira.

49 XXII. At[1] sine hac gladiatoria iracundia videmus progredientem apud Homerum Ajacem multa cum hilaritate, quum depugnaturus esset cum Hectore: cujus, ut arma sumpsit, ingressio lætitiam attulit sociis, terrorem autem hostibus: ut ipsum Hectorem,

cideianus. Vide Lambinum ad Horatii Serm. lib. II, Eclog. VII, 97. Dav.— Exstat et aliud fragmentum Lucilii apud Non. IV, 64, de hoc Pacideiano: « Cum Pacideiano hic componitur optimu' longe Post homines natos gladiator, qui fuit unus ». Neid.

16. *Accipiam ipse*. Nihil video melius conjectura Scaligeri, rescribentis: *occipiam ipse*. Buhérius. — *In os prius accipiam*. Ictum subintelligere solent. Ego locum non satis intelligo. Neid. — Loci sensum Bentleius esse vult Pacideianum dicere se metuere, utpote ira æstuantem nec sui jam compotem, ne prius ab adversario ipse feriatur, quam gladium suum in ejus pectus infixerit.

17. *Quam gladium in stomacho, sura, ac pulmonibu' sisto*. Liberior est Joa. Scaligeri conjectura, cui placet, « Quam gladium stomacho, sicam pulmonibu' sisto ». Vulgari lectione in reliquia servata, Turnebus Advers. VII, 18, reponit « fibra ac pulmonibu' sisto », uti jecur prima voce denotetur; vel etiam *lura*, ut os ventriculi, qui ceu utria aut culeus quidam est, intelligatur; ac posterior quidem sententia D. Lambinum fautorem reperit. Jano Douzæ Plaut. Expl. lib. I, cap. 22, arridet *hira*, quæ intestinum est jejunum. At vero quum in Fabric. Pal. quart. et Cantabr. legatur *furia*, rescripserim « quam gladium in stomacho Furi ac pulmonibu' sisto », ut gladiator, qui cum Pacideiano componitur, Furius Æserninus sit nominatus. Et « irascentium est uti proprio nomine », si verax est Servius ad Æn. I, 144. Utcumque sit, recepta scriptura prorsus videtur inducenda; quippe *sura* a stomacho et pulmonibus nimium distat, nec lethalia sunt in ea parte vulnera. Dav. — Bentleius mallet *furiæ*, ita ut Pacideianus hoc nomine adversarium appellet. Buherius conjecit *Fulvi*, quia Fulvium gladiatorem cum Pacideiano componit Horatius II, sat. VII, 96. Wolf. et Neid. Bentleium sequuntur.

18. *Nec longiu' quidquam Nobis*. Statim pugnam inibimus simul ac uterque nostrum gladium ceperit. Neid.

19. *Usque adeo studio*. Laudat Servius ad Æn. VII, 646. Dav.

XXII. 1. *At sine hac gladiatoria*. Vulgo *ac sine hac*. Nos Med. Petrens. et veterum editorum fidem sequuti sumus, id quod res ipsa postulat. Sed hoc leviculum. Versus autem Homerici, quos in animo Noster habuit,

quemadmodum est apud Homerum, toto pectore tre-
mentem [2] provocasse ad pugnam pœniteret. Atque hi
colloquuti inter se, priusquam manum consererent,
leniter et quiete, nihil ne in ipsa quidem pugna ira-
cunde, rabioseve fecerunt. Ego ne Torquatum [3] qui-
dem illum, qui hoc cognomen invenit [4], iratum exi-
stimo Gallo torquem detraxisse; nec Marcellum apud
Clastidium [5] ideo fortem fuisse, quia fuerit iratus. De 50
Africano quidem, quia notior est nobis propter recen-
tem memoriam, vel jurare [6] possum, non illum ira-
cundia tum inflammatum fuisse, quum in acie M. Ha-
lienum [7] Pelignum scuto protexerit, gladiumque hosti
in pectus infixerit. De L. Bruto fortasse dubitarim, an
propter infinitum odium tyranni effrenatius in Arun-

hi sunt : Αἴας ὦρτο πελώριος, ἕρκος Ἀχαιῶν, Μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι· νέρθε δὲ ποσσὶν Ἤϊε μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος. Τὸν δὲ καὶ Ἀργεῖοι μέγ' ἐγήθεον εἰσορόωντες. Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον· Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν. Exstant Iliad. Η, 211, seqq. Dav.

2. *Toto pectore trementem.* Hoc non est apud Homerum, nec ibi reperere Veteres, Plutarchus (de aud. Poet. cap. 10, pag. 64, ed. Krebsii); Dionys. Hal. (περὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως §16), ut docet Clark. ad Homerum l. c. 216. Trojani tremebant, non Hector (αὐτῷ, enim, θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν, Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον). Cicero tamen sic accepisse videtur. Ern.

3. *Torquatum.* Vide lib. VII, 10.

4. *Qui hoc cognomen invenit.* I. e. qui primus torque detracto sibi et omnibus e gente sua cognomen acquisivit. Neid.

5. *Apud Clastidium.* Juxta Eridanum; Marcellus occidit Gallorum regem, quem Plutarchus Britomarum, alii Viridomarum appellant.

6. *Jurare.* Alii *putare.*

7. *M. Halienum.* Davisius scribit *Allienum*, observatque : Ut priores illæ, quas tetigit Noster, historiæ sunt notissimæ; ita hujusce facti nulla restat apud alios scriptores memoria. Vulgatam tamen lect. quæ *M. Halienum* præfert, mutare nullus equidem dubitavi : nam codex Vatic. *Mallienum*; alii *M. Alienum* repræsentant. Sed *M. Allienum* reponendum esse recte monuit Ursinus, auctoritate veterum denariorum fretus. Id sane nomen est romanum. Sic apud Gruterum, pag. CCXLI, memoratur *C. Allienus Epigonus.* Ac pag. CXXVIII, 3, *Ti. Allieni Sicini Quintiani* fit mentio. Vide et pag. CCCXLIX, 7, ac Ciceronem Divin. in Cæcil. cap. 15. — Wolf. Schütz. et Neid. Davisium sequuntur.

tem[8] invaserit : video enim utrumque cominus ictu cecidisse contrario. Quid igitur huc adhibetis iram? an fortitudo, nisi insanire cœperit, impetus suos non habet? Quid? Herculem, quem in cælum ista ipsa, quam vos iracundiam esse vultis, sustulit fortitudo, iratumne censes conflixisse cum Erymanthio apro, aut leone Nemeæo? an etiam Theseus Marathonii[9] tauri cornua comprehendit iratus? Vide, ne fortitudo minime sit rabiosa, sitque iracundia tota levitatis. Neque enim est illa[10] fortitudo, quæ rationis est expers.

51 XXIII. Contemnendæ[1] res sunt humanæ; negligenda mors est; patibiles et dolores, et labores putandi. Hæc quum constituta sunt judicio atque sententia, tum est robusta illa, et stabilis fortitudo : nisi forte quæ vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. Mihi ne Scipio quidem ille, pontifex maximus, qui hoc stoicorum verum esse declaravit, « numquam privatum esse sapientem[2] », iratus videtur fuisse Tib. Graccho, tum, quum consulem[3] languen-

8. *In Aruntem inv.* Vid. Liv. II, 6.

9. *Marathonii tauri.* Theseus « taurum, qui fuit Marathone, quem Hercules a Creta ad Eurystheum adduxerat, occidit », ut ait Hyginus Fab. 38. Hinc Ovidius Metam. VII, vs. 435 : « ... Te, maxime Theseu, Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri ». Paullo aliter Diodorus Siculus Bibl. lib. IV, p 262, et Plutarch. in Thes. pag. 5, quos si lubet vide. Davis.

10. *Illa fort.* Alii, *ulla fort.* Male.

XXIII. 1. *Contemnendæ res sunt.* Postquam ostendit, fortissima facta non ab iracundia proficisci, docet, quibus affectionibus nitatur vera fortitudo. Neid. — *Sunt.* Alii, *sint.*

2. *Numquam privatum esse sapientem.* Inepte Ven. 1491, Froben. aliique veteres editi repræsentant « numquam iratum esse sap. » Receptam lect. præstant multi MSS, et in his Norvic. a prima manu Petreus. — Ita loquitur, quod pro Stoicorum sententia solus sapiens est magistratus, solus rex, solus consul, etc. Adiri possint Horatius Serm. lib. I, Ecl. III, 124; Lucianus vit. Auct. tom. I, p. 382, et in Hermot. pag. 516; Victorius Var. Lect. XI, 24, et Lipsius Manud. lib. III, Diss. 17, et Cic. Parad. Dav.

3. *Tum, quum consulem languentem reliquit.* Consul erat Mucius Scævola a quo Scipio Nasica petiit ut opem ferret reip. Gracchumque tolleret; ἀποκριναμένου δὲ πρᾴως ἐκείνου, βίας μὲν οὐδεμιᾶς ὑπάρξειν, οὐδ᾽ ἀναιρήσειν οὐδένα τῶν πολιτῶν ἄκριτον, εἰ μέντοι ψηφίσαιτό τι τῶν παρανόμων ὁ δῆμος ὑπὸ Τιβερίου (Γράκχου) πεισθεὶς

tem reliquit, atque ipse privatus, ut si consul[4] esset, qui rempublicam salvam esse vellet, se sequi jussit. Nescio, ecquid ipsi nos fortiter[5] in republica feceri- 52
mus: si quid fecimus, certe irati non fecimus. An est quidquam[6] similius insaniæ, quam ira? quam bene Ennius initium dixit insaniæ. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum, quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? quid Agamemnone, in jurgio[7]? Nam Ajacem[8] quidem ira ad furorem mortemque perduxit. Non igitur desiderat fortitudo advocatam iracundiam[9]: satis est instructa, armata, parata per sese[10]. Nam isto modo quidem licet dicere, utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod et insani, et ebrii multa faciunt sæpe vehementius. Semper Ajax fortis; fortissimus tamen in furore:

Nam facinus fecit maximum[11], quum, Danais inclinantibus,

ἢ βιασθεὶς, τοῦτο κύριον μὴ φυλάξειν· ἀναπηδήσας ὁ Νασικᾶς, Ἐπεὶ τοίνυν, ἔφη, προδίδωσιν ὁ ἄρχων τὴν πόλιν, οἱ βουλόμενοι τοῖς νόμοις βοηθεῖν, ἀκολουθεῖτε, quæ verba sunt Plutarchi tom. I, p. 883. Melius vero Appian. Bell. Civ. I, p. 613: Κορνήλιος Σκιπίων ὁ Νασικᾶς ἐβόα μέγιστον, Ἕπεσθαί οἱ τοὺς ἐθέλοντας σώζεσθαι τὴν πατρίδα. Dixit enim Scipio, « Qui remp. salvam esse vult, me sequatur ». Ea certe forma fuit, qua Romanus in tumultu vel alio repentino casu usos fuisse testatur Servius ad Æneid. VII, 614, et VIII, 1. Davis.

4. *Privatus, ut si consul esset.* Perinde ac si consul fuisset. Nempe summus erat pontifex: nec id munus inter magistratus habebatur.

5. *Ipsi nos fortiter*, etc. In detegenda conjuratione Catilinaria. Ann. Urb. C. 690. Neid.

6. *An est quidquam... insaniens.* Iracundia est similis insaniæ, quam si defendas, eodem jure et vinolentiam, dementiam defendere possis. Neid.

7. *In jurgio.* Homerus Iliad. A, 122, seqq. hoc refert jurgium. Dav.

8. *Ajacem.* Quum Achillis arma Ulyssi adjudicata essent, iratus ipse se gladio suo interfecit. Hom. Odyss. XI, 542—563. Furor ejus passim tragicis in primis Sophocli materiam suppeditavit. Neid.

9. *Advocatam iracundiam.* I. e. opem iracundiæ. Neid.

10. *Armata, parata per sese.* Davis. transponit « parata, armata per sese » e Reg. Pithœan. Med. Bak. et Balliol. sequuntur Schütz. et Neid.

11. *Nam facinus fecit maximum.* Iliad. lib. I. Sed de Ajace, ex aliqua latina tragœdia adductus, locus id innuit: sic introductum Ajacem fuisse,

Summam rem perfecit manus [12], prælium r estituit insaniens.

53 Dicamus igitur utilem insaniam [13]. Tracta definitionem [14] fortitudinis; intelliges, eam stomacho non egere [15].

XXIV. Fortitudo est igitur, affectio animi legi summæ [1] in perpetiendis rebus obtemperans; vel conser-

ut insaniens cum hostibus manum conserens, illos in fugam verteret. Quod et Philostratus in Ajace significare videtur, a græcis tragicis factum esse. CAMERAR. — Quum incendium a navibus avertit vimque hostium repressit. Iliad. XV, sub fin. NAIN. — Alii dicunt se ignorare ad quam Ajacis rem gestam hi versus pertineant.

12. *Summam rem perfecit manus.* Mart. Delrius et D. Lambinus edunt « summam rem erexit, prælium quum restituit insaniens »; nec aliter Fr. Fabricius, qui vulgatam scripturam ex hujus depravatione contendit irrepsisse. Haud equidem diffiteor metrum huic legendi modo non adversari, codices vero minime suffragantur, unde rejiculus est habendus. Ven. 1491 : « Summam rem perfecit, Marius præl. quum restituit insaniens ». Froben. « majus prælium ». Petreus. « Summam rem perfecit manu majus, prælium restituit insaniens ». Quum alii scriberent « Summam rem perfecit manu », alii, « Summam rem perfecit manus », utramque lectionem exhibet ille MS, nisi quod posterior male sit exarata. A priore stat Hadr. Turnebus Advers. lib. VII, cap. 18. Sed eam non admittit carminis ratio. Sic scribe « Summam rem perfecit manu', prælium restituit insaniens », qui versus, ut et præcedens, Iambicus est octonarius, si *prælium* in duas syllabas coalescat. DAVIS. — Bentleius correxit « Summam rem perfecit manu, rem restituit insaniens ». Schützius post Wolfium « Summ. r. p. manu, restituit prælium insaniens ». Neid. eos in hoc tantum sequitur, quod scribit *manu*, et id omnino reponendum J. V. L. judicat.

13. *Insaniam.* Davis. Oliv. Neid. h. l. interrogationis notam ponunt. — *Dicamus igitur ... fortiter facere posse.* E definitionibus Stoicorum, quas diversas de fortitudine exhibent, sane elici non potest, insaniam ei necessariam esse. Subjiciuntur variæ fortitudinis definitiones. NAIN.

14. *Definitionem.* Davis. *definitiones.* Ita, inquit, recte Pithœan. et Reg. nam Cicero plures definitiones statim subjicit.

15. *Stomacho non egere.* Stomachus hic iram denotat, ut et alibi apud Ciceronem. Sic μῆνιν Πηληϊάδεω Horatius lib. I, Od. 6, « Pelidæ stomachum » vertit. Quintilianus Inst. Orat. lib. X, cap. 1 : « Cassius Severus plus stomacho quam consilio dedit ». Vide et Senecam Epist. 112. Hinc *stomachum digerere*, pro eo quod est iram effundere, dixit Hieronymus in Epitaph. Marcellæ, pag. 123. DAVIS. — *Stomacho.* Stomachum ventriculum (κοιλίαν) proprie Romani dixerunt, qui ob irritabilem naturam in primis ex infusa bile pro sede iracundiæ habebatur. Unde locutio : « movere stomachum ». Vid. Jani ad Horat. Od. I, XVI, 16. NAIN.

XXIV. 1. *Legi summæ.* Sc. rationis. NAIN.

vatio stabilis judicii in eis rebus, quæ formidolosæ videntur, subeundis, et repellendis; vel sciëntia rerum formidolosarum, contrariarumque, perferendarum [2], aut omnino negligendarum, conservans earum rerum stabile judicium; vel brevius, ut Chrysippus. Nam superiores definitiones erant Sphæri, hominis in primis bene definientis, ut putant stoici : sunt enim omnino omnes [3] fere similes; sed declarant communes notiones [4], alia magis alia. Quo modo igitur Chrysippus? Fortitudo est, inquit, sciëntia perferendarum rerum, vel affectio animi, in patiendo ac perferendo, summæ legi parens sine timore. Quamvis licet [5] in-

2. *Perferendarum*. Hanc voc. quam Gronovius e MSS invexerat, quum in suis codd. Davisius non vidisset, delevit, idemque observat : Taurus apud A. Gellium, XII, 5 : « Fortitudinem majores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum, et non tolerandarum ». Alcinous Doctr. Platon. c. 28 : Ἀνδρεία ἐστὶ δόγματος ἐννόμου σωτηρία δεινοῦ τε καὶ μὴ δεινοῦ. Platoni vero fortitudo est ἐπιστήμη δεινῶν τε καὶ θαῤῥαλέων. Vide sis eum in Laebete, pagg. 252, E. 253, B. 254, C.

3. *Sunt enim omnino omnes*. Lege, « sunt autem omnino omnes fere similes ». Hoc docet orationis ipsa vis; non enim putabant Stoici Sphærum hominem esse inprimis bene definientem, quod omnes fortitudinis definitiones essent fere similes. Dav.

4. *Declarant communes notiones*. Omnes hæ definitiones declarant, Stoicos in definienda fortitudine consentire. Neid. — Errat Neid. ni fallimur; sensus est : sed esse debent similes, quoniam declarant notiones has quas quisque habet de fortitudine, ita ut in verbo de cujus sensu fere inter omnes consentit discrepantiæ in definiendo non esset locus. Sic infra dicit eodem § « aperit notionem nostram « eodem fere sensu. Voces « sunt enim . . . alia mag. alia » quasi per parenthesin dicuntur.

5. *Quamvis licet*. Vulgo « licet enim insect. eos ». Cantabr. « quamvis insectemur eos ». Optima est recepta lect. quam tuentur Pall. quinque, vetus codex et Petrens. noster. Scriptores idonei particulas ejusdem potestatis sæpe conjungunt. Cf. Cic. N. D. III, 36 : « quamvis licet Menti delubra et Virtuti et Fidei consecremus ». Vid. Apul. apolog. pag. 324, ubi « quamvis etsi » conjunguntur. Varro R. R. 1, 8 : « Itaque ideo, ut arbitror ». Phædrus Prolog. lib. II, 12 : « Ita sic rependet illi brevitas gratiam ». Multa sunt hujusmodi quæ collegere Fr. Sanctius Minerv. III, 14, pag. 572, seq. et G. J. Vossius de Constr. c. 68. Dav. — Bentleius dicit h. l. duas præpositiones eumdem sensum non habere, quia *quamvis* valet *quantumvis*, ideoque nullum esse pleonasmum affirmat hoc loco, nec in locis a Davis. allatis, quos simili fere ratione explicat, nisi

sectemur istos, ut Carneades solebat : metuo, ne soli
philosophi sint. Quæ enim istarum definitionum non
aperit notionem nostram, quam habemus omnes de
fortitudine, tectam, atque involutam? Qua aperta,
quis est, qui aut bellatori, aut imperatori, aut oratori
quærat aliquid[6], neque eos existimet sine rabie quid-
54 quam fortiter facere posse? Quid? stoici, qui omnes
insipientes insanos esse dicunt, nonne ista[7] colligunt?
Remove perturbationes, maximeque iracundiam : jam
videbuntur monstra dicere. Nunc autem ita disserunt,
sic se dicere, omnes stultos insanire, ut male olere
omne cœnum. At non semper. Commove : senties.
Sic iracundus non semper iratus est. Lacesse : jam
videbis furentem. Quid? ista bellatrix[8] iracundia,
quum domum rediit, qualis est cum uxore? cum li-
beris? cum familia? an tum quoque est utilis? Est
igitur aliquid, quod perturbata mens melius possit
facere, quam constans? An quisquam potest sine per-
turbatione mentis irasci? Bene igitur nostri, quum
omnia essent in moribus vitia[9], quod nullum erat

quod Phædri locum mendi arguit. — *Quamvis licet.* Quamvis acerrime nos Academici, ut Carneades Academicus solebat, contra Stoicos disputemus, metuendum tamen est, ne præter Stoicos nulla philosophorum schola hoc nomine digna sit. NEID.

6. *Aliquid.* Intell. aliud quid, ut sæpe dicitur; aliud quid, quam est in illa definitione Stoica fortitudinis. ERN.

7. *Nonne ista colligunt?* Nemo hoc tetigit. Esse autem videtur : hoc efficiunt conclusionibus per inductionem, ut de singulis adscendant ad genus. Huic conveniunt sequentia. Si a numero insanorum eximuntur iracundi, insanire ipsi et monstra dicere videbuntur, quod pars ea exempta sit, quæ fœdior etiam ceteris est. ERN. — Neid. *colligunt* mutari vellet in *colligant* e *colligare*, hoc sensu : subjecto sc. *insipientes*, prædicatum sc. *insanire* subjungunt. Et in multa discurrit, quæ nobis adeo obscura fuerunt, ut loci tenebras augere viderentur, si referrentur.

8. *Quid? ista bellatrix... nominaverunt.* Fac autem, iracundia opus esse ad fortitudinem et res bellicas, quomodo ejus utilitatem vindicabis in vita privata? NEID.

9. *Quum omnia essent in moribus vitia... iracundos solos, morosos nominaverunt.* Vulgo, « quum omnia essent in morbis vitia ... iracundos

iracundia fœdius, iracundos solos, morosos nominaverunt.

XXV. Oratorem[1] vero irasci minime decet; simulare[2] non dedecet. An tibi irasci tum videmur, quum quid in causis acrius et vehementius dicimus? Quid? quum jam rebus transactis et præteritis orationes scribimus, num irati scribimus? 55

Et quis[3] hoc animadvertit? Vincite,

num aut egisse unquam iratum Æsopum, aut scripsisse existimamus[4] iratum Attium? Aguntur ista præclare,

solos morbosos nominaverunt ». Sed hoc plane falsum; non enim soli iracundi *morbosi* dicuntur, sed « morbo aliquo infecti », quod docebit Festus. Vide sis et A. Gellium N. A. IV, 2. Pithœan. Fabr. Cantab. Vatic. et a prima manu Petrens. « iracundos solos morosos nominaverunt »; quod omnino verum. Seneca de Ira, lib. I, c. 4: « Inter hos (iracundos) morosum ponas licet, delicatum iracundiæ genus ». Sed, hoc dato, cur, « quum omnia essent in morbis vitis .... iracundos solos morosos nominaverunt? » An putavit Cicero, *morosum* a *morbo* deductum esse! Non opinor. Reg. *in morbus vitia*. Omnino rescribendum, uti quidem edidimus, « quum omnia essent in moribus vitia ... iracundos solos morosos nominaverunt ». A *moribus* enim dicitur *morosus*. Donatus in Terentii Hecyr. act. IV, sc. II, 2: « Mores proprie senum dicuntur, unde senectus morosa, et morosi homines qui sui cujusdam moris sunt ». Nonius: « Morosa est contrariis perversisque moribus ». Ut autem Noster « in moribus esse vitia » dixit; sic Augustinus C. D. v. 19: « Sunt enim, inquit, multa in moribus bona ». Ambrosius de Offic. lib. I, n. 14: « Sermo ... vitium aliquod esse in moribus aperiat et prodat ». Vide et n. 89. Hinc illud, « Nam monstra fato, moribus scelera imputes ». Est Senecæ in Hippol. vs. 144. DAV. — Davisium Ern. Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur.

XXV. 1. *Oratorem*, etc. Vid. supra § 43. NEIN.

2. *Simulare*. Sc. iram. Cf. Seneca de Ira, lib. II, 17. Orator iratus aliquando melior est. Immo imitatur iratum, nam et histriones in pronuntiando non irati populum movent, sed iratum bene agentes. NEIN.

3. *Et quis*. Davis. cum Victor. et Lamb. scribit *ecquis* ut de Orat. III, 58, eumque Oliv. Schutz. et Neid. sequuntur. — *Et quis*, etc. Locus e fabula quadam Attii, ubi quis iratus cuidam facinoroso, « quis, inquit, hoc facinus vidit, agite et vinctum eum abducite! » Hunc locum nec Æsopus histrio unquam vere iratus declamavit, nec Attius vere iratus scripsit, sed uterque iram simulavit. NEIN. — Æsopus scilicet erat hoc tempore Romæ histrio in tragicis excellens, ut in comicis Roscius excellebat.

4. *Existimamus*. Davis. e conj. Bentleii scribit *existimas*, quod est in uno cod. Leid.

et ab oratore quidem melius, si modo est orator, quam ab ullo histrione; sed aguntur leniter, et mente tranquilla.

Libidinem vero laudare[5], cujus est libidinis? Themistoclem mihi et Demosthenem profertis; additis Pythagoram, Democritum, Platonem. Quid? vos studia libidinem vocatis? quæ vel optimarum rerum, ut ea sunt[6], quæ profertis, sedata tamen et tranquilla esse debent. Jam ægritudinem laudare, unam rem maxime detestabilem, quorum est tandem philosophorum? At commode dixit Afranius,

Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet [7].

Dixit enim de adolescente perdito ac dissoluto; nos autem de constanti viro ac sapienti quærimus. Et quidem ipsam illam iram[8] centurio habeat, aut signifer, vel ceteri, de quibus dici non necesse est, ne rhetorum aperiamus mysteria[9]. Utile est enim uti motu

5. *Libidinem vero laudare .... de sapiente quærimus.* Contra ea disputatur, quæ §§ 44 et 45 ad defendendam libidinem ac ægritudinem dicta erant. Nein.

6. *Ut ea sunt.* Qualia sunt, quæ vos profertis, e. g. studia imperatoriæ, oratoriæ, philosophicæ laudis. Nein.

7. *Quod lubet.* Davis. e Reg. Pith. et Petreus. *quid lubet*, ut supra; sequentibus Schütz. et Neid.

8. *Et quidem ipsam illam iram.* Mireris forsan, qui h. l. iræ iterum mentio fiat, quum in proxime antecedentibus de ægritudine sit oratio. Sed nexus est hic: Sicuti Afranius de adolescente perdito ac dissoluto recte dixisse videri potest, ægritudinem ei salutarem esse, ita et in bello centuriones, signiferos aliosque milites inferiorum ordinum ira decet; nam neque ille, neque hi ad sapientes sunt referendi; ratione uti non possunt, utantur itaque animi motu. Illum enim ægritudo forsan ad meliorem frugem reducet, quum ratio non potest, hos ira fortes reddet, quum vera fortitudine non utantur. Qualium hominum genuinum χαρακτῆρα si poeta aliquis depingere velit, propius ad naturam accessisse videbitur, si eos hisce animi motibus obnoxios finxerit. Nein.

9. *Ne rhetorum aperiamus mysteria.* Locus valde difficilis. Ego, si quid video, putaverim, Ciceronem dicere velle: Poetam, oratorem scire oportet, qua indole sint, quibus animi motibus regantur homines diversi generis ac ordinis, ut, si forsan agentes aut loquentes introducere velit, proxime ad naturam eos depingere sciat. Afranius commode adolescentem dis-

animi[10], qui uti ratione non potest; nos autem, ut testificor sæpe, de sapiente quærimus.

XXVI. At etiam æmulari[1] utile est, obtrectare, 56
misereri. Cur misereare potius, quam feras opem, si id facere possis? An sine misericordia liberales esse non possumus? Non enim suscipere ipsi ægritudines propter alios debemus; sed alios, si possumus, levare ægritudine. Obtrectare vero alteri, aut illa vitiosa æmulatione, quæ rivalitati similis est[2], æmulari, quid habet utilitatis, quum sit æmulantis, angi alieno bono, quod ipse non habeat; obtrectantis autem, angi alieno bono, quod id etiam alius habeat? Qui id approbari possit[3], te ægritudinem suscipere pro expe-

solutum dolentem introduxit; ita et ira tribuenda erit centurionibus, signiferis et alius generis hominibus, quos omnes hic enarrare plane esset abs re, neque hujus loci, non enim animus est, rhetorum mysteria (i. e. artes) tradere. Nain. — Ex seqq. *utile est...potest* conjicias Ciceronem, si de his, quos præterit, loquutus fuisset, dicturum fuisse, quoniam ii homines ratione uti non possent, necesse esse iis quemdam addere stimulum, quo ad fortitudinem vel ad aliquam rem excitarentur. Ita quid esset faciendum oratori tales homines alloquenti ostendisset. Nobis Neid. interpretatio non placet, quod solis poetis, qui scribunt fabulas, conveniat; dum v. *rhetorum* ad oratores maxime referri videatur. Ergo his vv. *rhetorum mysteria* respici putamus non ad eas regulas, quibus poetis præcipiunt ut cujusque veros mores in scena exhibeant, sed ad eas quibus oratoribus præcipitur, ut videant qui sensus in auditorum animis commovendi sint, ut eos ad propositum adducant.

10. *Uti motu animi.* Si quis enim ratione uti non potest, ut recte faciat, utile est, eum animi motu ferri ad recte agendum. Nein.

XXVI. 1. *At etiam æmulari.* Contra § 46. Nein.

2. *Quæ rivalitati similis est. Rivales*, ut docet Donatus, dicuntur æmuli de mulieribus, facta translatione nominis a bestiis, quæ sitientes, quum ex eodem rivulo haustum petunt, in prælium contra se invicem concitantur. Ulpianus Jctus, ad tit. de « aqua quotidiana et æstiva », *rivales* dici eos ait, qui per eumdem rivum aquam ducunt, inter quos sæpe contentio est de aquæ usu, utroque suum esse usum contendente. Inde *rivales* dici autumo, quasi in unum amorem derivantes, et de amoris usu contendentes: inde *rivalitas* dicta æmulatio illa inter amasios morosissima. Beroald.

3. *Qui id approbari possit.* Vulgo, *Quis id approbare possit.* At Med. ita plane dat ut exhibui; cum quo faciunt Reg. et Pithœan. quod ad vocem penultimam spectat. Dav. — In proximis *te ægrit. susc.* Wolf. *te* uncis inclusit, sequente Neid.

rientia[4], si quid habere velis? Nam solum habere velle, summa dementia est.

57 Mediocritates autem malorum quis laudare recte possit? Quis enim potest, in quo libido cupiditasve sit, non libidinosus et cupidus[5] esse? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? Libidinosum igitur[6], et cupidum, et iracundum, et anxium, et timidum censemus esse sapientem? De cujus excellentia multa quidem dici quamvis fuse[7] lateque possint[8]; sed brevissime illo modo, sapientiam esse[9] rerum divinarum et humanarum scientiam, cognitionemque, quæ cujusque rei causa sit. Ex quo efficitur, ut divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat. In hanc tu[10] igitur, tamquam in mare, quod est ventis subjectum, perturbationem cadere tibi dixisti videri? Quid est, quod

4. *Pro experientia.* Scilicet, loco laboris illius quo experiri deberes, an ejus rei particeps quoque fieri possis, quam alter habet; quum melius foret te laborare ad id adipiscendum, quod habere velis.

5. *Et cupidus.* Davisius, *aut cupidus.* Quum, inquit, præcesserit « libido cupiditasve », conjunctio disjunctiva, quod Cl. Bentleius jam viderat, hic sequi debuit. — Cum eo Schützius facit.

6. *Libid. igitur, et cupidum.* Davis. vv. *et cupidum* expunxit, hoc notato: Eas voces nesciunt Reg. Pithœan. Pall. quatuor, Fabric. at Vatic. nec mihi necessariæ videntur, siquidem libido et cupiditas unam eamdemque rem denotant. Vide supra lib. III, cap. 11. — Schütz. Davisium imitatus est. Wolf. et Neid. eas voces uncis includunt.

7. *Quamvis fuse. Quamvis* est *quantumvis.*

8. *Possint.* Wolf. Schütz. et Neid. *possunt.*

9. *Sapientiam esse rerum divinarum.* Sic Origenes in Celsum, lib. III, pag. 154: Ἡ σοφία ἐπιστήμη θείων ἐστὶ καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων καὶ τῶν τούτων αἰτίων. Pari modo Noster infra lib. V, 3, et de Offic. lib. II, cap. 2. At ea definitio non probatur Senecæ Epist. LXXXIX: « Quidam, inquit, ita sapientiam finierunt: Sapientia est nosse divina et humana et horum causas. Supervacua mihi videtur hæc adjectio, quia causæ, divinorum humanorumque partes sunt ». Et σοφίαν quidem ἐπιστήμην θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων sine illa adjectione definiunt quamplurimi.

10. *In hanc tu igitur.* Davisius scribit *in hanc* sc. sapientem, cum Ascens. Erasmo, Manutio, Lambino, aliisque; iisque Schütz. obsequutus est. *Hanc* ad *sapientiam*, *hunc* ad *sapientem* refer.

tantam gravitatem constantiamque perturbet? an improvisum aliquid, aut repentinum? Quid potest accidere tale[11], et cui nihil, quod homini evenire possit? Nam quod aiunt, nimia resecari oportere, naturalia relinqui: quid tandem potest esse naturale, quod idem nimium esse possit? Sunt enim omnia ista ex errorum orta radicibus: quæ evellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda, nec amputanda sunt.

XXVII. Sed quoniam suspicor[1], te non tam de sa- 58
piente, quam de te ipso quærere (illum enim putas omni perturbatione esse liberum, te vis[2]); videamus, quanta sint, quæ a philosophia remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quædam medicina certe: nec tam fuit hominum generi infensa atque inimica natura, ut corporibus tot res salutares, animis nullam invenerit[3]. De quibus hoc etiam est merita melius,

11. *An improvisum aliquid, aut repentinum? Quid potest accidere tale, et cui*, etc. Hæc certe malam manum passa sunt. Cl. Bentleius reponit « An improvisum aut repentinum quid potest accidere ei, cui nihil tale, quod homini evenire possit? » Si aliam quæras hariolationem, forte rescribi queat: « An improvisum aliquid aut repentinum? qui id potest accidere? Tale est ei (vel *huic*) nihil quod homini evenire possit ». Dav. — Gœr. ad Fin. III, 8, 29, conj. « qui potest accidere tale ei, cui nihil, nisi quod homini, evenire possit ». — Schützius post Wolfium « Quid potest accidere tale ei, cui nihil, quod homini evenire possit, non præmeditatum sit ». Et sic Neid. nisi quod vv. « non præm. sit » uncis includit. Eas nos omnino deleri vellemus, quæ non nisi in Pall. sec. et quint. qui habent « ne præmeditatum sit », et in quibusdam edd. vett. comparent; et recte ista lectio se haberet, si post vv. *ei cui nihil* subaudires *est tale*, vel e præcc. « est improvisum aut repentinum »: vel eædem voces post *evenire possit* subaudiendæ putarentur. Vulgo olim « tale ei, cui nihil subitum est, quod » contra MSS.

XXVII. 1. *Sed quoniam suspicor, te*, etc. Pars tertia disputationis. De remediis morborum animi, quæ philosophia suppeditat. Nain.

2. *Te vis.* Quid Ant. Augustinum moverit, ut hæc verba censuerit esse delenda, nescio. Rem vero sinistris auspiciis ab eo gestam probe novi. Nisi enim adolescentem hunc perturbationibus liberari velle statuerat Tullius; inanem prorsus operam explicandis, quas adhibet philosophia, medicinis impenderet. Davis. — *Te vis.* Sc. liberum esse.

3. *Animis nullam invenerit.* Cf. de Legg. III, 4.

quod corporum adjumenta adhibentur extrinsecus,
animorum salus inclusa in his ipsis est[4]. Sed quo
major est in eis præstantia, et divinior, eo majore in-
digent diligentia. Itaque bene adhibita[5] ratio cernit,
quid optimum sit; neglecta, multis implicatur errori-
59 bus. Ad te igitur mihi jam convertenda omnis oratio
est. Simulas enim quærere te de sapiente; quæris au-
tem fortasse de te.

Earum igitur[6] perturbationum, quas exposui, va-
riæ sunt curationes. Nam neque omnis ægritudo una
ratione sedatur: alia est enim lugenti, alia[7] miseranti,
alia invidenti[8] adhibenda medicina. Est etiam in om-

4. *Inclusa in his ipsis est.* Medicina animorum ex ipsis animis depromi potest. Neid.

5. *Sed quo major est in eis præstantia, et divinior, eo majore indigent diligentia. Itaque bene adhibita ratio cernit.* Reg. Pithœan. Pall. quatuor et Vatic. *indiget.* (Idem est in uno Leid. Buherio probante.) Totum vero locum sic constituit Cl. Bentleius: « Sed quo major est mentis præstantia et divinior, eo maj i. diligentia: itaque bene habita cernit, etc. » Dav.—Jam H. Turnebo Adv. VII, 18, placuerat *bene habita*, ut intelligatur ratio probe curata et diligenter exculta. Vulgatam lectionem retinent omnes MSS. Significari videtur ratio, quæ rebus, ut par est, applicatur; quomodo « adhibere medicinam » aut *remedia* passim dicimus. Dav.

6. *Earum igitur ... paupertatis malum tollitur.* Quædam generalia de curandis perturbationibus. 1° Alia perturbatio alia sanatur ratione. Dispiciendum est, 2° an perturbationes universæ an singulæ sanandæ sint. 3° An, si quædam ægritudo e. g. sananda est, ægritudo in genere, an illa ægritudo specialis quæ in causa est sanari debeat. Priorem rationem dicit præferendam. Neid.

7. *Alia miseranti.* D. Lambinus conjecit *alia miserenti*, nec aliter edidit Fr. Fabricius. Permoti erant, ut puto, viri eruditi grammaticorum auctoritate, qui inter hæc verba distinctionem quamdam ponunt. Festus: Miseratur « is, qui conqueritur aliena incommoda; miseretur is, qui miserum sublevat ». Nonius Marcellus, cap. v, coll. 734: « Miserari et misereri ceteri his sensibus esse voluerunt; ut sit miserari, flere et lamentari; misereri, miserationem alienis casibus exhibere ». Sed hæc prorsus inania sunt habenda. Virgilius Æn. I, 597, de Didone: « O sola infandos Trojæ miserata labores ». Ibi recte Servius, « Et miseror, inquit, et misereor unum significant ». Iterum Æn. IV, 693: « Tum Juno omnipotens longum miserata dolorem Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo, etc. » Infinita sunt hujusmodi, quapropter sarta tecta maneat codicum vulgatorum lectio. Davis.

8. *Alia invidenti.* Davis. e Reg. Pith.

nibus quatuor perturbationibus illa distinctio: utrum ad universam perturbationem, quæ est aspernatio rationis, aut appetitus vehementior; an ad singula, ut ad metum, libidinem, reliquasque melius adhibeatur oratio[9]: et, utrum illudne non videatur[10] ægre ferendum, ex quo suscepta sit ægritudo, an omnium rerum tollenda[11] omnino ægritudo: ut, si quis ægre ferat, se pauperem esse, idne disputes, paupertatem malum non esse, an hominem ægre ferre nihil oportere. Nimirum hoc melius: ne, si forte de paupertate non persuaseris, sit ægritudini concedendum[12]: ægritudine autem sublata propriis rationibus, quibus heri[13] usi sumus, quodam modo etiam paupertatis malum[14] tollitur.

Med. *aut invid.* cum quo Schütz. et Neid. faciunt.

9. *Melius adhibeatur oratio.* Cl. Bentleio placet *curatio*. Buherio, *ratio*.

10. *Illudne non videatur.* Bentleius corrigit « utrum illud necne vid. » quod est in Petrens. Alii delent *ne* post *illud.*

11. *An omnium rerum tollenda omnino ægritudo.* Sic recte Petrens. aliique codices numero pauci; nam Victorius edidit « an omnium rerum toleranda omnino ægritudo », nec aliter librorum pars pleraque. Sed ita deerrasse librarios haud equidem miror; illud autem miror, tam absurdam lectionem viro docto J. M. Bruto optimam videri potuisse. Quid enim? Quum morbis animorum curandis incumbimus, an expedit omnium rerum ægritudinem *ferre?* An, dum quiescamus nec animorum conemur amollri morbos, adhibere perturbationibus remedium, quod pollicetur philosophia, censeamur? Sed nihil verbis est opus; res ipsa clamat, τὰ πάθη non esse *toleranda*, sed *tollenda*, si modo volumus iis esse liberi. Davis.

12. *Ne, si forte ... concedendum.* Moser legi vellet, « ne, etsi forte de paupertate persuaseris, sit alii ægritudini concedendum ». Et certe hunc videtur sensum Cicero voluisse proferre. Nam quum in altero membro sententiæ fingit Cicero, persuasorem id quod præcipiebat obtinuisse (dicit enim « ægritudine autem sublata »), in altero membro necesse videtur fuisse, ut paupertatem quoque sublatam esse a persuasore fingeret: aliter oppositionis membra sibi apte non respondent.

13. *Quibus heri.* In tertio Tusculanarum libro. Neid.

14. *Paupertatis malum tollitur.* Non placet illud « paupertatis malum »: quippe alienum est ab hac disputatione, concedere paupertatem esse malum: deinde si « ægritudo omnino sublata sit », non « quodammodo », sed prorsus omnino paupertatis malum

60 XXVIII. Sed omnis[1] ejusmodi perturbatio, animi placatione abluatur[2] illa quidem, quum doceas, nec bonum illud esse, ex quo lætitia, aut libido oriatur; nec malum, ex quo aut metus, aut ægritudo: verumtamen hæc est certa et propria sanatio, si doceas, ipsas perturbationes per se esse vitiosas, nec habere quidquam aut naturale, aut necessarium: ut ipsam ægritudinem leniri videmus, quum objicimus mœrentibus imbecillitatem animi effeminati, quumque eorum gravitatem constantiamque laudamus, qui non turbulente humana patiantur. Quod quidem solet eis etiam accidere, qui illa mala esse censent, ferenda tamen æquo animo arbitrantur. Putat aliquis, esse voluptatem bonum; alius autem, pecuniam: tamen et ille ab intemperantia, et hic ab avaritia avocari potest. Illa autem altera ratio et oratio, quæ simul et opinionem falsam tollit, et ægritudinem detrahit, est ea quidem subtilior[3]; sed raro proficit, neque est ad

tollitur. Quamobrem non auro contra cara est Palatini codicis lectio, quam Gebhardus memorat, « etiam paupertatis nomen tollitur ». Rectissime: nam qui nihil desiderat, nihil sibi deesse queritur aut ægre fert, cur pauper est vocandus? Seneca Epist. 11: « Honesta, inquit Epicurus, res est læta paupertas. Illa vero non est paupertas, si læta est: cui enim cum paupertate bene convenit, dives est. » BENTLEIUS. — Bentleii conj. probaverunt Buherius et Moser.

XXVIII. 1. *Sed omnis ... magnitudo concederet*. Triplex genus est remediorum. Docetur 1° nec bonum illud esse, ex quo lætitia aut libido oriatur, nec malum, ex quo aut metus aut ægritudo; 2° ipsas perturbationes per se esse vitiosas, nec habere quidquam aut naturale aut necessarium; 3° ea quæ acciderint ferri et posse et oportere et enumeratio eorum, qui tulerunt. Sub examen triplex genus vocatur. Nam

2. *Abluatur*. Quum hoc displiceret Ernestio, is conjiciebat *allevatur* vel *allevetur*.

3. *Est ea quidem subtilior*. Sic optime Cl. Bentleius. Vulgo *utilior*. DAV. — Ern. et Schütz. Bentleio obsequuti sunt: at Wolf. et Neid. *utilior* revocaverunt, quod Neid. ita defendit: Ernesti τὸ *utilior* falsum esse putat, propter sequentia, « sed raro proficit », tamquam contradictorium priori. Ego omnia expedita puto: nam « raro proficit » significat « raro efficax est », quia non omnes idonei sunt ad hanc medicinam recipiendam; ceterum manet ejus utilitas; hanc sententiam firmant sequentia: « nec ad vulgus adhibenda ».

vulgus adhibenda. Quædam autem sunt ægritudines, 61
quas levare illa medicina nullo modo possit : ut si quis ægre ferat, nihil in se esse virtutis, nihil animi, nihil officii, nihil honestatis; propter mala is quidem angatur, sed alia[4] quædam sit ad eum admovenda curatio, et talis quidem, quæ possit esse omnium, etiam de ceteris rebus discrepantium, philosophorum. Inter omnes enim convenire oportet, commotiones animorum, a recta ratione aversas, esse vitiosas : ut, etiam si mala sint illa[5], quæ metum, ægritudinemve; bona, quæ cupiditatem, lætitiamve moveant, tamen sit vitiosa ipsa commotio. Constantem enim quemdam vo-

— Totius loci ab initio cap. hic tenor est : Certe omnis perturbatio hac placatione ablui debet, qua doces nec bonum illud esse ex quo lætitia aut libido oriatur, nec malum, ex quo aut metus, aut ægritudo : confitendum est hanc rationem plurimum valere : verum tamen hæc est certa et propria sanatio, si doceas ipsas perturbationes per se esse vitiosas. (Paullulum Noster immoratur in hac ratione ex experientia commendanda, quod facit vv. « ut ipsam ægritudinem ... avocari potest ». Deinde redit in orbem sermonis quem paullum reliquerat; sic): Illa autem ratio, quam primum exposuimus, sc. qua docemus, id quod ægre fertur malum non esse, quamquam est subtilior, nec ad omnes homines, nec ad omnes ægritudines est idonea. Atque id probat sequentibus e. g. hac ratione, aliquando hominem ob turpitudinem dolere, quæ malum est; quo certe casu non possumus ei qui dolet dicere, id, quod ab eo ægre fertur non esse malum. Tum alia adhibenda est curatio, scilicet ea, quam modo dixit esse certam et propriam, sc. perturbationes per se esse vitiosas.

4. *Sed alia.* Hæc levi anacolutho respondent præcedd. « quas levare illa med. nullo modo possit ». Recta structura foret : « ad eum enim alia est admovenda curatio ».

5. *Etiam si mala sint illa, quæ metum, ægritudinemve; bona, quæ cupiditatem, lætitiamve moveant.* Ita quidem Ursini liber, si ei fides. Vulgo, « etiamsi nec mala sint ... nec bona »; quæ sensum menti Ciceronis contrarium faciunt. Hoc vidit Lambinus; quapropter « etiamsi et mala sint ... et bona » : Cl. vero Bentleius, « etiamsi vel mala sint ... vel bona ». Mihi placet, « etiamsi re mala sint illa, quæ metum ægritudinemve; re bona, quæ cupiditatem lætitiamve moveant ». Re, non opinione tantum. Plautus Rudent. act. III, sc. III, 21 : « Nisi quid re præsidium apparas, Trachalio, acta hæc res est ». Et ita passim Noster. Certa negans illa particula non de nihilo videtur libris omnibus inhæsisse; meras enim conjecturas pro MSS lectionibus Ursinum venditasse questi sunt eruditi. DAV. — Wolf. Schütz. et Neid. *etiamsi mala ... et bona.*

lumus, sedatum, gravem, humana omnia[6] prementem, illum esse, quem magnanimum et fortem virum dicimus. Talis autem nec mœrens, nec timens, nec cupiens, nec gestiens esse quisquam potest : eorum enim hæc sunt, qui eventus humanos superiores, quam suos animos esse ducunt.

62 XXIX. Quare omnium philosophorum, ut ante dixi, una ratio est medendi, ut nihil, quale sit illud, quod perturbet animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum. Itaque primum in ipsa cupiditate, quum id solum agitur, ut ea tollatur, non est quærendum, bonum illud, necne sit, quod libidinem moveat : sed libido ipsa tollenda est; ut, sive, quod honestum est, id sit summum bonum, sive voluptas, sive horum utrumque conjunctum, sive illa tria genera[1] bonorum, tamen, etiam si virtutis ipsius vehementior appetitus sit, eadem sit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio. Continet autem omnem sedationem animi, humana in conspectu posita natura[2] : quæ quo facilius expressa cernatur, explicanda est oratione
63 communis conditio, lexque vitæ. Itaque non sine causa,

6. *Humana omnia prementem.* Sic omnes MSS. Non desunt tamen qui *spernentem* vel *ferentem* reponendum contendunt. Haud inepte quidem; ea enim mens est Ciceronis, et ita passim loquitur. Mihi tamen cum Lambino non temere deserenda videtur lectio, quam codicum, quotquot sunt, defendit auctoritas. *Premere* est calcare, quod docet Nonius. Seneca Troad. vs. 1085 : « Semiusta at ille tecta, vel saxum imminens Muri cadentis pressit ». Et Epist. XCI : « Omnium, quæ premunt, sirempse lex esto ». Idem Epist. XCIV : « Pedibus aurum et argentum subjecit, calcandumque ac premendum dedit, quibus nos calcamur ac premimur ». Ovidius Trist. lib. III, El. XI, 23 : « Sobruere est arces et stantia mœnia virtus : Quamlibet ignavi præcipitata premunt ». Is igitur « humana omnia premit », qui ea calcat et despicit; iis factus est superior et ea *subter se habet*, ut loquitur Noster, V, 1. Dav.

XXIX. 1. *Illa tria genera bonorum.* Sc. animi, corporis, fortunæ. Naid.

2. *In conspectu posita natura.* I. e. si doceatur, rebus humanis sub oculos propositis, omnia in natura secundum certas fixasque leges fieri, esseque conditionem irremissibilem, his legibus subjici. Neid.

quum Orestem fabulam[3] doceret Euripides, primos tres versus revocasse dicitur Socrates :

Neque tam terribilis[4] ulla fando oratio[5] est,
Nec sors, nec ira cælitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo efferat [6].

Est autem utilis ad persuadendum, ea, quæ acciderint[7], ferri et posse, et oportere, enumeratio eorum qui tulerunt. Etsi[8] ægritudinis sedatio et hesterna disputatione explicata est, et in Consolationis libro,

3. *Orestem fabulam*. Bene quidem. Sed Priscianus lib. VI, col. 705, hæc habet : « Cicero in I Tusculan. (lege IV.) Non sine causa quum Orestia fabulam docere. Euripides ». Quin et ita dant Vict. et Pal. quart. Sic *OEdipi fabulam* dixit Hieronymus ad Nepotianum, pag. 9, et δρᾶμα Βατράχων Tzetzes Chil. VIII, 462. In aliis codicibus legas *Orestæ fabulam*, de qua forma vide Nic. Heinsium ad Ovidii Heroid. VIII, 9. Dav.

4. *Neque tam terribilis*. Hæc laudat Priscianus de metr. Com. col. 1327. Apud Euripidem Orest. vs. 1. Græca sic se habent : Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ' εἰπεῖν ἔπος, Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος, Ἧς οὐκ ἂν ἄροιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις. Exstant etiam apud Dionem Chrysostomum Orat. IV, 72. Hosce versus sic παρῳδεῖ Lucianus Jov. Trag. tom. II, pag. 128 : Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ' εἰπεῖν ἔπος, Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ συμφορὰ τραγῳδική, Ἧς οὐκ ἂν ἄροιτ' ἄχθος ἡ θεῶν φύσις. Memoria vero lapsus est Fulgentius, qui Virgil. Contin. pag. 149, eos Euripidis Iphigeniæ tribuit. Ratio, cur primum versum eo quo fecit modo Tullius sit interpretatus, est, quod sic acceperit, quasi vellet Tragicus, οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἔπος οὕτω δεινὸν εἰπεῖν. Dav. — Ceterum hujus loci non ea est sententia, quam Cicero in versione sua expressit, ut series orationis Euripideæ ostendit, sed sensus est secundum Muretum (Var. Lect. lib. VIII, cap. 16, pag. 215, ed. Antverp. cui assentitur Paullus Leopardus Emend. VIII, 21). Nihil, ut uno verbo eloquar, dirum ac terribile, neque morbus, neque a diis invecta calamitas; cujus gravitati hominum natura ac conditio exposita non sit. Nein. — Pacuvii non Ciceronis esse hos versus e græco Euripidis in latinum sermonem conversos docet A. Schottus Observ. V, 6.

5. *Oratio*. Buherius conj. *occasio*. Ern. ediderat *ratio*, metro repugnante. *Oratio* reddit ἔπος versus Euripidei. J. V. L. in proximis quidem libri vett. *nec fors*, quod h. l. ferri non potest. Nam *fors* est fortuna ipsa, casuum causa.

6. *Patiendo efferat*. *Ferat* habent Priscianus, Balliol. et veteres editi. Alii libb. *hæc ferat*, apud Lambinum, qui scripsit *ecferat*, sequente Davis.

7. *Quæ acciderint*. Vulgo *acciderunt*, renitentibus Reg. Pithœan. Med. Balliol. quinque Pall. et Fabric. Dav.

8. *Etsi ægrit*. Int. Etsi hæc prætermittere possum quæ ad ægritudinem attinent ; nam ægritudinis sedatio et hesterna, etc.

quem in medio[9] (non enim sapientes eramus) mœrore et dolore conscripsimus : quodque vetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi, remedium adhibere, id nos fecimus, naturæque vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet[10].

64 XXX. Sed ægritudini[1], de qua satis est disputatum, finitimus est metus; de quo pauca dicenda sunt. Est enim metus, ut ægritudo, præsentis; sic ille, futuri mali. Itaque nonnulli ægritudinis partem quamdam metum esse dicebant. Alii autem metum, præmolestiam appellabant, quod esset[2] quasi dux consequentis molestiæ. Quibus igitur rationibus instantia[3] feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. Nam videndum est in utrisque, ne quid humile, summissum, molle, effeminatum, fractum, abjectumque faciamus. Sed quamquam de ipsius metus inconstantia, imbecillitate, levitate dicendum est ; tamen multum prodest, ea, quæ metuuntur, ipsa contemnere. Itaque, sive casu accidit, sive consilio[4], percommode factum est, quod eis de rebus, quæ maxime metuuntur, de morte et de dolore, primo et proximo die disputatum est. Quæ si probata sunt, metu magna ex parte liberati sumus.

9 *In medio... mœrore.* Propter obitum filiæ. NEID.

10. *Ut magnitudini . . . concederet.* Nonius in *concedere.* Cicero Tusc. lib. IV : « Ut quum magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet ». Sed supervacanea prorsus est secunda vox et Tullianorum codicum fide delenda. DAV.

XXX. 1. *Sed ægritudini . . . liberati sumus.* De curando metu. Eadem est curatio metus ac ægritudinis, quia hæc ab illo non differt, nisi quod ægritudo sit opinio præsentis; metus, futuri mali. Cf. § 8. NEID.

2. *Quod esset quasi dux.* Vulgo *est.* At bene Cl. Bentleius, quod ipsa latini sermonis ratio docet. DAV. — Idem dederunt Ern. Wolf, Schütz. et Neid.

3. *Instantia*, præsentia.

4. *Sive casu accidit, sive consilio.* Ut in prima et secunda disputatione de morte et dolore disputaremus: certe nobis percommodum est nunc hanc habitam fuisse disputationem, quoniam per hanc jam liberari debuimus metu mortis et doloris, ita ut hac de re inutile sit hoc loco agere. Ideo ad aliud transit Noster.

XXXI. Ac de malorum opinione, hactenus: videa- 65
mus nunc de bonorum, id est, de lætitia et de cupi-
ditate. Mihi quidem in tota ratione ea, quæ pertinet
ad animi perturbationes[1], una res videtur causam
continere, omnes eas esse in nostra potestate, omnes
judicio susceptas, omnes voluntarias. Hic igitur error
est eripiendus, hæc detrahenda opinio[2]: atque, ut,
in malis opinatis, tolerabilia[3]; sic, in bonis, sedatiora
sunt efficienda ea, quæ magna et lætabilia dicuntur[4].
Atque hoc quidem commune malorum et bonorum:
ut, si jam difficile sit persuadere, nihil earum rerum,
quæ perturbent animum, aut in bonis, aut in malis
esse habendum, tamen alia ad alium motum curatio
sit adhibenda, aliaque ratione malivolus, alia amator,
alia rursus anxius, alia timidus, corrigendus. Atque 66
erat facile, sequentem eam rationem[5], quæ maxime
probatur de bonis et malis, negare umquam lætitia
affici posse insipientem, quod nihil umquam haberet
boni. Sed loquimur nunc more communi[6]. Sint sane
ista bona, quæ putantur, honores, divitiæ, voluptates,
cetera: tamen in eis ipsis potiundis exsultans gestiens-

XXXI. 1. *Ad animi perturbationes.* Vulgo *perturbationem.* At singularis numerus sequentibus haud convenit, nec de una tantum perturbatione, sed de omnibus animi perturbationibus hæc habetur oratio: quapropter emendationem Cl. Bentleii lubens amplexus sum. Dav.

2. *Hæc detrahenda opinio.* Perturbationes esse naturales, nec in nostra potestate esse.

3. *Tolerabilia.* Davis. *tolerabiliora.* Sic, inquit, Ascensius, Erasmus, Manutius et alii. Vulgo *tolerabilia*, quod ex suis codicibus post Victorium intulit Gebhardus, nec ab iis recedunt nostri.

4. *Dicuntur.* Wolf. Schütz. et Neid. *ducuntur.*

5. *Sequentem eam rationem.* Quod si sequaris rationes Stoicorum, qui honestum summum bonum, turpe summum malum putant, facile ostendi poterit, insipientem numquam lætitia affici posse, quia tamquam insipiens nullo bono fruitur. Neid.

6. *Loquimur nunc more communi.* Buherius malebat *loquamur.* — Relicta hac boni Stoicorum notione, communi loquendi ratione utimur, et ut omnibus æque nostra oratio conveniat, omne id bonum esse concedimus, quod vulgo putatur, e. g. honores, divitiæ, etc. Neid.

que lætitia turpis est : ut, si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio. Eodem enim vitio est effusio animi in lætitia, quo, in dolore, contractio ; eademque levitate cupiditas est in appetendo, qua lætitia in fruendo; et ut nimis afflicti molestia[7], sic nimis elati lætitia jure judicantur leves. Et quum invidere, ægritudinis sit; malis autem alienis voluptatem capere, lætitiæ : utrumque immanitate, et feritate quadam proponenda[8], castigari solet. Atque ut confidere decet[9], timere non decet : sic gaudere decet, lætari

7. *Ut nimis afflicti molestia, sic nimis elati lætitia.* Davis. scribit « ut nimis afflicti, molles ». Hæc, inquit, est eximia præstantissimi Bentleii conjectura. Vulgo, « ut nimis afflicti (Pall. sec. quart. Vatic. Reg. et Pith. *adflictio*) molestia, sic animi (Reg. et Pithœan. *animis*) elati lætitia, jure judicantur leves ». — Cum Davisio fecerunt Wolf. Schütz. et Neid. Forsan aliquis vulgatam defendet, quod orationis concinnitas postulat ut substantivus quidam v. *lætitia* respondeat. Restaret ut ostenderet v. *leves* jure dici posse de eo qui mœret.

8. *Proponenda.* Docendo, utrumque lætari, et de suis bonis et alienis malis, feritatem et immanitatem quamdam esse. Neid.

9. *Atque ut confidere decet, timere non decet : sic gaudere decet, lætari non decet.* Sic Nonius in *lætari*; sic et omnes MSS. Davis. *atque ut cavere dec.* qui notat : Certe Tullio, nisi dormitarit, vulgata non debetur. Oppositio scilicet inter *confidere* et *timere* non pari gressu procedit ac inter *gaudere* et *lætari*. Lambinus igitur rescribendum conjecit *diffidere*, eique Bentl. assentitur. Non incommode quidem, si vulgarem loquendi modum spectes; sin autem sermonem Stoicum, quem Tullius hoc in loco sequi debet, attendas, non ita bene; his enim philosophis vitiosa est *diffidentia*. Stobæus Eclog. Ethic. p. 183. Aiunt Stoici sapientem οὐκ ΑΠΙΣΤΕΙΝ, τὴν γὰρ ἀπιστίαν εἶναι ψεύδους ὑπόληψιν, τὴν δὲ πίστιν ἀστεῖον ὑπάρχειν. En igitur nostram conjecturam! Legendum contendo, « atque ut cavere decet, timere non decet : sic gaudere decet, lætari non decet ». Omnino recte; et ita edendum curavi. Noster supra cap. 6 : « Quum eum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur : quum autem inaniter et effuse animus exsultat, tum illa lætitia gestiens vel nimia dici potest : quoniam ut bona natura adpetimus, sic a malis natura declinamus; quæ declinatio cum ratione fiet, cautio appelletur, eaque intelligatur in solo esse sapiente; quæ autem sine ratione ... nominetur metus ». Vide quæ notavimus ad eum locum. Augustinus C. D. XIV, 8 : « Stoici tres constantias esse voluerunt, pro tribus perturbationibus, in animo sapientis; pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem ». Seneca Epist. 85 : « Non timebit ille (vir fortis), sed vitabit. Cautio illum decet, timor non

non decet; quoniam docendi causa a gaudio lætitiam distinguimus. Illud jam supra diximus [10], contractionem animi recte fieri numquam posse, elationem 67 posse. Aliter enim Nævianus ille gaudet Hector:

Lætu' sum
Laudari me abs te, pater, a laudato viro [11].

Aliter ille apud Trabeam:

Læna delenita argento nutum observavit meum,
Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam januam;
Fores patebunt [12]. De improviso Chrysis ubi me adspexerit,
Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum,
Mihi se dedet [13].

Quam hæc pulchra putet, ipse jam dicet:

Fortunam ipsam [14] anteibo fortunis meis.

decet ». Adi sis et Arrianum Epictet. lib. II, cap. 1. Davis. — Davisium Wolf. Schütz. et Neid. sequuti sunt. J.V. L. mallet *consulere*; sed vox hæc videtur h. l. aliena, ubi fere propria philosophorum verba adhibentur.

10 *Supra diximus*. § 14, ubi dixerat, præsentis mali sapientis affectionem nullam esse, ac ægritudini nullam constantiam opponi. Nein.

11. *Lætu' sum Laudari me abs te, pater, a laudato viro*. Sic vulgo distinguunt, leguntque *laudato viro* sine *a*, quo modo nec iambicum metrum constat, nec trochaicum. Nos continua serie scribimus, ut versus sit trochaicus, reponimusque « a laudato viro »; quemadmodum jubent Petrens. Balliol. et Bak. Quin etiam sic, ut edidimus, laudat Noster lib. XV, Fam. Ep. 6, ubi monet Hectoris apud Nævium esse verba. Vide et lib. V, Epist. 12. Ad ea respicit Seneca Epist. CII. Dav. — Davisio Schütz. obtemperavit. Neid. quum uno versu scriberet, tamen *a* non addidit. Lætatur Hector se laudari a patre Priamo laude digno. In Epist. ad Catonem Cicero ait: « Lætus sum laudari me, inquit Hector, opinor apud Nævium, abs te, pater, laudato viro: ea est enim profecto jucunda laus, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt ». Senec. Ep. XVIII: « Quum Tragicus ille apud nos ait, magnificum est laudari a laudato viro, laude digno ait ». Beroald. — V. *laudato* non eumdem sensum dedisse Cicero videtur in loco quem retulit Beroaldus, atque Seneca eumdem versum interpretans.

12. *Fores patebunt*. Bentleius correxit *foris patebit*, idque Davisius recepit. Sed Buherius *fores* negavit metro adversari contracte pronuntiatum.

13. *Mihi se dedet*. Hæc verba cohærent cum sequentibus, « fortunam ipsam, etc. » et cum iis faciunt versum trochaicum, quod recte observavit Bentleius.

14. *Fortunam ipsam*. Nampe deam Fortunam, in qua summa est fortuna. Nein.

68 XXXII. Hæc lætitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem [1] penitus videre. Et ut turpes sunt, qui efferunt se lætitia tum, quum fruuntur venereis voluptatibus : sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Totus vero iste, qui vulgo appellatur amor (nec, hercule, invenio, quo nomine alio possit appellari), tantæ levitatis est, ut nihil videam, quod putem conferendum. Quem Cæcilius,

..............Deum qui non summum putet [2],
Aut stultum, aut rerum esse imperitum existimet [3] :
Cui in manu sit, quem esse dementem velit,
Quem sapere, quem sanari [4], quem in morbum injici;
Quem contra amari, quem arcessiri, quem expeti [5].

XXXII. 1. *Satis est diligenter attendentem*. Cl. Bentleio placet, « facile est diligenter, etc. » Dav.

2. *Deum qui non summum putet*. Hæc ex Euripideis illis ducta censent viri docti : Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον, Ἢ σκαιός ἐστιν ἢ καλῶν ἄπειρος ὢν Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν. Exstant apud Stobæum Serm. LXI, 387, quod primus, nisi fallor, monuit Petr. Victorius Var. Lect. XIV, 4. Leguntur etiam apud Athenæum, lib. XIII, pag. 600, et hoc quidem modo : Ὅστις ἔρωτα μὴ ΜΟΝΟΝ κρίνει θεὸν Ἢ σκαιός ἐστιν, etc. Corrupte; secundus enim versus excidit, et in primo legi debet, Ὅστις δ' ἔρωτα μὴ ΜΕΓΑΝ κρίνει θεὸν, etc. Quid tamen Euripidi cum comœdia? Revera Cæcilius Menandri Συναριστώσας vertit, quod ex Nonio discimus. Illic autem Amoris potestatem miris modis extulerat, ut ex hisce patet, quæ Stobæus ibidem laudat : ... Ἔρως δὲ τῶν θεῶν ἰσχὺν ἔχων πλείστην ἐπὶ τούτου δείκνυται. Διὰ τοῦτον ἐπιορκοῦσι τοὺς ἄλλους θεούς. In deperditis itaque versibus Euripidem Menander est imitatus (id quod libenter fecit, teste Quintiliano, X, 1); Menandrum Cæcilius expressit. Dav.

3. *Existimet*. Sic Ern. Oliv. At Davis. Schütz. et Neid. *existimat*.

4. *Quem sapere, quem sanari*. Sic Manutius, Lambinus et alii, Cl. Bentleio probante. Vulgo *insanire*. Dav. — *Insanire* ineptum est quum jam supra ait « esse dementem », nec, eo posito, aliquid sit quod opponatur vv. *in morbum injici*.

5. *Quem arcessiri, quem expeti*. Sic vulgo. Quum vero MSS repræsentent, « quem expeti, quem arcessiri » ; omnino legendum « Quem contra amari, quem expeti, quem arcessier », prout edendum curavimus; et ita fere olim dedit Erasmus. Vide Terentium Eunuch. act. III, sc. III, 4. Dav. — Davisium Schutz. et Neid. sequuntur. Ex v. *contra* Bentleius suspicatur unum versum excidisse, quem sic periculo suo refingit : « Quem odio esse, quem contemni, quem excludi foras, Quem contra amari, quem arcessiri, etc. »

O præclaram emendatricem vitæ, poeticam! quæ amorem, flagitii et levitatis auctorem, in concilio deorum collocandum putet. De comœdia loquor, quæ, si hæc flagitia non probaremus[6], nulla esset omnino[7]. Quid ait ex tragœdia princeps ille Argonautarum[8]? 69

Tu me amoris[9] magis, quam honoris servavisti gratia.

Quid ergo? hic amor Medeæ quanta miseriarum excitavit incendia! Atque ea tamen apud alium poetam patri dicere audet, se conjugem habuisse

Illum, amor quem dederat, qui plus pollet, potiorque est patre.

XXXIII. Sed poetas ludere sinamus, quorum fabulis in hoc flagitio versari ipsum videmus Jovem. Ad magistros virtutis, philosophos veniamus: qui amorem negant stupri esse[1], et in eo litigant cum Epicuro, 70

6. *Si hæc flagitia non probaremus.* Sic Med. Ballinl. Bak. aliique codices. At quum Reg. Pithœan. Pall. quart. quint. et Fabr. dent « si hæc flagitia nos probaremus », Cl. Bentleius legit « nisi hæc flagitia nos probaremus ». Dav.

7. *Nulla esset omnino.* Quia fere semper amantes in scenam producuntur. Nein.

8. *Quid ait ex tragœdia princeps ille Argonautarum?* Sic restituendum est ex Victor. Pal. quart. inclinante huc Pal. tert. qui *aut* legit. Quintus vero, « quid ex trag. p. i. Arg. Jason », quod probarem absente nomine ducis. Vulgo, « quid autem ex trag. » Gernhard. — Jasonem intelligit, qui in tragœdia Medea verba hæc dicebat ad Medeam, quam expulerat. Significat autem tragœdiam, opinor, Ennii, de qua in lib. I de Fin. sic scriptum legimus: « quis tam inimicus pæne nomini romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut rejiciat? » Euripides apud Græcos scripsit Medeam: apud nostros exstat Medea Senecæ. Grammatici identidem citant Ennium et Accium poetas in Medea. Beroald.

9. *Tu me amoris.* Græce sic leguntur apud Euripidem Med. vs. 530: ... Ἔρως σ' ἠνάγκασε Πόνων ἀφύκτων τοὐμὸν ἐκσῶσαι δέμας. In vulgatis erat, *honoris servasti gratia;* quam lectionem, licet agnoscant MSS, respuit tamen metri ratio. Dav.

XXXIII. 1. *Amorem negant stupri esse, et in eo litigant cum Epicuro.* Decrevere Stoici, Amorem μὴ εἶναι συνουσίας, ἀλλὰ φιλίας. Vide Diogenem Laertium, VII, § 130. Athenæus lib. XIII, pag. 561: Ποντιανὸς δὲ Ζήνωνα ἔφη τὸν Κιτιέα ὑπολαμβάνειν τὸν Ἔρωτα θεὸν, εἶναι, ΦΙΛΙΑΣ, καὶ ἐλευθερίας, ἔτι δὲ καὶ ὁμονοίας, παρασκευαστικὸν, ἄλλου δ' οὐδενός. Contra Epicurus amorem definit σύντονον ὄρεξιν ἀφροδισίων, ut docet Alexander Aphrodi-

non multum, ut opinio mea fert, mentiente. Quis est enim iste amor amicitiæ? Cur neque deformem adolescentem quisquam amat, neque formosum[2] senem? Mihi quidem hæc in Græcorum gymnasiis[3] nata consuetudo videtur; in quibus isti liberi, et concessi sunt amores[4]. Bene ergo Ennius:

Flagitii principium est nudare inter civis corpora[5].

Qui ut sint[6], quod fieri posse video, pudici, solliciti

siensis apud Suidam in ἔρως. Et « Hæc Venus est nobis; hinc autem est numen Amoris », si Lucretio fides, IV, 1052. Utrique falsi; nam duplex vel etiam triplex est Amor; de quo multa multi. Vide sis inter alios Maximum Tyrium Dissert. XXIV, 3; Apuleium Apol. pag. 419; Habit. doct. Plat. pag. 610; Lucianum Amor. tom. I, pagg. 299, 900; Themistium Orat. XXII, pag. 281, et Himerium apud Photium col. 1032. Hinc recte decrevit Aristoteles, εἶναι τὸν Ἔρωτα μὴ μόνον συνουσίας, ἀλλὰ φιλοσοφίας, ut Laertius, V, 31; sed omnino legendum ΦΙΛΙΑΣ, quemadmodum patet ex Stobæi Eclog. Ethic. pag. 193. Dav. — *Qui amorem negant stupri esse.* Sc. ad stuprum ipsum pertinere. Sine dubio Platonem innuit, qui in Symposio duos facit amores, alterum communem voluptatem, corpus delinientem, alterum sublimem illum a contemplatione pulchrorum corporum virilium sensim ad pulchritudinem animi adscendentem. Cf. Tiedemanni Argumm. Dial. Plat. p. 364, et adumbrationem Symposii, quam Wolfius V. C. editioni a se curatæ præfixit. — *Cum Epicuro.* Qui amorem solum ad sensuum voluptatem spectare putabat. In eoque dicit Noster se fere Epicuro assentiri. Nais.

2. *Neque formosum senem.* Hoc facetissime notat Lucianus in Amor. tom. I, pag. 890. Dav.

3. *In Gr. gymnasiis.* Ubi nudi juvenes se exercere consueverant. Naid.

4. *In quibus isti liberi, et concessi sunt amores.* Corn. Nepos Præf. § 4, « Laudi in Græcia ducitur adolescentulis, quam plurimos habere amatores ». Notus sane est Thebanorum ἱερὸς λόχος, de quo vide Plutarchum in Pelopid. pag. 287, et Athenæum lib. XIII, pag. 561. Noti item Spartanorum amores, quos castos esse contendunt Ælianus V. H. lib. III, cap. 12, ac Maximus Tyrius Dissert. X, pag. 112. Hic tamen confitetur Diss. IX, pag. 96: τῇ τε ἄλλῃ Ἑλλάδι καὶ πολὺ μάλιστα ταῖς Ἀθήναις μεστὰ πάντα ἀδίκων ἐραστῶν καὶ μειρακίων ἐξηπατημένων. Simile judicium de Bœotis et Eleis tulit Libanius Declam. XIX, pag. 501. Davis.

5. *Nudare inter civis corpora.* Lacedæmonii primi, ut docet Thucydides, corpora certaturi nudaverunt, propalam se exuentes, oleoque unxerunt. « Græca res, inquit Plinius, nihil velare ». Plato in lib. V de Rep. non solum viris, sed etiam mulieribus corpora nudanda exercendaque gymnasticis exercitationibus esse permittit. Beroald.

6. *Qui ut sint.* Fac eos esse pudicos. Naiu.

tamen et anxii sunt; eoque magis, quod se ipsi continent et coercent. Atque, ut muliebres amores omit- 71
tam, quibus majorem licentiam natura concessit: quis aut de Ganymedis raptu dubitat, quid poetæ[7] velint; aut non intelligit, quid apud Euripidem et loquatur, et cupiat Laius[8]? quid denique homines doctissimi et summi poetæ de se ipsi[9] et carminibus edant, et cantibus? Fortis vir in sua republica cognitus, quæ de juvenum amore scripsit Alcæus? Nam Anacreontis[10] quidem tota poesis est amatoria. Maxime vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum, apparet ex scriptis. Atque horum omnium libidinosos esse amores videmus.

XXXIV. Philosophi sumus exorti[1], et auctore qui-

7. *Quid poetæ velint.* Poetæ, sine dubio putat Cicero, in fingendo mytho de raptu Ganymedis nihil aliud voluerunt, quam Jovem libidinosum depingere. Neid.

8. *Quid apud Euripidem et loquatur, et cupiat Laius?* Ph. Beroaldo videtur Laius apud Euripidem in Phœnissis amores præposteros optare; nec alia mens est Aldi nepotis. In animo habuerunt Phœniss. vs. 15, ubi Laius Ἐλθὼν ἐρωτᾷ Φοῖβον, ἐξαιτεῖ θ' ἅμα Παίδων ἐς οἴκους ἀρσένων κοινωνίαν. At vero turpiter se dederunt hi Catones; nihil enim aliud hoc voto continetur, nisi ut Laius ex Jocasta prolem masculam suscipiat: quod a nefanda ista παιδεραστίᾳ distat quam longissime. Interpretes reliqui ne γρῦ quidem. Videamus igitur, an a nobis solvi possit hoc problema. Laius Chrysippum filium Pelopis ardebat. Vide scholiasten in Phœniss. vs. 1748, et quæ notarunt interpretes ad Æliani V. H. XIII, 5. Hoc argumentum Chrysippo fabula tractavit Euripides; et in Agathonis sane gratiam, si nonnullis credimus. Adi sis eumdem Ælianum, lib. II, cap. 21. Ad illud drama respexisse nostrum, cunctis, ut puto, fiet credibile. Dav.

9. *De se ipsi.* Sic corr. Bentl. Alii *de se ipsis.* Mox Ern. *scripsit* pro vulg. *scribit.*

10. *Anacreontis.* Anacreon, lyricus poeta, amavit puerum nomine Bathyllum, de quo Horat. Epod. XIV, 10: « Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium ». Conf. A. Gell. N. A. XXI. Teius Anacreon dicitur e patria Teo; quæ civitas est Ioniæ. Periit Anacreon acino uvæ passæ strangulatus. Beroald.

XXXIV. 1. *Philosophi sumus exorti ... tribueremus.* Buherius conj. « Philosophi sunt mox exorti ... tribuerunt nimis », eamque conj. vellet J. V. L. in textum recipi. — *Philosophi sumus exorti.* Cicero, quum ipse Academicus esset, Academici autem a Socratica disciplina manarent, haud secus atque Peripatetici, se iis philo-

dem nostro Platone[2], quem non injuria Dicæarchus
72 accusat, qui amori auctoritatem tribueremus. Stoici vero et sapientem amaturum esse dicunt[3]; et amorem ipsum, conatum amicitiæ faciundæ[4] ex pulchritudinis specie definiunt. Qui si quis est in rerum natura sine

sophis adnumerat, qui amori auctoritatem tribuerent. Nein. — Pars hæc est Socraticæ dissimulationis, cujus neque artem neque usum ignoravit Cicero. Hinc est quod graviorem notam inusturus philosophis, in eorum se turbam conjicit; velut qui vineta ipse sua cæderet; ut ait in causa non dissimili Horatius, II, Epist. I, 220. Quem satirici dissimulatoris locum qui legerit, facile, credo, intelliget, quo sensu dixerit Cicero : « Philosophi sumus exorti ». Anonymus.

2. *Auctore quidem nostro Platone.* Turpia sunt in Phædro et Symposio, quæ de amore scripsit ille philosophus. Eorum nonnulla repetit Maximus Tyrius Dissert. XXIV, 4. Vide et Eusebium Pr. Ev. lib. XIII, cap. 20. Quin immo παιδεραστaῖς adeo amicum se præbuit, ut dixerit τοὺς παρὰ τὴν φύσιν ἀσελγεῖν ἀσπαζομένους καὶ τῇδε μακαρίους ... καὶ ἐκδημήσαντας ἐντεῦθεν εὐδαίμονας ἔσεσθαι, quod adductis ejus verbis probat Theodoretus Therap. IX, pag. 131. Tertullianus de Anima, cap. 54 : « Plato quidem non temere philosophorum animabus hoc præstat (ut eas in supernis mansionibus collocet), sed eorum, qui philosophiam scilicet exornaverint amore puerorum. Adeo etiam inter philosophos magnum habet privilegium impuritas ». Huc adludit etiam Lucianus Amor. tom. I, pag. 909. Scelerata alia dicta Platonis ad amorem spectantia refert Cyrillus in Julian. lib. VI, pag. 187, ejusque versus amatorios suppeditabunt Athenæus, lib. XIII, pag. 589; Diogenes Laertius, III, 29, seqq. et Apuleius Apol. pag. 416. Sed et Dionem Platonis fuisse παιδικὰ tradit Ælianus, V. H. IV, 21. Quod si, prout testatur Hesychius Milesius, et ex eo Suidas, Πλάτων ὁ φιλόσοφος λέγεται μὴ γάμον τινὰ μηδὲ ὁμιλίαν σώματος καθάπαξ ἀνασχέσθαι, « Lascivus scriptis, corpore castus erat ». Sane Platonem « aliquod perpetrasse flagitium nullus historicorum vel poetarum dixit aut finxit », si fides Augustino C. D. lib. II, cap. 14, ejusque de amore sententia vitio vacat, si modo interpretem accipimus Apuleium de Habit. Doctr. Plat. pagg. 610, 611. Dav.

3. *Sapientem amaturum esse dicunt.* Vide Menagium ad Laertii VII, 129, et Senec. Ep. 116. Dav.

4. *Amorem ipsum, conatum amicitiæ faciundæ.* Diogenes Laertius, VII, 130 : Εἶναι δὲ τὸν ἔρωτα ἐπιβολὴν φιλοποιΐας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον. Eadem repetit Suidas in ἔρως: Andronicus Rhodius περὶ παθῶν, pag. 525 : Ἔρως δὲ ἐπιθυμία φιλίας· ἡ ἐπιθυμία θρου εἰς ναῶν κατὰ κόσμησιν καλῶν ἣν ἐπιβουλὴν καλοῦσι φιλοπονίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον. Corruptissime. Scribendum videtur, ἔρως δὲ ἐπιθυμία φιλίας· ἡ ἐπιθυμία ΑΝΘΡΩΠΟΥ εἰς ΝΕΟΝ κατὰ κόσμησιν ΚΑΛΟΝ, ἣν ΕΠΙΒΟΛΗΝ καλοῦσι ΦΙΛΟΠΟΙΙΑΣ διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον. Huc facientia Sexti Stobæique verba jam dedit Æg. Menagius ad Laertii VII, 113. Davis.

sollicitudine[5], sine desiderio, sine cura, sine[6] suspirio: sit sane. Vacat enim omni libidine. Hæc autem de libidine oratio est. Sin autem est aliquis amor, ut est certe, qui nihil absit, aut non multum, ab insania, qualis in Leucadia[7] est:

Si quidem sit quisquam deus, cui ego sim curæ.

At id erat[8] deis omnibus curandum, quemadmodum 73
hic frueretur voluptate amatoria.

Heu me infelicem!

Nihil verius. Probe et ille[9],

Sanusne es, qui temere lamentare?

Sic insanus videtur etiam suis. At quas[10] tragœdias efficit?

Te, Apollo sancte, fer opem; teque, omnipotens Neptune, invoco;
Vosque adeo, venti.

Mundum totum se ad amorem suum sublevandum conversurum putat; Venerem unam excludit, ut iniquam[11]:

5. *Sine sollicitudine, sine desiderio.* Tamquam solitis amoris comitibus. Neid.

6. *Sine suspirio.* Edd. vett. aliquot MSS, *et suspicione*, quod æque Bentleio placebat.

7. *Qualis in Leucadia est.* Turpilii est fabula. Eam ex Alexidis Leucadia vertit, quam memorat Athenæus, lib. III, pag. 94, et lib. XI, pag. 498. Vide G. J. Vossium de Poet. Lat. pag. 11, qui sua debet Is. Casaubono Anim. pag. 181. Vicissim, quæ vir maximus Anim. lib. VIII, cap. 4, de Alexidis et Turpilii Demetrio refert, Jos. Scaligero Conject. in Varronis lib. VI L. L. pag. 159, accepta sunt ferenda. Davis.

8. *At id erat.* Ironice; eodem fere modo, quo apud Virgil. Æn. IV, 379: « Scilicet is superis labor est! » Neid.

9. *Et ille.* Alius quis exprobrat recte insaniam ei. Neid.

10. *Quas tragœdias efficit.* Sic Reg. Pithœan. Vulgo *effecit*. Cl. autem Bentleius reponit « quas tragœdias effutit ». Dav. — Ern. Wolf. Schütz. Davisium sequuntur. — Quantopere lamentatur, ut solent in tragœdiis lamentari. Neid.

11. *Venerem unam excludit, ut iniquam.* Non video, quid sit, cur cum Turnebo, Advers. VII, 18, reponamus, « Venerem unam excludit ut nequam »: adversantur enim codices, et, nisi me fallit animus, ea, quæ volu-

Nam quid ego te appellem, Venus[12]?

Eam præ libidine negat curare quidquam. Quasi vero ipse non propter libidinem tanta flagitia et faciat, et dicat.

74 XXXV. Sic igitur affecto[1] hæc adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendat[2] quam leve, quam contemnendum, quam nihil[3] sit omnino; quam facile vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit. Abducendus est etiam nonnumquam ad alia studia, sollicitudines, curas, negotia; loci denique mutatione[4], tamquam ægroti non[5] convalescentes,
75 sæpe curandus est. Etiam novo quodam[6] amore veterem amorem tamquam clavo clavum[7] ejiciundum

ptatibus avocata (hoc enim notant seqq. *præ libidine*) justas preces non curat, *iniqua* merito censeatur. Dav.

12. *Nam quid ego te appellem, Venus?* Quum nullum metrum in præcedd. versibus reperiret Bnherius, eos trochaicos efficere tentavit. Fingit adolescentem cum quodam colloqui servo, versusque sic constituit, adolescentem nota A, servum nota B designans. « A. Siquidem sit quispiam deus, cui ego curæ siem, Heu me infelicem! B. Sanusne es qui tam lamentare? A. Te, Apollo sancte, fer opem; teque, potens Neptune, invoco; Vosque adeo venti. Nam quid ego te appellem, Venus ». Sed forsan hi versus non erant in poeta continui, sed a Cicerone huc et illuc desumpti sunt. J. V. L.

XXXV. 1. *Sic igitur affecto ... satietas deterreret.* Curatio ejus qui amore laborat. Neid.

2. *Ostendat quam leve.* Quis hoc *ostendat?* an *curatio?* Sed id quidem absurdum. Scribendum « ut ei (sic leg. non *et*) illud quod cupiat ostendatur, quam leve, etc. » Tum demum recte se locus habebit. Dav. — Davisium Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur. Sed vellemus aliquam auctoritatem codicum proferrent, qua sine, facile est in vulgata subaudire, « qui docet, qui mederi tentat ». Buherius mallet *ostendas.* Wopkens. vulgatam tuetur.

3. *Quam nihil.* Davis. e Reg. et Pith. *quam nihili.* Nihili est prorsus in tam incertis vulgatam mutare.

4. *Curas, negotia; loci denique mutatione.* Ovidius Rem. Am. 139: « Otia si tollas, inquit, periere Cupidinis arcus ». Et in sequentibus, v. 241: « Quum semel exieris, centum solatia curæ Et rus et comites et via longa dabunt ». Neid.

5. *Ægroti non conv.* Ern. negationem uncis inclusit, quæ tamen ad sensum est necessaria. Schutz.

6. *Etiam novo quodam amore.* Davis. scribit *quidem* e Reg. Pith. Pal. 3, 4, et Fabric. eumque sequuntur Schütz. et Neid.

7. *Tamquam clavo clavum.* Hieronymus ad Rusticum, pag. 39: « Philosophi sæculi solent amorem veterem

putant. Maxime autem admonendus, quantus sit furor
amoris. Omnibus enim ex animi perturbationibus est
profecto nulla vehementior : ut, si jam ipsa illa accu-
sare[8] nolis, stupra dico, et corruptelas, et adulteria,
incesta denique, quorum omnium accusabilis est tur-
pitudo : sed ut hæc omittas, perturbatio ipsa mentis
in amore, fœda per se est. Nam ut illa prætercam, 76
quæ sunt furoris : hæc ipsa per sese quam habent le-
vitatem, quæ videntur esse mediocria?

> .... Injuriæ [9],
> Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
> Bellum, pax rursum. Incerta hæc si tu postules
> Ratione certa facere, nihilo plus agas,
> Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Hæc inconstantia, mutabilitasque mentis, quem non ipsa pravitate deterreat? Est enim illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonstrandum, nullam esse nisi opinabilem, nisi judicio susceptam, nisi voluntariam. Etenim si naturalis[10] amor esset; et amarent omnes[11], et semper amarent, et idem amarent, neque alium pudor, alium cogitatio, alium satietas deterreret.

XXXVI. Ira vero[1], quum diu[2] perturbat animum, 77

amore novo, quasi clavum clavo, expellere ». Notum proverbium Ἥλῳ τὸν ἧλον, πατταλῳ τὸν πάτταλον. Vide Pollucem lib. IX, cap. 7, pag. 120; Suidam in Ἥλῳ; Lucianum Apol. pro merc. cond. pag. 489, pro lapso inter Salut. pag. 499; Des. Erasm. Adag. p. 646, aliosque. Dav.

8. *Accusare.* Si etiam scelerum, quæ ex amore proficiscuntur mentionem facere nolimus. Neid.

9. *Injuriæ, Suspiciones.* Terentii sunt versus Eunuch. act. I, sc. 1, 24. Vide Horatium Serm. lib. II, Eclog. III, 260, seqq. Dav.

10. *Si naturalis.* Oppositum voluntario, ergo necessarium, legibus naturæ obnoxium. Neid.

11. *Et amarent omnes, et semper amarent, et idem amarent.* Ut edidit Victorius exstat in Palat. quart. Vatic. alias hæc tendunt, « et amarent omnes, et amarentur, et semper amarent ». Gebhard.

XXXVI. 1. *Ira vero ... sic perturbatio erroris sit.* De ira ejusque sanandæ ratione. Neid.

2. *Quum diu.* Sic correxit Bentleius, sequente Ernestio. Vulgo *quæ quamdiu*, in quo fit anacoluthon; quod

dubitationem insaniæ non habet[3]; cujus impulsu exsistit etiam inter fratres tale jurgium :

Quis homo te exsuperavit umquam[4] gentium impudentia ?
— Quis autem malitia te[5] ?

Nosti quæ sequuntur. Alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimæ contumeliæ : ut facile appareat, Atrei filios esse, ejus, qui meditatur pœnam in fratrem novam.

Major mihi moles, majus miscendum malum[6],
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Quæ igitur hæ erunt moles[7] ? audi Thyestem ipsum :

Wolfius et Neid. post verba « insaniæ non habet » inducta linea designaverunt. Sed vocem *quæ* Manut. Lamb. Davis. Schütz. quæ abest a Pal. pr. deleverunt, scripto simpliciter *quamdiu*. Nobis longe melior videtur lectio *quamdiu ;* quia non necesse est diu iram manere, ut furor sit ; etiamsi brevissima sit, quamdiu exsistit furor est.

3. *Dubitationem insaniæ non habet.* De ira dubitandum non est, quin sit insania, quamdiu durat. Neid.

4. *Quis homo te exsuperavit umquam gentium impudentia ? Quis.* Bentleius utroque loco jussit scribi *qui* ob metrum versuum qui sunt trochaici ; et *usquam* pro *umquam* ob latinitatem quæ vulgatam lect. non novit. Davis. Bentleio obsequutus est. Schützius et Neid. adoptaverunt *usquam*, retinuerunt *quis.*

5. *Quis autem malitia te ?* Schützius post Wolf. suasu Buherii, « Quis te autem malitia ». Hoc jurgium est inter Agamemnonem et Menelaum Atrei filios.

6. *Miscendum malum.* Sic iterum loquitur Cicero Catil. IV, cap. 3. Pariter Phædrus lib. I, Fab. 28 : « Hosti dolorem damno miscens sanguinis ». Hos autem versus repetit Noster de Orat. lib. III, cap. 58, ac lib. III N. D. cap. 26, et Accii videntur ex Atreo fabula. Dav.

7. *Quæ igitur hæ erunt moles ?* Davisius scribit « Quo igitur hæc erumpit moles », notatque : Vulgo, « quæ igitur hæ erunt moles ». At Reg. « quo igitur hæc erunt moles ». Pall. sec. tert. « quo igitur hæe eruit moles » : unde Cl. Bentleius sagaciter emendavit « quo igitur hæc erumpit moles ». Quum vero Pith. det « quorum igitur hæc erunt moles », forsan Cicero scripsit, « quorsum igitur hæc erumpit moles ». Vide sis ad Tusc. I, 25. — Bentleius non *erumpit*, sed *erupit* suadebat, quod propius est lect. Pall. 2, 3, *eruit.* Wolf. Schütz. et Neid. scripserunt « Quæ igitur hæc erit moles ». E conj. Lambini ; nempe quia præcedit, « major mihi moles » hoc etiam loco singularem numerum requirunt.

Impius hortatur me frater [8], ut meos malis miser
Manderem [9] natos.

Eorum viscera apponit : quid est enim, quo non progrediatur eodem ira [10], quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente. Horum enim potestas in totum animum esse debet. His aut subtrahendi sunt ii, in 78
quos impetum conantur facere, dum se ipsi colligant (quid est autem se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere?), aut rogandi orandique sunt, ut, si quam habent ulciscendi vim, differant in tempus aliud, dum defervescat ira. De-

8. *Audi Thyestem ipsum : Impius hortatur me frater.* Davisius scribit « audi Thyesten : Impius me hortatus frater », vocesque *cor. v. app.* poetæ tribuit. Quum, inquit, Reg. Pithœan. aliique præstantissimi codices dent, « Audi Thyesten ipsum : hortatur me frater, etc. » vox *impius* in *ipsum* Cl. Bentleio temere mutata videbatur. *Me hortatus* autem ob versus concinnitatem non minus ac ob ipsam latinitatem ab eodem viro præstantissimo reponitur : alioquin enim si *hortatur* præsenti tempore legas, *mandam* vel *mandem* cum Turnebo Lambinoque scribendum. — Neid. Davisium sequitur : Schützius *ipsum* delet cum Wolfio ; in ceteris vulgatam retinet.

9. *Ut meos malis miser Manderem natos.* In aliis est *Mandarem*, quam lect. exhibent Pal. quart. Fabric. Petrens. et Cantabr. ac ita plerique MSS, lib. III. de Orat. cap. 58, ubi hi versus iterum laudantur. Sic Lucretius, II, 637 : « Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus ». Ableganda tamen non est recepta lectio. Virgilius Georg. III, 268 : « Potniades malis membra absumpsere quadrigæ ». Eodem modo loquutus est Æn. III, 257. Ovidius Metam. XV, 92 : « ... nil te nisi tristia mandere sævo Vulnera dente juvat ». Quin etiam versiculos hosce reperias licet lib. III de Orat. cap. 58. Davis. — *Manderem* habent Oliv. Schütz. et Neid. Ceterum nota est fabula, Thyestem, quum regnum Argi affectaret, quo frater Atreus potiebatur, ejus uxorem amore inflammasse, ab eaque duos ex incesto liberos procreavisse. Atreus eum ulciscendi causa, exsulare jussit ; sed postea revocavit, ut crudeliori ultione sese satiaret, appositis Thyestæ suis natis in epulas.

10. *Quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor?* Forsan « quid enim est quod non progrediatur eodem ira quo furor? » Præstantissimus autem Bentleius locum sic refingit, « Quid enim est quo non progrediatur ira? Eo demum quo furor ». Nec multo aliter Lambinus et Fabricius emendarunt. Dav. — In proximis « horum ... his », *horum* referendum est ad *consilium*, *ratio*, *mens* ; *his* eos notat cujus ira curanda est.

fervescere autem certe significat ardorem animi invita ratione excitatum. Ex quo illud laudatur [11] Archytæ; qui quum villico factus esset iratior, «Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem?»

79 XXXVII. Ubi sunt ergo isti, qui iracundiam utilem dicunt? potest utilis esse insania? aut naturalem? an quidquam esse potest [1] secundum naturam, quod sit repugnante ratione? Quo modo autem, si naturalis esset ira, aut alius alio magis. iracundus esset, aut finem haberet prius, quam esset ulta [2] ulciscendi libido; aut quemquam pœniteret, quod fecisset per iram? Ut Alexandrum [3] regem videmus, qui quum interemisset Clitum, familiarem suum, vix a se

11. *Illud laudatur Archytæ.* Hoc plurimi memorant. Vide Plutarchum, tom. II, pagg. 10, 551; Valerium Maximum lib. IV, cap. 1, 1 ext. Lactantium de Ira Dei, cap. 18; Ambrosium Offic. lib. I, cap. 21, n. 94, et Hieronymum ad Salvinam Epist. IX, pag. 76, G. ac in Joelis, cap. 1. Seneca tamen de Ira, lib. I, cap. 15: «Inde est, quod Socrates servo ait, cæderem te, nisi irascerer». Sed videtur σφάλμα μνημονικόν, qualia sunt in Seneca frequentia. Simile quidem dictum Platoni tribuitur, ut patet ex iis quæ congessit Menagius ad Laertii III, 38. Ejus collectaneis addas licet ipsum Senecam de Ira lib. III, cap. 12, et Stobæum Serm. XX, pagg. 174, 175. Dav. — Diutius scilicet a Tarento patria Archytas abfuerat, ut Metaponte Pythagoram audiret: quum domum rediit, sua rura villici negligentia corrupta ac perdita vidit.

XXXVII. 1. *An quidquam esse potest.* Davis. scribit *an quidquam est*, notatque: MSS Reg. Pith. Vatic. et Pal. quart. «aut naturalem hanc quidquam est», vel «es, secundum naturam, etc.» unde sua sponte nascitur lectio quam dedimus. — Davisium Schütz. et Neid. sequuntur.

2. *Aut finem haberet prius, quam esset ulta ulciscendi libido.* Sic hunc locum præclare restituit P. Manutius, quem merito secutus est D. Lambinus. Vulgo *uila*, nec aliter MSS: quorum apud se potiorem esse consensum testatur Gebhardus, quam magnificas editiones Lambini. At homo noster, malæ causæ pessimus est patronus; nam plane ineptam esse codicum scripturam statim videbit is, cui non omnino deest ratiocinandi facultas. Ira, definiente Cicerone, est ulciscendi libido. Si igitur «ira finem haberet, priusquam esset ulla ulciscendi libido», finem haberet ira, priusquam esset; hoc est, exsistere desineret, priusquam exsisteret; quod plane repugnat. Igitur sinon cæcus, hac tamen in re luscitiosus J. M. Brutus, qui cur improbanda fuerit illa lectio non intelligebat. Dav.

3. *Ut Alexandrum.* Historiam vide apud Curtium, VIII, 1 et 2 ab init. Neid.

manus abstinuit: tanta vis fuit pœnitendi! Quibus cognitis, quis est, qui dubitet, quin hic quoque motus animi sit totus opinabilis ac voluntarius? Quis enim dubitarit, quin ægrotationes animi, qualis est avaritia, gloriæ cupiditas, ex eo, quod magni æstimetur ea res, ex qua animus ægrotat, oriantur? Unde intelligi debet, perturbationem quoque omnem, esse in opinione. Et si fidentia, id est, firma animi confisio, 80
scientia quædam est, et opinio gravis, non temere assentiens[4]; diffidentia quoque est metus exspectati et impendentis mali[5]. Et, si spes est exspectatio boni; mali exspectationem esse necesse est metum. Ut igitur metus, sic reliquæ perturbationes sunt in malo. Ergo ut constantia, scientiæ; sic perturbatio, erroris est. Qui autem natura[6] dicuntur iracundi, aut misericordes, aut invidi, aut tale quid, ii sunt constituti[7], quasi

4. *Assentiens.* Davis. e MSS Gebhardianis et suis recepit *assentientis*, eumque Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur.

5. *Diffidentia quoque est metus exspectati et impendentis mali.* Sic Davisius rescribi voluit, quum vulgata « metus quoque est diffidentia exsp. et imp. mali » monstrosa ei videretur. — Interpunge, *si* velis: « metus quoque est diffidentia, exspectati et impendentis mali ». ANONYMUS. — Wolfius et Neid. vulgatam retinuerunt.

6. *Qui autem natura . . . lippitudo depellitur.* Cicero quum in antecedentibus disputasset contra Peripateticos, qui perturbationes naturales perhibebant, jam exponit, non idem esse dicere: homo natura iracundus, misericors, invidus est, ac, iracundia ceteræque perturbationes homini sunt naturales. Ceterum ab illo enuntiato: homo natura est vitiosus, illud distinguitur: homo culpa sua est vitiosus. Utraque vitiositas sanabilis, sed hæc sanabilior illa, quia major inest in hac voluntatis liberæ vis. NEIN.

7. *Ii sunt constituti, quasi . . . santamen. Ut Socrates dicitur, quum.* Ita est in Pall. 2, 3, 4, 5, Vatic. nisi quod pro *ii*, *ei*: unde Lambinus tamen: « ii sunt ita const. » vulgo « ii sunt ejusmodi const. » GERN. — Davisius ex conj. Bentleii locum sic constituit: « eis sunt constituti . . . ut Socratis (*sc.* animus) dicitur. Quum multa, etc. » Idemque dederunt Schütz. Wolf. et Neid. (Nam quod Schützius habet in textu *Socrates*, hoc est ex errore, quoniam se dicit Davisio obtemperare). Sed forsan aliquis vulgatam ex anacolutho defendet, et præsertim ex eo, quod vv. *ut . . . quum* videntur inter se cohærere debere, ut sæpe fit suspensione quadam constructionis, qua Latini delectantur: adde quod post talem suspensionem quasi e more Ciceronis sequitur anacoluthon.

mala valitudine animi : sanabiles tamen. Ut Socrates dicitur, quum multa in conventu vitia collegisset in eum Zopyrus[8], qui se naturam cujusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent; ab ipso autem Socrate sublevatus[9], quum illa sibi insita[10], sed ratione a
81 se dejecta diceret. Ergo ut optima quisque[11] valitudine affectus potest videri, aut natura ad aliquem morbum proclivior: sic animus alius ad alia vitia propensior. Qui autem non natura, sed culpa vitiosi esse

8. *Quum multa in conventu vitia collegisset in eum Zopyrus.* Pari fere modo « probra quædam in eum explanantem et vitia » dixit Amm. Marcellinus, XXI, 10. Iste scilicet physiognomon « stupidum esse Socratem dixit et bardum . . . addidit etiam mulierosum ». Verba sunt Tullii de Fato, cap. 5, ubi vide interpretes. Omnino falsum crediderim Gui. Spencerum, qui ad Origenis in Cels. lib. I, pag. 26, physiognomonem, de quo loquimur, Zopyrum Thracem, Alcibiadis pædagogum, fuisse statuit. Vide Maximum Tyrium Diss. XXXI, § 3. Dav.

9. *Socrate sublevatus.* Defendebat Zopyrum Socrates, eumque recta dixisse dicebat. Neid.

10. *Quum illa sibi insita, sed rat. a se dejecta.* Hæc est Bentleii conj. nam vulgata erat : « q. i. sibi signa, sed, etc. » de qua Davisius : Nullo modo ferri potest hæc lectio; nec enim *signa*, quibus conjecturas suas faciunt nugivenduli physiognomones, ratione queunt dejici; nec, si dejecta fuissent, ulla judicii, quod tulit Zopyrus, daretur ansa. Mihi locum consideranti legendum videbatur, « quum illa (sc. *vitia*) sibi insita natura, sed ratione a se ejecta diceret ». Si librariis usitatum calleas scripturæ compendium, mutatio levis et exigua censebitur. — Veteres edd. *signa inesse*, unde conjicio, « si qua inessent, rat. » Bunhaius. — Hoc non placet, quia Socrates affirmare debuit hæc vitia sibi fuisse insita. Schütz. et Neid. Bentleium sequuntur.

11. *Ergo ut optima quisque . . . aut natura.* Vulgata pro *aut* habet *ut*; eamque omnino expressit Olivetus, qui observat: Sic omnino Vict. Man. et Gruter, nisi quod Victorius est auctior verbo *alius* post *videri*. Lambinus autem : « potest videri alius alio natura, etc. » Et a Lambino quidem huic loco salubritas quædam data est; verum a Bentleio, ni fallor, salus ipsa. Sic enim legit : « Ut optima quis valitudine affectus potest videri; at natura ad aliquem morbum proclivior ». — Davisius Wolf. Schütz. et Neid. Bentleii emendationem amplexati sunt. Ern. dedit *ut ut natura*. Nos Bentleio concedimus *aut* in *at* mutari debere; sed optimam esse lect. arbitraremur, si servaretur *quisque* : nam quum in altero membro « animus alius ad alia » de multis animis agitur, oportet in primo membro de multis corporibus mentionem fieri; atqui vocabulum *quisque* plerosque significat, dum *quis* de uno tantum dicitur.

dicuntur, eorum vitia constant e falsis opinionibus rerum bonarum ac malarum, ut sit alius ad alios motus perturbationesque proclivior. Inveteratio autem, ut in corporibus, ægrius depellitur, quam perturbatio; citiusque repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur[12].

XXXVIII. Sed cognita[1] jam causa perturbationum, 82 quæ omnes oriuntur ex judiciis opinionum et voluntatibus, sit jam hujus disputationis modus. Scire autem vos oportet[2], cognitis[3], quoad possunt ab homine cognosci, bonorum et malorum finibus, nihil a philosophia posse aut majus, aut utilius optari, quam hæc, quæ a nobis hoc quatriduo disputata sunt. Morte enim contempta, et dolore ad patiendum levato, adjunximus sedationem ægritudinis; qua nullum homini malum majus est. Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est, nec multum differt ab amentia; tamen ita ceteros[4], quum sint[5] in aliqua perturbatione aut metus, aut lætitiæ, aut cupiditatis, commotos modo et

12. *Quam diuturna lippitudo depellitur.* Ultimam vocem non omnino postulat sententia. Certe quum paullo ante dixerit, « inveteratio ægrius depellitur, quam perturbatio »; vix dubitem, quin invito Cicerone, repetitionem, nullo modo vel utilem vel elegantem, fecerit librariorum stultitia. Dav.

XXXVIII. 1. *Sed cognita jam*, etc. Epilogus totius disputationis. Neid.

2. *Vos oportet.* Davis. exhibet *nos oportet.* Ita, inquit, Ascensius, Erasmus, Manut. aliique recte ediderunt, ut ipse Tullius et adolescens, quocum loquutus fingitur, intelligantur. Sic et Balliol. exhibet. — Cum Davisio Schütz. et Neid. faciunt.

3. *Cognitis.* A philosophia, si excipias doctrinam de fin. bon. et mal. nihil majus exspectatur, quam ut ad has quæstiones de quibus præterlapso quatriduo disputavimus, respondeat. Neid. — Atqui in his disputationibus Tusculanis pro cognitis sumuntur fines bonorum et malorum. Qui in libb. de Finibus quinque quæruntur et inveniuntur.

4. *Tamen ita ceteros.* Media vox in hac structura prorsus est otiosa; quapropter cum Lambino Fabricioque delenda mihi videtur. Dav. — Wolf. Schütz. et Neid. eam vocem aut uncis incluserunt, aut deleverunt.

5. *Quum sint.* Davis. *sunt* e Reg. Pith. Med. sequentibus Schütz. et Neid. edidit.

perturbatos dicere solemus : at eos, qui se ægritudini dediderunt[6], miseros, afflictos, ærumnosos, calami-
83 tosos. Itaque non fortuito factum videtur, sed a te ratione propositum, ut separatim de ægritudine, et de ceteris perturbationibus disputaremus. In ea est enim fons miseriarum et caput. Sed et ægritudinis[7], et reliquorum animi morborum una sanatio est : omnes opinabiles esse et voluntarios, ea reque suscipi[8], quod ita rectum esse videatur. Hunc errorem, quasi radicem malorum omnium, stirpitus philosophia se extractu-
84 ram pollicetur. Demus ergo[9] nos huic excolendos, patiamurque nos sanari : his enim malis insidentibus[10], non modo beati, sed ne sani quidem esse possumus. Aut igitur negemus, quidquam ratione confici, quum contra nihil sine ratione recte fieri possit; aut quum philosophia ex rationum collatione constet, ab ea, si et boni, et beati volumus esse, omnia adjumenta et auxilia petamus bene beateque vivendi.

6. *Dediderunt*. Petrens. aliique MSS *dederunt*, quod Davis. in prima ed. exhibuerat.

7. *Sed et ægrit*. Bentl. conj. « sed quia ægrit. . . . videatur : hunc errorem, etc. »

8. *Ea reque suscipi*. Davisius in prima ed. dederat *eaque re suscipi*, notato : « Sic melius Petrens. Ven. 1491, et Froben. quam vulgg. *ea reque suscipi*. Mox in Norvic. est, *non modo non beati*. Secunda vero particula negans minime est necessaria, quum eam prætermittere soleant scriptores optimi, ut ostendimus ad lib. II, cap. 5 ». Postea vulgatam Davisius reduxit, admonitus a Bentleio, qui conf. jubet Toscul. V, 8, *contra Brutumne*; Fin. IV, 12, *non dolendive*.

9. *Demus ergo*. Davis. Schütz. et Neid. *demus igitur* e codd. Pith. et Reg.

10. *His enim malis insidentibus*. *Insidiantibus* habet optimos Pal. quod Gebhardus observavit. Nisi verborum fuisset perparcus; lectorea eadem opera monere potuit, quam stulta sit et ad rem nihil faciat ista lectio. Dav.

EXCURSUS

Ad ea Ciceronis verba, Tuscul. Quæst. lib. IV, cap. 13, § 29 et 30, p. 380 :

Ita fit, ut in altera, corruptione opinionum morbus efficiatur et ægrotatio; in altera, inconstantia et repugnantia. Non enim omne vitium partes habet dissentientes; ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, affectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens, sed non distorta, nec prava. Morbi autem, et ægrotationes, partes sunt vitiositatis, etc.

De hoc impeditissimo loco, in quo difficultatibus, quas præbet ipsa res, quæ inter acutissimas Stoicorum spinas annumerari potest, accedit obscuritas quæ ex incerto et forsan corrupto verborum contextu oritur, multum inter se decertaverunt viri docti, quorum diversas sententias operæ pretium est exponere, non ut omnino soluta difficultas videatur, sed ut lectori ipsi, re penitus cognita, judicium ferendum relinquatur.

« Hunc locum me non intelligere fateor. Ita relinquo cuique de illo judicium suum. Nam dicere corruptum et mutilum videri, vereor ne reprehendi facile possit; quum hoc usurpare liceat in omnibus quæ minus nobis perspicua sunt. In his igitur dubitationem, vel etiam ignorationem confiteri meam optimum putavi ». Camer.

« Quem locum sicco pede transilierunt alii, tu (Davisium alloquitur) ingenue fateris non capere, et medicinam tentas. Macte ea virtute. Sed vide, an et nos aliquid audiendum proferamus. Quid si legas, « Non enim o. v. p. habet diss. »

Quorum hæc erit sententia: « Vitiositas, inquit, est affectio a se ipsa dissentiens. Quæ si gravior sit, tum ex corruptione opinionum morbus fit et ægrotatio: sin levior, inconstantia tantum fit, et repugnantia. Non enim omne vitium pares habet dissensiones: nam qui quam proxime ad sapientiam attigerunt, discrepant quidem sibi ipsi, sed non ita distorto et pravo animo sunt, ut alii stultitia et vitiis cooperti ». Bentl.

« Lego « in altero », totumque hunc locum obscurari arbitror, non corruptis vocibus, sed propria sede motis, quas sic ordino: « Ita fit, ut in altero corruptione opinionum morbus efficiatur, et ægrotatio; in altero, inconstantia et repugnantia. Sed perturbationes sintne ejusdem partes, quæstio est. Non enim omne vitium partes habet dissentientes. Ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, affectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens; sed non distorta, nec prava. Vitia enim, affectiones sunt manentes; perturbationes autem moventes (1) ». Hæc nodi solvendi vera ratio est, ut a *vitio* distinguatur *vitiositas*. In hac est totius animi corruptio. Vitium quasdam ejus actiones depravat. Eo differunt autem animi vitia a corporis, quod hæc manentia sunt, illa moventia. Id intelligi vult his verbis Cicero: « Non omne vitium », utique animi, « partes habet dissentientes ». Quo significatur perturbationem moventem non semper animi pravitate gigni. Exemplum est in homine, qui quum non longe absit a sapientia, aliqua perturbatione quatitur. Dum in eo motu est, animus quidem sibi ipse dissidet; at enim levis illa commotio non ejusmodi est, ut conferri possit cum « pravitate membrorum, distortione, deformitate ». Deerrat machina debilitato

(1) In hoc retractando loco, Buherius omisit verba « Morbi autem et ægrotationes partes sunt vitiositatis », quæ in vulgata ante verba « Sed perturbationes sintne ejusdem partes » posita erant; eorum vero sedem movere minime necesse videtur.

tantisper libramento, sed ipso tamen integro. In his igitur verbis: « non enim omne vitium, etc. » solutio est propositæ difficultatis, an perturbationes sint partes morborum vel ægrotationum, quæ animum vitiant ipsum, non actiones dumtaxat ejus depravant. Perturbationes quidem Cicero aliquando morbos nominat, sed per abusum vocis: hic proprietatem sequitur: res discriminat, definit ». Bubær.

« Etsi decreveram nihil hic meum apponere; quia tamen me olim, elaboranda hujus libri gallica interpretatione occupatum, locus hic diu multumque exercuit, non dubitabo communicare cum lectoribus quod, omnem pertentanti exitum, in mentem denique venerat. Primum igitur moneo, vocem *partes*, quæ in hac disputatione occurrit sæpius, intelligendam esse, ut solent dialectici, de partibus subjectivis, quæ dicuntur species, et continentur sub genere, quod dividunt. Jam sententiam ipsam integram, ex brevitate obscuram, fusius explico.

« Geminam, quam dixi, et definii, pravam animi affectionem parit opinionum corruptio. In altera efficit morbum et ægrotationem; in altera inconstantiam, repugnantiamque et judiciorum et appetitionum. Harum alterutra, hoc est, vel inconstantia, vel repugnantia sufficit ut in animo sit vitium. Sicut enim in corpore ut inesse vitium dicatur, necesse non est, ut partes sint inter se dissentientes; satis est si male cohæreant, etiamsi unius formæ ac speciei sint omnes: sic in animo, non tantum ubi judicia appetitionesque a ratione dissident, vitium est; sed etiam ubi deest illis in bono firmitas et constantia. Porro quod inconstantia, sola et sejuncta a repugnantia, vitium contineat; apparet in iis hominibus, qui non longe a sapientia absunt, hoc est, a perfectione virtutis et vitiorum vacuitate. Quamvis enim non longe absint, quamdiu tamen aliquid in eis remanet stultitiæ, in vitio sunt; non quod animi affectionem habeant pravam aut distortam, sed quod in bono parum

constantem. Ceterum dubitari non potest, quin, qui appellantur in animis morbi, sint species vitiositatis. At quæstio est, an species hujus sint eæ, quæ appellantur perturbationes. Cui quidem quæstioni sic respondendum videtur, ut negemus perturbationes esse partes, formas, aut species vitiositatis, et sub vitii genere contineri. Nam species habere debet quidquid generi convenit : at in vitiis est aliquid, quod non est in perturbationibus. Si quidem, licet utraque, et vitia, et perturbationes, sint affectiones animi pravæ, tamen vitia sunt affectiones manentes; perturbationes vero non sunt affectiones ejusmodi manentes, sed *moventes*, et temporales; quocirca non sunt intra eamdem speciem.

«Id, ni fallor, voluit Cicero. Nihil mirum, si hæc spineta, in quibus se Stoici oblectabant, levi pede transiliit». Oliv.

M. T. CICERONIS

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER QUINTUS

ARGUMENTUM

LIBRI QUINTI.

Hoc libro continetur quinti diei disputatio, qua demonstratur « virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam ». Eam ipsam sententiam Brutus ipse maxime probabat, idque Cicero ait se intellexisse ex ejus libro de Virtute ad ipsum scripto, quo libro se ipsum a Bruto provocatum esse scribit de Fin. I, cap. 3.

Et in præfatione quidem hujus libri primum ait, eos qui se ad philosophiæ studium contulerint profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam operamque posuisse. Quod si ab iis inventa et perfecta virtus, in eaque satis præsidii ad beate vivendum sit, et præclare ab illis positam et a se ipso susceptam esse operam philosophandi. Sed si virtus non possit se ipsa adversus fortunam tueri, verendum esse, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi, quam vota facienda videantur. Ac se ipsum interdum huic sententiæ diffidere; eumdem vero etiam se castigare, quum cogitet, non ex hominum mollitia, sed ex ipsa virtute de virtutis robore existimandum esse. Hujus vero culpæ, qua homines omnia adversa tum venientia metu exaugeant, tum mœrore præsentia, ut omnium errorum et peccatorum, petendam esse a philosophia correctionem, quam egregiis laudibus exornat, cap. 1, 2. Cujus nomen etsi recens sit, rem tamen ipsam antiquissimam esse demonstrat. Itaque jam heroicis temporibus Ulixem et Nestorem sapientes fuisse, deinde Homerum et Lycurgum, tum septem illos sapientes; donec exortus sit Pythagoras, qui ipsum philosophiæ nomen invenerit, non tamen nominis solum inventor, sed rerum quoque amplificator fuerit, et Magnam illam Græciam privatim et publice præstantissimis et institutis et artibus exornaverit. A physicis deinde usque ad Socratem numeros potissimum motusque tractatos esse, quæsitumque unde omnia orirentur, quove recederent; studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus, et cuncta cælestia anquisita esse. Socratem autem primum philosophiam devocasse e cælo, i. e. de vita et moribus rebusque bonis et malis quærere

cœpisse. Ejus deinde multiplicem rationem disputandi rerumque varietatem et ingenii magnitudinem Platonis memoria et literis consecratam plura genera effecisse dissentientium philosophorum. Ex quibus se potissimum Socraticam rationem consequutum esse, in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quærendi; cumque morem etiam in his Tusculanis disputationibus superiore quatriduo, et hoc quinto et ultimo die tenuisse, cap. 3-4.

Negaverat auditor ad beate vivendum satis posse virtutem. Cicero quærit an ad recte, honeste, laudabiliter, postremo ad bene vivendum satis præsidii sit in virtute! Quo concesso, concedi sibi vult, qui bene vivat eum etiam beate vivere. Id negat auditor, quoniam bene, i. e. constanter, graviter, sapienter, fortiter vivere etiam in tormentis aliquis possit; beata autem vita in equuleum non accedat. Cicero igitur auditorem reducit ad id, quod superioribus diebus actum erat, ostenditque necessario beatos esse eos, quos nulli metus terreant, nullæ ægritudines exedant, nullæ libidines incitent, nullæ futiles lætitiæ exsultantes liquefaciant, cap. 5-7. Quamquam igitur res videbatur superioribus illis disputationibus confecta esse, auditor tamen habere se ait, quæ requirat. Assentiri enim se, si, quod honestum sit, id solum sit bonum, sequi etiam vitam beatam virtute confici; eodemque modo, si vita beata in virtute sit, nihil esse, nisi virtutem bonum. Brutum autem auctore Aristo et Antiocho virtutem cum beata vita conjunctam esse putare, etiam si sit bonum aliquod præter virtutem. Cicero reponit, sibi de ea re et cum Antiocho sæpe et cum Aristo dissensionem fuisse, quod sibi non videretur quisquam esse beatus posse, quum in malis esset, in malis autem putaret sapientem esse posse, si essent ulla corporis aut fortunæ mala. Contra ea et dictum ab Antiocho, et scriptum compluribus locis : virtutem ipsam per se beatam vitam efficere posse, neque tamen beatissimam. In quo Cicero constantiam desiderat. Quum enim illi philosophi tria genera malorum esse dicant, qui duorum generum malis omnibus urgeantur, ut omnia adversa sint in fortuna, omnibus oppressum et confectum corpus doloribus, eis dici non posse paullum ad beatam vitam deesse, non modo ad beatissimam, cap. 8. Itaque constantius certe Theophrastum dixisse in rotam beatam vitam

non escendere. Nam Epicurum quidem sibi haud constanter convenienterque dicere, quum neget, quemquam jucunde posse vivere nisi idem honeste, sapienter, justeque vivat, aut quum dicat fortunam exiguam intervenire sapienti. Nam quum beatus dicatur is, qui sit in bonis nullo adjuncto malo, eique verbo nulla alia subjecta notio sit, nisi secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio, hanc assequi virtutem, si quidquam præter ipsam boni sit, non posse. Affuturam enim esse, si mala illa ducamus, turbam quamdam, ut paupertatem, ignobilitatem, humilitatem, solitudinem, amissionem suorum, graves dolores corporis, perditam valitudinem, debilitatem, cæcitatem, interitum patriæ, exsilium, servitutem, in quibus aut pluribus, aut omnibus uno tempore quum sapiens esse possit, neminem præstare posse, sapientem semper beatum fore. Itaque missa quæstione, utrum de ratione beate vivendi in sola virtute ponenda inter Stoicos et Peripateticos conveniat necne, ostendit auctor se ejus sententiæ gravitatem a Platone repetiturum, cap. 9-13.

Primum igitur argumentum, quo efficitur virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam, hoc est: Humanus animus decerptus ex mente divina, si est recte excultus, fit perfecta mens, id est, absoluta ratio, quod est idem virtus. Et si omne beatum est, cui nihil deest, et quod in suo genere expletum atque cumulatum est, certe omnes virtutis compotes beati sunt. Immo sunt beatissimi. Nihil enim deest ad beate vivendum ei, qui confidit suis bonis. Qui autem diffidit beatus esse non potest. At diffidat necesse est, qui bona dividit tripertito. Qui enim potuit aut corporis firmitate, aut fortunæ stabilitate confidere? Atqui nisi stabili et fixo et permanente bono beatus esse nemo potest. Itaque qui virtutis compos est, solus est beatus, quippe qui non timeat, ne eorum, in quibus vita beata consistit, aliquid deperdat; quod certe non ita se haberet, nisi omne bonum in una honestate consisteret. Atque quum perturbationes animi miseram, sedationes autem vitam efficiant beatam, qui his concitationibus solutus ac liber est, eum nemo dubitabit beatum dicere. Atqui sapiens semper ita affectus est. Semper igitur sapiens beatus est. Præterea omne bonum lætabile est; quod autem lætabile id prædicandum et præ se ferendum; quod tale autem id etiam gloriosum. Si vero gloriosum, certe laudabile; quod

autem laudabile profecto etiam honestum. Quod bonum igitur id honestum. At quæ isti philosophi præter virtutem in bonis numerant, ne ipsi quidem honesta dicunt. Solum igitur bonum quod honestum. Ex quo efficitur honestate una vitam contineri beatam. Nam ea bona non sunt dicenda, quibus abundantem licet esse miserrimum. Postremo quum in virtute satis sit, ut fortiter vivamus, sequitur ut magno animo, et quidem ut nulla re umquam terreamur, semperque simus invicti. Sequitur, ut nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet. Ergo omnia profluenter, absolute, prospere. Satis ergo etiam ad beate, cap. 14-18.

Jam ut illud magis elucescat, exempla afferuntur hominum improborum cum bonis et sapientibus comparatorum; L. Cinnæ cum Lælio, C. Marii cum Catulo, Dionysii, Syracusanorum tyranni, cum Archimede comparati, cap. 19-23. Tum exprimitur viri cujusdam optimis artibus præstantis imago, partim omnibus philosophiæ disciplinis exculti, partim in republica versantis, amicitiisque doctorum et sapientium hominum florentis, ostenditurque qui his gaudiis fruatur, eum beatum esse, idque necesse esse omnes confiteri, cap. 24, 25. Et hanc beatam sapientis ex virtute vitam ne imminui quidem posse dolore corporis, etsi hic videatur acerrimus virtuti adversarius, cap. 26-28.

Sequitur disputatio de eorum philosophorum in primis Peripateticorum et Academicorum sententiis, qui negarent virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. Itaque recenset diversas philosophorum de finibus bonorum et malorum sententias. Eæ sunt primum simplices quatuor: 1° Nihil bonum nisi honestum, ut Stoici; 2° nihil bonum nisi voluptas, ut Epicurus; 3° nihil bonum nisi vacuitas doloris, ut Hieronymus; 4° nihil bonum, nisi naturæ primis bonis aut omnibus aut maximis frui, ut Carneades. Hæc igitur simplicia, illa, quæ sequuntur mixta. Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici secus; voluptatem cum honestate Dinomachus et Calliphon copulavit. Indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adjunxit. His igitur omnibus licere sapientem beatum prædicare demonstratur. Epicurum enim, quem voluptarium dicant, satis tamen esse contra mortem et dolorem paratum; qui, eum diem quo moritur beatum appellat, maximisque doloribus affectus,

eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat, qui, si illius de dolore doctrinam audis, dolorum magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem lenitate; eumdem vero Epicurum etiam et reliquos philosophos æque paratos esse ad cetera quæ mala putentur. Parvo enim contentos paupertatem non extimescere. Et quod ad cupiditates attineat, Epicurum earum genera sic divisisse, ut partim esse naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias, partim nec naturales, nec necessarias esse diceret; necessarias satiari posse pæne nihilo; secundum autem genus nec ad potiendum difficile esse nec ad carendum; tertias quod essent plane inanes, funditus ejiciendas. Itaque Epicurum omnes ejusmodi voluptates extenuasse; et sic præcipere, ut voluptatem quidem expetendam doloremque fugiendum dicat, idem tamen hac usurum compensatione sapientem, ut voluptatem fugiat, si ea majorem dolorem effectura sit, et dolorem suscipiat majorem efficientem voluptatem, et hæc omnia tamen ad animum referre. Et quum animus et præsentem sentiat voluptatem, et perspiciat venientem, nec præteritam præterfluere sinat, Epicuro auctore perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore, cap. 29-33. Similia ad victum transferri, extenuarique magnificentiam et sumptus epularum, cap. 34, 35. Ubi Tullius paupertatis causam defendit, allatis egregiis exemplis, probatque eam nihil obstare felicitati, tum quia jucunditas victus est in desiderio, non in satietate, tum quia ipsa natura minimis et vilissimis rebus ad explendum illud desiderium contenta est. Neque vero ignobilitatem, aut humilitatem, aut popularem offensionem sapientem beatum esse prohibere, quia pessimus est judex gloriæ tribuendæ populus, qui sæpe ipsam virtutem odit, ut exemplo fuit Aristides, cap. 36; neque exsilium, quod in maximis malis ducatur, quia præstantissimi homines in perpetua peregrinatione ætatem suam traduxerunt, qui certe ob id miseri non habiti sunt, cap. 37. Jam vero motus animi, sollicitudines, ægritudines oblivione leniri, traductis animis ad voluptatem. Itaque nec cæcitatem, nec surditatem, nec acerrimos corporis dolores sapientium perpetuam bene vivendi facultatem impedire. Ceterum si dolores longinquitate producti vehementius torqueant, quam ut causa sit, cur ferantur, portum præsto esse,

scilicet mortem, æternum nihil sentienti receptaculum. Et quum hoc vel ii philosophi dicant, quorum ea sententia sit, ut virtus per se ipsa nihil valeat, multo magis id esse philosophis a Socrate et Platone profectis faciendum, quorum alii tantam præstantiam in bonis animi esse dicant, ut ab his corporis et externa obscurentur, alii autem hæc ne bona quidem ducant, in animo reponant omnia, cap. 38-41.

M. T. CICERONIS
TUSCULANARUM QUÆSTIONUM
AD M. BRUTUM
LIBER QUINTUS.

VIRTUTEM AD BEATE VIVENDUM SE IPSA ESSE CONTENTAM.

I. Quintus hic dies[1], Brute, finem faciet Tusculanarum disputationum, quo die est a nobis ea de re, quam tu ex omnibus maxime probas, disputatum. Placere enim tibi admodum sensi, et ex eo libro, quem ad me accuratissime scripsisti[2], et ex multis sermonibus tuis, virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. Quod etsi[3] difficile est probatu, propter tam varia, et tam multa tormenta fortunæ; tale tamen[4] est, ut elaborandum sit, quo facilius probetur; nihil est enim omnium, quæ in philosophia tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur. Nam, quum ea 2

I. 1. *Quintus hic dies... de quo disputaremus.* In prœmio hujus libri varia tractantur. Agitur enim de gravitate quæstionis instituendæ, an nimirum virtus ad beate vivendum se ipsa sit contenta. De dignitate philosophiæ; ejus laus ad eamque apostrophe. De ejus vituperatoribus. De studio sapientiæ culto prius quam nomen philosophiæ ortum esset; ac de origine nominis philosophi. Nein.

2. *Ex eo libro, quem ad me accuratissime scripsisti.* Intelligitur Bruti liber de Virtute, quem ad Ciceronem scripsit, ut ait noster de Fin. lib. I, cap. 3. Ex eo nonnulla profert Seneca Cons. ad Helviam, cap. 9. Vide Petr. Alcyonium de Exsil. lib. I, pagg. 55, 56. Davis. — Hic liber nunc omnino est deperditus.

3. *Quod etsi... fortunæ.* Adducit Nonius in *probatu*. Dav.

4. *Tale tamen est.* Tantæ gravitatis. Nein.

causa[5] impulerit eos, qui primi se ad philosophiæ studium contulerunt, ut, omnibus rebus posthabitis, totos se in optimo vitæ statu[6] exquirendo collocarent; profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam operamque posuerunt. Quod si ab iis inventa et perfecta virtus[7] est, et, si præsidii ad beate vivendum in virtute satis est: quis est, qui non præclare et ab illis positam[8], et a nobis susceptam operam philosophandi arbitretur? Sin autem virtus subjecta sub varios incertosque casus, famula fortunæ[9] est, nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur: vereor, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi,
3 quam vota facienda[10] videantur. Equidem eos[11] casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit[12], mecum

5. *Nam, quum ea causa.* Davis. scribit *aliqua* pro *ea*, notatque: Ex orationis ductu patet illam voculam loco non convenire; quapropter legendum *aliqua* cum Cl. Bentleio, vel *quædam*, quod eodem redit. — Schützius Davisium sequitur: sed forsan melius esset *certa causa*; nam ex compendio *ea* facilius ea scriptura deducitur.

6. *In optimo vitæ statu.* Nonnulli codd. « in opportuno vitæ statu », quos equidem nihil moror. MS Norvic. habet « in optimæ vitæ statu », cum quo paria faciunt Ven. 1491, et Froben. Mihi tamen hæc lectio non æque placet, ac vulgata, quam, ne alios libros memorem, Petrens. et Cantabr. auctoritate sua muniunt. Dav.

7. *Inventa et perfecta virtus est.* Non proprie virtus inventa dici potest, sed omnis doctrina morum virtutisque principia. Neid.

8. *Ab illis positam.* Id est, depositam nobisque statu perfectiori relictam. Neid. — Forsan *positam* valet *institutam*, quia hi viam aperuerunt in philosophia exercenda.

9. *Famula fortunæ.* Si fortuna potentior est virtute, si virtus pendet a fortuna et non potius fortuna a virtute, sicut Stoici putabant. Neid.

10. *Vota facienda.* Scil. ut beati fiamus non nostra opera (i. e. virtute nostra), sed solo deorum beneficio, a quibus adeo felicitas votis faciendis sit impetranda. Neid.

11. *Eos casus.* Putat in primis exsilium, mortem Tulliæ et alia. Neid.

12. *In quibus me fortuna vehementer exercuit.* Non erat, cur Lambinus præpositionem deleret. Cicero pro Archia, cap. 11: « Gloria quidem detracta, judices, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? » Sallustius Epist. I ad Cæs. de Rep. Ordin. pag. 524: « In labore, patientia, bonisque præceptis et factis fortibus exercitando ». Quin et ita legit Nonius in *exercere*. ubi hunc adducit locum. Dav.

ipse considerans, huic incipio sententiæ[13] diffidere; interdum et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor enim, ne natura, quum corpora nobis infirma dedisset, iisque et morbos insanabiles, et dolores intolerabiles adjunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus[14] congruentes, et separatim suis angoribus et molestiis implicatos.
Sed in hoc me ipse[15] castigo, quod ex aliorum, et ex 4
nostra fortasse mollitia, non ex ipsa virtute de virtutis robore existimo. Illa enim, si modo est ulla virtus (quam dubitationem avunculus tuus[16], Brute, sustu-

13. *Huic incipio sententiæ diffidere; interdum et humani generis.* Interpunctione mutata malim, « huic incipio sententiæ diffidere interdum, et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere »; quemadmodum, probante Bruto, locum distinxit MS Gryphianus. Sic etiam Reg. et Pithœan. Dav. — Schützius Davisii correctionem adoptavit: Neid. scribit « diffidere: interdum etiam hum. » — *Huic incipio sententiæ diffidere.* Virtutem nimirum ad vitam beatam efficiendam satis esse.

14. *Corporum doloribus congruentes.* In ultimo verbo mendum latere suspicatur D. Lambinus; nam quum significat Cicero naturam dedisse nobis animos ex corporum doloribus dolorem contrahentes, illa vox viro erudito non videtur hanc exprimere sententiam; quapropter reponit « corporum doloribus coægrentes », seu *coægrescentes*, vel *congravescentes*, vel *confungentes*. Fr. autem Fabricius vulgatam lectionem retinet, et ita explicat, ut dicat Tullius se vereri, ne, ut corpora, sic animos quoque natura nobis dederit imbecillos, qui corporum doloribus *congruant*, id est, conveniant, ita ut animorum dolores non secus atque corporum intolerabiles sint. Si a Ciceronis manu fuit recepta scriptura, malim « animos corporum doloribus congruentes », eos esse qui perturbantur, quum dolent corpora, et proinde cum doloribus corporum quodammodo concordant. At, ne quid dissimulem, Tullium reliquisse puto, « corporum doloribus conruentes ». Minima certe est mutatio; quæ tamen et loquendi modum et sensum commodum suppeditat. Dav.—*Doloribus congruentes.* Animos et qui, quum corpus dolet iisdem corporis doloribus simul afficiuntur; et qui separatim suis propriis doloribus anguntur. Neid.

15. *Sed in hoc me ipse... existimo.* Hunc locum non sine levi quadam variatione profert Nonius in *castigare*. Nam scribit « sed hoc in me ipse castigo ». Codd. quidam et edd. vett. « sed hoc me ipse castig. » Iidem in seqq. *mollitie*, non *mollitia*.

16. *Quam dubitationem avunculus tuus.* Intelligit Cicero Catonem Uticensem, summæ constantiæ virum: is enim Serviliæ, Bruti matris, frater erat uterinus. Vide Plutarchum in

lit), omnia, quæ cadere in hominem possunt, subter se habet; eaque despiciens, casus contemnit humanos; culpaque omni carens, præter se ipsam, nihil censet ad se pertinere. Nos autem omnia adversa tum venientia metu augentes, tum mœrore præsentia, rerum naturam, quam errorem nostrum, damnare malumus.

5 II. Sed et hujus culpæ, et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum, omnis a philosophia petenda correctio est. Cujus in sinum quum a primis temporibus ætatis[1] nostræ voluntas studiumque nos compulisset[2], his gravissimis casibus in eumdem portum, ex quo eramus egressi[3], magna jactati tempestate confugimus. O vitæ philosophia dux! o virtutis indagatrix,

Caton. p. 759, et in Bruto, p. 984. Dav. — Hunc Catonem miro laudis præconio effert Lucanus, de quo in II Pharsaliæ scribit, et in IX, 601, dictum est: « Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris, Roma, tuis »; cujus Lucani fere supervacaneum est egregium versum de exitu civilis belli laudare, I, 128: « Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni ». A Sen. dicitur Cato viva imago virtutum et exemplar veri sapientis: « Hic, inquit Quintilianus, nisi creditur fuisse sapiens, vix scio cui reliquerit hujus nominis locum ». Itaque sit M. Tullius Catonem sustulisse dubitationem omnem de virtute, quum ipse vita et morte sua quasi virtutem ipsam orbi terrarum contemplandam præstiterit.

II. 1. *A primis temporibus ætatis.* Cicero, adolescens admodum, Romæ Philonem Academicum et Diodotum Stoicum assidue audierat.

2. *Compulisset.* Davis. scribit *contulisset.* Ita, inquit, MS Bak. et editio Manutiana. Vulgo *compulisset;* quod quum J. M. Bruto duriuscule dici videretur, eum propterea *baronem* vocavit Gebhardus. Bonus autem vir conviciis alium petens, semet ipse percussit; nam verbo *compellendi* nullus est hac in re locus. Cicero quidem sponte sua philosophiæ studio se dedit: at ei, qui *compellitur*, aut corporea vis aut rationalis adhibeatur necesse est. — Non debuit sane Gebhardus M. Brutum *baronem* appellare; sed gratias ei agemus, quod vulg. lect. *compulisset* tuitus fuerit: nam vim habet eximiam; impetum illum ardoremque juventutis quibus, quasi præceps in philosophiam mirabili studio Cicero impulsus fuerit, præclare ostendit. Sic Horat. lib. III, Od. « Nido laborum propulit inscium »; et mox « egit amor dapis atque pugnæ ». Schützius, Neid. *compulisset.* Oliv. *contulisset.*

3. *Ex quo eramus egressi.* Philosophiæ studium, quod reliqueramus, quum nos ad rempubl. contulissemus gerendam. Ern.

expultrixque[4] vitiorum! quid non modo nos[5], sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti; tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum et vocum communione junxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti. Ad te confugimus; a te opem petimus; tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus, totosque tradimus. Est autem unus dies bene, et ex præceptis tuis[6] actus, peccanti immortalitati[7] anteponendus. Cujus igitur potius opibus utamur, quam tuis? quæ et vitæ tranquillitatem largita nobis es, et terrorem mortis sustulisti.

Ac philosophia[8] quidem tantum abest, ut proinde, 6

4. *Expultrixque vitiorum!* Quum in cod. Fabriciano scriberetur *excultrix vitiorum*, dubitavit Gebhardus, an non ea esset vera lectio, et *expurgatricis* obtineret potestatem. Hic scilicet ille est, qui contumelioso *baronum* nomine dehonestat alios. Sed ad rem. *Excultrix vitiorum*, prout etiam dant Reg. et Pithœan. non nisi flagitiorum servam et ornatricem potest denotare; quod est rei contrarium. Omnino sana est aliorum MSS lectio. Apuleius de Mundo, c. 1: « Mihi virtutis indagatrix, expoltrixque vitiorum, divinarum particeps rerum, philosophia videbatur ». Quæ quum scripsit, Ciceronis locus ei fuit in mentem. Quin et eum laudant Lactantius Div. Inst. III, 13, ac Priscianus lib. VIII, col. 984, nec a vulgatis abeunt. Dav.

5. *Quid non modo nos.* Plenius fuisset: quid non modo nos sine te fuissemus. Nein.

6. *Ex præceptis tuis.* Secundum præcepta tua peractus. Nein.

7. *Peccanti immortalitati.* MS Colon. habet « perpetuitati et immortalitati »; quam lectionem probasse Fr. Fabricium, vehementer equidem miror: nam unum certe diem ex philosophiæ præceptis actum, « perpetuitati et immortalitati », vel, ut alii codd. non minus inepte dant, « pæne toti immortalitati », ex iisdem præceptis actæ, non anteponendum censuit Tollius. Elegantissima est recepta lectio, quam nostri quidem confirmant MSS; nec erat cur amicus Ursini reponeret « peccantis immortalitati ». De re ipsa sic Posidonius apud Senecam Epist. LXXVIII: « Unus dies, inquit, hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longissima ætas ». Dav.

8. *Ac philosophia.* Ita Davis. in tertia ed. qui in prima dederat *at phil.* hoc notato: Particula *copulans*, quæ in vulgatis hærebat, a me est in *disjunctivam* mutata, cujus quidem facinoris auctores fuere Venet. 1491, ac Froben. Iidem codices paullo post,

ac de hominum est vita merita, laudetur; ut a plerisque neglecta[9], a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam vitæ parentem, et hoc parricidio se inquinare audet? et tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiam si minus percipere potuisset? Sed, ut opinor, hic error, et hæc indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt; nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit[10], fuisse philosophos arbitrantur.
7 Quam rem[11] antiquissimam quum videamus, nomen tamen confitemur esse recens.

III. Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? quæ divinarum[1] humanarumque rerum, tum initiorum causarumque[2] cujusque rei cognitione, hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assequebatur. Itaque et illos septem, qui a Græcis σοφοὶ, sapientes a nostris et habebantur, et nominabantur, et multis ante sæculis Lycurgum, cujus temporibus[3] Homerus etiam

adjecta vocula, repræsentant « vituperare quisquam, inquam, vitæ parentem, etc. » contra quam jubent MSS et cum his Lactantius Div. Inst. lib. III, cap. 14. Hoc tamen non impedivit, quo minus contagionem traxerint editt. Victor. atque Stephan. Davis.

9. *Ut a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur.* Sic refinxi e Victor. Pal. pr. sec. quart. quint. Vatic. nam in Fabr. est : « a plerisque neglecta, a plerisque etiam » : vulgo « a plerisque neglecta » evanida sunt, cum sententiæ et elegantiæ detrimento.

10. *A quibus vita hominum instructa primis sit.* Sic Victorii editio, cui συμφωνεῖ Pal. 4, 5, qui *primum sit.* At primus « a quibus primo vit. h. instructa sit », quint. « instructa primum sit ». Vulgo *primo sit.* Gern.

11. *Rem... nomen. Rem* est sapientiam ipsam, cujus philosophia est indagatrix; *nomen* est vox *philosophia.*

III. 1. *Quæ divinarum.* Davisius dat « quæ quum divinarum ». Ita, inquit, Lambinus edidit, probante Cl. Bentleio : nam vulgo deest secunda vox, nec eam codices exhibent.

2. *Initiorum causarumque... cognitione.* Quæ agit de primis causis atque principiis. Nern.

3. *Lycurgum, cujus temporibus Homerus etiam fuisse..... traditur.* Chronologiam, quam ponit Cicero, secuti sunt ii, qui, quemadmodum tradit Strabo lib. X, pag. 739, Lycurgum dixerunt ἐντυχόντα Ὁμήρῳ διατρίβοντι ἐν Χίῳ κατᾶραι πάλιν εἰς τὴν οἰκίαν.

fuisse ante hanc urbem conditam traditur, etiam heroicis ætatibus Ulyssem, et Nestorem accepimus et fuisse, et habitos esse sapientes. Nec vero Atlas[4] sustinere cælum, nec Prometheus affixus Caucaso[5], nec stellatus 8
Cepheus[6] cum uxore, genero, filia traderetur, nisi cælestium divina cognitio[7] nomen eorum ad errorem fabulæ traduxisset.

A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum con-

Quibus cur Is. Casaubonus non sit assensus, nescio; pariter enim refert Plutarchus in Lycurg. p. 39, eum pro nonnullorum opinione κατ' ὄψιν ἐντυχεῖν Ὁμήρῳ. Adi sis Joan. Marshamum ad Sæc. XV rerum Ægypt. pag. 437 seqq. edit. Franeker. Lycurgum γεγονέναι κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας statuit Xenophon de Rep. Lacedæm. p. 845. At Homero coævus censetur ille legislator; et Crates vult περὶ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον Ὅμηρον γεγονέναι· μετὰ ἔτη ΟΓΔΟΗΚΟΝΤΑ τῆς Ἰλίου ἁλώσεως. Vide Clementem Strom. I, p. 380, et auctorem vitæ Homericæ, quam Dionysio Halicarnasseo tribuit Th. Galeus, p. 284. Res videtur manifesta. Dav. — *Cujus temporibus.* Homerus vixit circiter a. m. 3000, Lycurgus circa 3170; ergo non iisdem temporibus, quod Cicero putat. Neid.

4. *Nec vero Atlas sustinere cælum ... nisi cælestium divina cognitio.* Heraclitus de Incredib. cap. 4: Ἄτλας ἀνὴρ σοφὸς ὢν τὰ κατὰ ἀστρολογίαν πρῶτος κατώπτευσε, προλέγων δὲ χειμῶνας καὶ μεταβολὰς ἄστρων καὶ δύσεις, ἐμυθεύθη φέρειν ἐπ' ὤμων τὸν κόσμον. Pari ratione fabulam enarrant Diodorus Siculus Bibl. lib. III, p. 193; Herodotus apud Clementem Strom. I, pag. 360; Servius ad Æn. I, 745, et Isidorus Orig. XIV, 8. Hinc eum philosophis accensent Diogenes Laertius Procem. § 1, et Suidas in Ὦχος. Davis.

5. *Nec Prometheus affixus Caucaso.* Hanc in rem præclare Servius ad Ecl. VI, 42: « Ipsum etiam Prometheum per Mercurium in monte Caucaso religaverunt ad saxum, et adhibita est aquila, quæ cor ejus exederet. Hæc autem omnia non sine ratione finguntur. Nam Prometheus vir prudentissimus fuit... Hic primus astrologiam Assyriis indicavit, quam residens in monte altissimo Caucaso nimia cura et sollicitudine deprehenderat, etc. » Vide et Æschyli Prom. Vinct. vss. 456, 483. Dav.

6. *Stellatus Cepheus.* Inter astra positus, καταστερισθείς. Cepheus, uxor ejus Cassiopeia, filia Andromeda, generque Perseus in sidera fuerunt relati. Videantur Cicero Nat. Deor. II, 43; Lucianus de Salt. tom. I, p. 803; Theon. in Aratum pag. 26; Diodor. Sic. lib. IV, et Vitruv. lib. VI. Dav.

7. *Nisi cælestium divina cognitio... traduxisset.* Nisi astronomiæ, cui studebant, ope divina hominum sibi admirationem adeo conciliavissent, ut postea homines de iis varias fabulas finxerint, sicuti semper fit apud ignaros populos de omnibus iis qui sese quam maxime præstantes ætati suæ et præcellentes ostenderunt.

templatione studia ponebant, sapientes et habebantur,
et nominabantur; idque eorum nomen usque ad Py-
thagoræ manavit ætatem, quem, ut scribit auditor
Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis,
Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, prin-
cipe Phliasiorum [8], docte et copiose disseruisse quæ-
dam. Cujus ingenium et eloquentiam quum admiratus
esset Leon, quæsivisse ex eo, qua maxime arte con-
fideret. At illum, artem quidem se scire nullam, sed
esse philosophum. Admiratum Leontem novitatem
nominis [9], quæsisse, Quinam essent philosophi, et quid
9 inter eos et reliquos interesset? Pythagoram autem
respondisse : « Similem sibi videri [10] vitam hominum,

8. *Eumque cum Leonte, principe Phliasiorum*. *Eum* locus non recipit. Legendum *cumque Leonte*, ut monuimus ad Epit. Lactantii, cap. 22, p. 63. De re ipsa sic Diogenes Laertius Procem. § 12 : Φιλοσοφίαν δὲ πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας, καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον ΕΝ ΣΙΚΥΩΝΙ διαλεγόμενος Λέοντι τῷ ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ τυράννῳ, ἢ ΦΛΙΑΣΙΩΝ, καθά φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῇ ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΑΠΝΟΥ. Heraclidi Pontico Sosicrates adsentitur. Vide sis eumdem Diogenem, VIII, 8. Dav. — Phliasii urbem Phliuntem incolebant in Peloponneso sitam, juxta Asopi ripas, inter Sicyonem, Argolidem, et montem Stymphalum. Hodie hic locus apud Græcos recentiores nomen habet *Ita-Phlica*. J. V. L.

9. *Novitatem nominis*. Pythagoras « nominis illius erat inventor », ut ait Noster c. 4. Nonnullos Veterum locos hanc in rem protulit Menagius ad Laertii Procem. § 12, sed augeri facile possunt ejus collectanea. Stobæus Ecl. Phys. pag. 27 : Πυθαγόρας... πρῶτος ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύσας. Lege φιλοσοφίαν, ut recte scribitur apud Plutarchum Placit. I, 3. Vide Valerium Maximum lib. VIII, cap. 7, 2 ext. Quintilianum Inst. Or. XII, 1; Lactantium Epit. cap. 36, pag. 87; Augustinum C. D. VIII, 2; de Trin. XIV, 1; Iamblichum vit. Pyth. § 58; denique Joan. Sarisberiensem Policr. lib. VII, cap. 4. Dav.

10. *Similem sibi videri*. Nos, iis prætermissis quæ collegit Æg. Menagius ad Laertii lib. VIII, § 8, nostra proferemus. Totum igitur hunc locum græce tantum non servavit Iamblichus, vit. Pythag. § 58 : Ἐοικέναι γὰρ ἔφη (Πυθαγόρας) τὴν εἰς τὸν βίον τῶν ἀνθρώπων πάροδον τῷ ἐπὶ τὰς πανηγύρεις ἀπαντῶντι ὁμίλῳ· ὡς γὰρ ἐκεῖσε παντοδαποὶ φοιτῶντες ἄνθρωποι ἄλλος κατ' ἄλλου χρείαν ἀφικνεῖται, ὁ μὲν χρηματισμοῦ τε καὶ κέρδους χάριν ἀπεμπολῆσαι τὸν φόρτον ἐπειγόμενος· ὁ δὲ δόξης ἕνεκα ἐπιδειξόμενος ἥκει τὴν ῥώμην τοῦ σώματος· ἔστι δὲ καὶ τρίτον εἶδος, καὶ τόγε ἐλευθεριώτατον, συναλιζόμενον τόπων θέας ἕνεκα καὶ δημιουργημάτων καλῶν καὶ ἀρετῆς ἔργων καὶ λόγων· οὕτω δὴ κἀν τῷ βίῳ

et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronæ peterent; alii emendi, aut vendendi quæstu et lucro ducerentur; esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum, nec lucrum quærerent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent, quid ageretur, et quo modo: ita nos quasi in mercatus quamdam celebritatem ex urbe aliqua[11], sic in hanc vitam ex alia vita[12] et natura profectos, alios gloriæ servire, alios pecuniæ; raros esse quosdam, qui, ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiæ studiosos, id est enim philosophos; et ut illic liberalissimum[13] esset, spectare, nihil sibi acquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque præstare ».

IV. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum[1] amplificator fuit. Qui quum

παντοδαποὺς ἀνθρώπους ταῖς σπουδαῖς εἰς ταὐτὸ συναθροίζεσθαι· τοὺς μὲν γὰρ χρημάτων καὶ τρυφῆς αἱρεῖ πόθος· τοὺς δὲ ἀρχῆς καὶ ἡγεμονίας ἵμερος, φιλονεικίαι τε δοξομανεῖς κατέχουσιν· εἰλικρινέστατον δὲ εἶναι τοῦτον ἀνθρώπου τρόπον, τὸν ἀποδεξάμενον τὴν τῶν καλλίστων θεωρίαν, ὃν καὶ προσονομάζειν φιλόσοφον. Ad hoc dictum clare respicit Dion Chrysost. Or. XXVII, p. 287; Arrianus Epict. lib. II, cap. 14, pag. 208; Synesius de Provid. p. 128; Menander apud Stobæum Serm. CXX, pag. 608; Alexis apud Athæneum lib. XI, pag. 463. Vide et Senecam Epist. CXVIII. Dav.

11. *Ita nos quasi in mercatus quamdam celebritatem ex urbe aliqua*. Scriptum est in antiquo Ursini, « Ita nos quasi in mercatum quadam celebritate ex urbe aliqua ». Pal. quintus « quasi in mercatum quadam celebritate », et ita Norvic. Inepte edd. vett. « mercatus quadam celebritate ». Vera est lectio recepta quam tuentur Fabric. Vatic. Petrens. Cantabr. ac Nonius in v. *Merx*, eamque Dav. Oliv. Ern. Wolf. Schütz. Neid. receperunt, nisi quod Oliv. Sch. et Neid. scribunt *item nos*.

12. *Ex alia vita*. Sic Pythagoras autem ad suam περὶ τῆς μετεμψυχώσεως doctrinam respicit, de qua fuse Conr. Rittershusius in Porphyrium vit. Pyth. § 19, 45. Dav.

13. *Liberalissimum*. Libero homine dignum. Neid.

IV. 1. *Rerum... ipsarum*. Ipsius disciplinæ philosophicæ. Neid.

post hunc Phliasium[2] sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Græciam[3], quæ Magna dicta est, et privatim, et publice, præstantissimis et institutis, et
11 artibus. Cujus de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem[4], qui Archelaum, Anaxagoræ discipulum, audierat, numeri[5] motusque tractabantur, et unde omnia orirentur, quove recederent[6]; studioseque ab his siderum magnitudines, intervalla[7], cursus anquirebantur[8], et cuncta cælestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit[9] e cælo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam[10] introduxit, et coegit de

2. *Post hunc Phliasium sermonem.* Cum Phliasiorum tyranno habitum. Nsio.

3. *Exornavit eam Græciam.* Vide Meinersum V. C. ad lib. IV, § 2 laudatum. Nsio.

4. *Usque ad Socratem.* Hac de re diximus ad lib. III, cap. 4. Cave tamen credas philosophos vetustiores physica tantum curasse, res autem ethicas omnino neglexisse. Diogenes Laertius lib. II, § 16 : Ἔοικε δὲ καὶ οὗτος (Ἀρχέλαος) ἅψασθαι τῆς ἠθικῆς· καὶ γὰρ περὶ νόμων πεφιλοσόφηκε καὶ καλῶν καὶ δικαίων· παρ' οὗ λαβὼν Σωκράτης, τῷ αὐξῆσαι εἰς τὸ εὑρεῖν ὑπελήφθη. Quinetiam de rebus ad vitam et mores spectantibus præcepisse Pythagoram, satis ostendunt *aurea carmina*, quæ doctrinam repræsentant illius philosophi. Hinc Iamblichus § 158 : Τήν τε ΗΘΙΚΗΝ φιλοσοφίαν καὶ τὴν λογικὴν ἐτελεώσατο, quod quidem clare monstrat vit. Pythag. capp. 30 seqq. Dav.

5. *Numeri motusque*, etc. Conf. Legg. I, § 20.

6. *Quove recederent.* Utinam in textum reciperetur certissima cujusdam emendatio, quam Lambinus aliique VV. DD. memorant, « quove reciderent ». Nam *recidere* oppositum est τῷ *oriri* : non *recedere* quod prorsus aliud est. Ita Noster de Natur. Deor. II, 26 : « Diti patri, qui dives, ut apud Græcos Πλούτων, quia et recidant omnia in terras et oriantur e terris ». Lucretius, I, 866 : « At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem Crescere de nihilo testor res ante probatas ». Bentl. — His monitus Davisius *reciderent* in ed. tert. recepit, quum eamdem lect. in Fabr et Med. videri comperisset, eumque Olivet. Wolf. Schütz. Neid. sequuti sunt. — *Quove reciderent.* In quod rursum omnia mutarentur. Nsid.

7. *Intervalla.* Distantiæ.

8. *Anquirebantur.* Sic Langius, Victorius et Gebhard. et MSS : olim *inquirebantur.*

9. *Devocavit.* Wolf. Schütz. *evocavit.*

10. *In domos etiam introduxit.* Dav. e Pal. tert. et Reg. *in domus*, qui notat : Conf. Diogen. Laertius, lib. II, cap. 21, ubi Aldobrandinus et Menagius nonnulla contulerunt. Iis ad-

vita, et moribus, rebusque bonis et malis quærere. Cujus multiplex ratio disputandi, rerumque varietas, et ingenii magnitudo, Platonis memoria et literis consecrata, plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consequuti sumus [11], quo Socratem usum arbitrabamur [12], ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus, et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quæreremus. Quem morem quum Carneades acutissime copiosissimeque tenuisset, fecimus et alias sæpe, et nuper in Tusculano, ut ad eam consuetudinem disputaremus. Et quatridui quidem sermonem superioribus ad te perscriptum libris misimus : quinto autem die, quum eodem loco consedissemus, sic est propositum, de quo disputaremus.

V. Auditor. Non mihi videtur [1], ab beate vivendum 12

das licet Eusebium Pr. Evang. lib. XV, cap. 62, pag. 855 : Χαίρειν, inquit; αὐτὸν (Σωκράτη) εἰπόντα τῇ Ἀναξαγόρου καὶ Ἀρχελάου φυσιολογίᾳ ζητεῖν, ὅττι οἱ ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Vide sis et Philonem de Somniis, p. 446. Hoc versu in eamdem rem usos fuisse Menedemum et Aristippum tradunt Diogenes Laertius, VI, 103, et Plutarchus apud Eusebium P. E. lib. I, cap. 8, p. 24. Est autem Homericus Odyss. Δ, 392. Davis.

11. *Id potissimum consequuti sumus.* Vulgo « consectati sumus ». Ea sane lectio Grutero et Gebhardo satisfacere non debuit, quum renitantur MSS, scripturaque, quam exhibent, sana sit et sincera. Plautus Asin. act. II, scen. 1, 13 : « Certum hercle est vostram consequi sententiam ». Cicer. Nat. Deor. lib. I, cap. 15 : « Quem Babylonius Diogenes consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerva ». Plura Nonius in *consequi*. Davis. — Cum Davisio ceteri faciunt.

12. *Quo Socratem usum arbitrabamur.* Ita Reg. et Pithœan. Vulgo *arbitramur.* Dav. — Sine dubio putat methodum Socraticam, in primis εἰρωνείαν, de cujus vera ac propria indole vide elegantissimam Reinhardi V. S. disputationem. Nein.

V. 1. *Non mihi videtur... quidquam esse commune.* Ponitur thema disputationis. Negatur ab auditore, « ad beate vivendum satis posse virtutem ». Hoc Cicero e notione τοῦ *bene* (i. e. honeste) *vivere* refellere conatur, cui tecte quasi insit notio τοῦ « beate vivere ». Quum itaque τὸ « bene vivere » satis præsidii habeat in virtute, hinc etiam colligi posse, virtutem sufficere « ad beate vivendum ». Hac inargumentatione se acquiescere posse auditor negat. Nein.

satis posse virtutem [2]. — CICERO. At hercule Bruto meo videtur; cujus ego judicium, pace tua dixerim, longe antepono tuo. — AUD. Non dubito. Nec id nunc agitur, tu illum quantum ames: sed hoc [3], quod mihi dixi videri, quale sit; de eo [4] a te disputari volo. — CIC. Nempe negas ad beate vivendum satis posse virtuten? — AUD. Prorsus nego. — CIC. Quid? ad recte, honeste, laudabiliter, postremo ad bene vivendum satisne est præsidii in virtute? — AUD. Certe satis. — CIC. Potes igitur, aut qui male vivat, non eum miserum dicere, aut, quem bene fateare, eum negare beate vivere? — AUD. Quidni possim? nam etiam in tormentis recte, honeste, laudabiliter, et ob eam rem bene vivi potest, dummodo intelligas, quid nunc dicam bene: dico enim, constanter, graviter, sapienter, fortiter.

2. *Non mihi videtur... satis posse virtutes*. Lambino placet *virtus*, nec inficiar possum, quin ita fere loquantur Romani. Quum tamen alteram lectionem præstent omnes, quicumque sunt, codices, ea quidem non temere videtur rejicienda. A. Gellius N. A. IV, cap. 11: «Videtur autem de κυάμῳ non estato causam erroris fuisse». Iterum VI, 5: » Uti existimasse Alfenum videtur». Pari certe modo passim Augustinus. Sic contra Acad. lib. I, cap. 2: «Alteri vestrum videtur beatam vitam sola investigatione veritatis posse... contingere». Et lib. III, cap. 3 «Cui ergo videtur sapientem scire sapientiam, non utique videtur nihil scire sapientem». Sic et ejusdem libri cap. 5: «Ut mihi, ita etiam illi videtur, sapientem scire sapientiam». Vide not. inf. c. 8. D. — Mihi quoque idem, quod Lambino, videtur, legendum esse *virtus*. Ita enim Cicero ubique loqui solet, ut Tuscul. III, 4: «Videtur mihi cadere in sapientem ægritudo». Et I, 15, «Malum mihi videtur esse mors». IV, 4: «non mihi videtur omni animi perturbatione posse sapiens vacare». BENTL. — Propositio hæc secundum Academicos et Peripateticos vera est, qui aiunt, ad beate vivendum opus esse præter virtutem bonis corporis atque fortunæ, sine quibus manca est quodammodo et quasi mutila virtus. Respondet ad hæc M. Cicero ex dogmate Stoicorum, apud quos unica virtus satis est ad beatam vitam efficiendam. BEROALD.

3. *Sed hoc*. Scabra lectio *sed de hoc*, quàm, Victorio præeunte, Gebhardus exhibuit. Omnino legendum *sed hoc*, scilicet *agitur*, ut habent Reg. Pithœan. et veteres editi quos sequor. DAV. — Cum Davis. Ernest. Wolf. Schütz. Neid. Oliv. faciunt.

4. *De eo*. Sic Ern. e MS Eliens. Alii omnes, *de quo*, quod nobis melius videtur, quia sic non solet Cicero orationem resecare.

Hæc etiam in equuleum[5] conjiciuntur, quo vita non 13
adspirat beata. — Cic. Quid igitur? solane beata[6] vita,
quæso, relinquitur extra ostium limenque carceris,
quum constantia, gravitas, fortitudo, sapientia, reli-
quæque virtutes rapiantur ad tortorem, nullumque
recusent nec supplicium, nec dolorem? — Aud. Tu,
si quid es facturus[7], nova aliqua conquiras oportet.
Ista me minime movent, non solum quia pervulgata
sunt, sed multo magis, quia, tanquam levia quædam
vina[8] nihil valent in aqua, sic stoicorum ista magis
gustata, quam potata delectant. Velut iste chorus vir-
tutum, in equuleum impositus, imagines constituit
ante oculos cum amplissima dignitate, ut ad eas cur-
sim perrectura beata vita[9], nec eas a se desertas pas-
sura videatur. Quum autem animum ab ista pictura 14
imaginibusque virtutum, ad rem veritatemque[10] tra-
duxeris, hoc nudum[11] relinquitur, possitne quis beatus
esse, quamdiu torqueatur. Quamobrem hoc nunc quæ-
ramus: virtutes autem, noli vereri, ne expostulent,
et querantur se a beata vita esse relictas. Si enim nulla

5. *In equul. conjiciuntur.* Equuleus ita dictus, quod ad equi formam concinnatus esset, machina fuit lignea torquendis hominibus comparata. De ea crebra fit et apud Ethnicos et apud Christianos mentio, eamque multis descripsit, et Car. Sigonii aliorumque doctorum virorum errores hac in re notavit Anton. Gallonius de Martyr. Cruciat. cap. 3, pagg. 94 seqq. Dav.

6. *Solane beata vita.* Est prosopopœia virtutum, in quarum societate non esse posse non putat Cicero vitam beatam, etiam si illæ ad tortorem rapiantur. Naid.

7. *Si quid es facturus.* Id est, probaturus; si me convincere studes, relicta arte rhetorica.

8. *Levia quædam vina.* Tenuia, quæ leviter diluta saporem amittunt, quæ primo statim gustu arrident, nihil vero jocondi saporis habent in recessu. Naid.

9. *Perrectura beata vita, nec eas a se desertas passura videatur.* Alii legunt, ut edd. vett. multæ « perrectura, nec eas beata vita a se desertas p. v. »; quod probavit Wopkens. Lectt. Tull. I, 19, et Wolf. revocavit. J. V. L.

10. *Ad rem veritatemque.* Ad rem ipsam in experientia obviam. N.

11. *Hoc nudum.* Detracto fuco picturæ imaginumque, quibus oculi nostri percellebantur, tum quæstio nuda oculis subjicitur, solius rationis lumini subjecta.

virtus prudentia vacat, prudentia ipsa hoc videt[12], non omnes bonos esse etiam beatos; multaque de M. Attilio[13], Q. Cæpione[14], M'. Aquillio[15] recordatur; beatamque vitam, si imaginibus potius uti[16], quam rebus ipsis placet, conantem ire in equuleum, retinet ipsa prudentia, negatque ei cum dolore et cruciatu quidquam esse commune.

VI. Cic. Facile patior[1], te isto modo agere: etsi ini-

12. *Prudentia ipsa hoc videt.* Prudentia, quæ continetur perspicacia rerumque usu, intelligit bonum atque virtutem non ita cohærere cum vita beata, tamquam causam cum effectu, nec qui bonus sit, eum et continuo beatum esse. Neid.

13. *M. Attilio.* Quædam edd. vett. addunt *Regulo*, e glossa. Regulum dicit, cujus mors cruciabilis est decantatissima. Inter alios plures vide Val. Maxim. lib. IX, cap. xi, 1 ext. A. Gellius Noct. Att. VI, 4, et Augustin. C. D. I, 15. Dav.

14. *Q. Cæpione.* Is aurum Tolosanum abstulit, « quod sacrilegium causa excidii Cæpioni exercituique ejus postea fuit », ut tradit Justin. XXXII, 3. Vide sis et A. Gell. III, 9. Si Valerio Maximo fides lib. VI, cap. ix, 13 : « in publicis vinculis spiritum deposuit, corpusque ejus, funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis jacens magno cum horrore totius fori romani conspectum ». Diverso tamen modo rem narrat lib. IV, cap. vii, 3, ut forsan alius ab eo, qui Ciceroni memoratur, fuerit is, cujus priore loco meminit Valerius. Sane Cæpionem hunc Smyrnæ exsulasse, testis est Noster pro Cornel. Balbo, cap. 9. Conf. et Strabo lib. IV, pag. 286, sq. Dav.

15. *M'. Aquillio.* Hunc a Mithridate conjectum in vincula tradunt Athenæus lib. V, p. 213; Epitome Liviana LXXVIII, et Valerius Maximus lib. IX, cap. xiii, 1. Alia tamen et diversa prorsus ratione rem, si modo locus integer est, nec quidquam deficit, narrat Diodorus Siculus in Excerpt. Peiresc. p. 401. Velleius Paterculus lib. II, cap. 18, « Mitylenæi M'. Aquillium aliosque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas, in unius Theophanis gratiam, postea a Pompeio restituta est ». Cf. Appian. Bell. Mithrid. p. 316. Ejus meminerunt Arnobius et alii. Vide nos ad Minutii Felicis cap. 37, pag. 179. Davis.

16. *Si imaginibus potius uti, quam rebus ipsis placet.* Falluntur Lambinus et Fabricius, qui legendum pronuntiant, « nisi imaginibus potius uti ». Nam figurata illa dictione, quam paullo ante Tullius adhibuit, statim utetur adolescens. Dav.

VI. 1. *Facile patior.* Superius argumentum, quum auditori parum satisfecisset, alia quadam ratione probare Cicero annititur. Responsum, inquit, ad hanc quæstionem, an virtus ad vitam beatam sufficiens sit, ex iis, quæ in superioribus disputationibus dicta sunt, facile elici potest, et quidem hoc modo: Qui perturbationibus animi movetur, is nullo modo beatus dici potest, est potius miserrimus. Beatus contra, qui nulli per-

quum est præscribere mihi te, quemadmodum a me disputari velis. Sed quæro, utrum aliquid actum[2] superioribus diebus, an nihil arbitremur? — Aud. Actum vero, et aliquantum quidem. — Cic. Atqui, si ita est, profligata jam hæc[3], et pæne ad exitum adducta quæstio est. — Aud. Quo tandem modo? — Cic. Quia motus turbulenti, jactationesque animorum incitatæ, et impetu inconsiderato elatæ, rationem omnem repellentes, vitæ beatæ nullam partem relinquunt[4]. Quis enim potest, mortem aut dolorem metuens, quorum alterum sæpe adest, alterum semper impendet, esse non miser? Quid, si idem, quod plerumque fit, paupertatem, ignominiam, infamiam timet, si debilitatem, cæcitatem, si denique, quod non singulis hominibus, sed potentibus populis sæpe contigit[5], servitutem; potest ea timens esse quisquam beatus? Quid, qui non 16

turbationi obnoxius est. Quod si virtute efficitur, virtus etiam efficit beatos. Nein.

2. *Aliquid actum.* Effectum, probatum. Nein.

3. *Profligata jam hæc, et pæne ad exitum adducta quæstio est.* Hanc loquendi rationem parum latinam censuit A. Gellius N. A. XV, 5, quapropter eam jamdiu notavit Lipsius ad Taciti Hist. II, 4. Et merito quidem, quod ostendit Grævius ad Justini lib. XXII, cap. 8. Nonius autem, licet hunc locum Ciceronis adducat in *profligare*, tamen A. Gellio fidem videtur dedisse, « verbumque pessimum ad usum trahi cœpisse queritur ». Quasi Cicero latinitatis auctor non sit idoneus! Sic Famil. Epist. lib. XII, 30: « Qui, profligato bello ac pæne sublato, renovatum bellum gerere conamur ». Livius lib. XXI, cap. 40: « Sed ita forsitan decuit, cum fœderum ruptore duce ac populo, deos ipsos sine ulla humana ope committere ac profligare bellum; nos autem ... commissum ac profligatum conficere ». Seneca de Benef. lib. VII, cap. 13: « Hæc quoque, quæ venit, quæstio, profligata est in prioribus ». Non aliter Flotus aliique. Davis. — *Profligata.* Res profligantur, quæ stant et integræ sunt: nempe quæstio, quæ ante has habitas disputationes stabat integra, nunc est profligata.

4. *Vitæ beatæ nullam partem relinquunt.* Nullum locum relinquunt beatæ vitæ: nullo modo patiuntur vitam beatam consistere.

5. *Sæpe contigit.* Vulgo « sæpe contingit ». Nos autem Reg. et Pithœan. sequimur. Malim tamen « sed et potentibus populis sæpe contigit »; ut *non singulis hominibus* eadem tribuatur potestas ac *non tantum singulis hominibus*: quod passim fit. Davis.

modo ea futura timet, verum etiam fert sustinetque
præsentia? Adde eodem exsilia, luctus, orbitates. Qui
rebus his fractus ægritudine eliditur[6], potest tandem
esse non miserrimus? Quid vero? illum, quem libidinibus
inflammatum et furentem videmus, omnia rabide
appetentem cum inexplebili cupiditate, quoque
affluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque
sitientem, nonne recte miserrimum dixeris?
Quid? elatus ille levitate, inanique lætitia exsultans,
et temere gestiens, nonne tanto miserior, quanto sibi
videtur beatior? Ergo, ut hi miseri, sic contra illi
beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines
exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ[7],
exsultantes languidis liquefaciunt voluptatibus.
Ut maris igitur tranquillitas[8] intelligitur, nulla ne minima
quidem aura fluctus commovente: sic animi
quietus et placatus status cernitur, quum perturbatio
17 nulla est, qua moveri queat. Quod si est, qui vim
fortunæ, qui omnia humana, quæ cuique accidere
possunt[9], tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum,

6. *Ægritudine eliditur*. In Cantabr. aliisque nonnullis codd. est « ægritudine debilitatur »; sed, præter Gebhardianos, vulgatam lectionem tuentur Norvic. Petrens. Ven. 1491, ac Froben. quibus accedit Nonius, qui hunc locum laudat cap. 4, pag. 650. Davis.

7. *Nullæ futiles lætitiæ, exsultantes*. Lege, « nullæ futiles lætitiæ et exsultantes, languidis liquefaciunt voluptatibus ». Vide lib. IV, capp. 16, 31. Dav. — Schützius Davisii emendationem adoptavit.

8. *Maris igitur tranquillitas*. Græcis dicitur μαλακία, quam vocem romana civitate donabant Cæsar B. G. III, 15, et Seneca Epist. LXVII. Ad horum imitationem Sulpicio Severo Dial. I, cap. 4, et Aur. Victori de Viris illustr. cap. 22, « mollities maris » nuncupatur. At antiquis latinis « Flustra dicuntur, quum in mari fluctus non moventur, quam Græci μαλακίαν vocant », uti docet Festus. Dav.

9. *Quæ cuique accidere possunt*. Bentleius malebat « quæ cuiquam accidere possunt ». Davisius e Reg. Pith. Balliol. scribit « quæcumque accidere possunt »; eumque Neid. sequitur. Antequam ii vulgatam mutassent, vellem ii dixissent quid haberet vitiosi aut alieni. Singularis libido bene valentibus medicinam afferre!

nec angor attingat; idemque, si nihil concupiscat, nulla efferatur animi inani voluptate: quid est, cur is non beatus sit; et si hæc virtute efficiuntur, quid est, cur virtus ipsa per se non efficiat beatos?

VII. Aud. Atqui alterum dici non potest [1], quin ii, qui nihil metuant, nihil angantur, nihil concupiscant, nulla impotenti lætitia efferantur [2], beati sint; itaque id tibi concedo: alterum autem jam integrum non [3] est. Superioribus enim disputationibus effectum est, vacare
omni animi perturbatione sapientem.—Cic. Nimirum 18
igitur confecta res est: videtur enim ad exitum venisse quæstio. — Aud. Propemodum id quidem.— Cic. Verumtamen mathematicorum [4] iste mos est, non est philosophorum. Nam geometræ quum aliquid docere volunt, si quid ad eam rem pertinet eorum, quæ ante docuerunt, id sumunt pro concesso et probato; illud modo explicant, de quo ante nihil scriptum est. Philosophi, quamcumque rem habent in manibus, in eam, quæ conveniunt, congerunt omnia, etsi alio loco disputata sunt. Quod ni ita esset, cur stoicus, si esset

VII. 1. *Atqui alterum dici non potest.* D. Lambinus rescribit, « atqui alterum non dici non potest »; vel « atqui alterum negari non potest ». Sed locus remedio non indiget. Dav.

2. *Qui nihil ... efferantur.* Hæc affert Nonius in *impotens :* cujus libri si corrupti non sunt, ipse codicibus vitiosis est usus. Dav.

3. *Alterum autem jam integrum non est.* Alterum (sc. « quid est, cur virtus ipsa per se non efficiat beatos ») jam non est integrum, id est, magna parte pro comprobato haberi potest, quoniam demonstratum est sapientem, id est, eum qui virtute præditus est, omni vacare perturbatione. Atque hæc subaudiuntur : Atqui si negari non potest eum, qui vacet omni perturbatione esse beatum, et si virtus efficit ut vacemus omni perturbatione, ergo virtus sola efficit beatum.

4. *Verumtamen mathematicorum.* Excusat se Cicero, se in hac argumentatione usum esse more mathematicorum, qui, quum demonstrant theorema aliquod, ea quæ ante demonstrarunt, pro concessis probatisque sumunt, nec separatim demonstrant. Philosophos aliter agere, et, quamcumque rem probaturi sint, in eam omnia quæ ad eam probandam faciant, congerere, etsi alio loco jam sint probata. Hoc Noster dicit sibi faciendum esse. De summo philosophiæ scopo pauca adduntur. Næb.

quæsitum, satisne ad beate vivendum virtus posset, multa diceret? cui satis esset, respondere, se ante docuisse[5], nihil bonum esse, nisi quod honestum esset; hoc probato, consequens esse, beatam vitam virtute esse contentam; et, quo modo hoc sit consequens illi, sic illud huic: ut, si beata vita virtute contenta
19 sit; nisi honestum quod sit, nihil aliud sit bonum. Sed tamen non agunt sic. Nam et de honesto, et de summo bono separatim libri sunt: et quum ex eo efficiatur, satis magnam in virtute ad beate vivendum esse vim, nihilo minus hoc agunt separatim. Propriis enim et suis argumentis et admonitionibus tractanda quæque res est, tanta præsertim. Cave enim putes, ullam a philosophia vocem[6] emissam clariorem, ullumve esse philosophiæ promissum uberius, aut majus[7]. Nam quid profitetur? o dii boni! perfecturam se, qui legibus suis paruisset, ut esset contra fortunam semper armatus; ut omnia præsidia haberet in se bene beateque vivendi; ut esset semper denique beatus. Sed
20 videro, quid efficiat: tantisper hoc ipsum magni æstimo, quod pollicetur. Nam Xerxes quidem[8] refertus

5. *Se ante docuisse.* Horum loco Vatic. repræsentat *si ante docuisset*, nec aliter a prima manu Petrens. At vero longe probabilior est illa scriptura, quam tuentur reliqui codd. nisi quod ultimam vocem cum quinque proximis omittat Cantabr. Dav.

6. *Ullam a philosophia vocem.* Vulgo, « ullam in philosophia vocem ». Nos autem Vatic. codicis lectionem recepimus; hic enim, ut in sequentibus verbis, προσωποποιεῖται philosophia. Dav.

7. *Uberius, aut majus.* In Norvic. adjicitur : « hæc vox est, virtutem satis ad beate vivendum », quæ, ad oram explicationis causa primitus adscripta, in orationis seriem nimia librariorum diligentia tandem irrepserunt. Davis.

8. *Xerxes quidem refertus*, etc. In Pal. quarto legitur *Perses*, quo sane nomine Persarum rex veniebat. Vetus poeta in Scaligeri Catalect. lib. I, tit. 7 : « Perses magnus adest, totus comitatur euntem Orbis . . . » Et paullo post : « . . . commisit longo duo litora ponte Perses ». Dion Chrysostomus Orat. III, pag. 36 : Ἐτύγχανεν ἄπειρος ὢν τοῦ ΠΕΡΣΟΥ τῆν ψυχῆς. Ac pag. 55 : Ὁ μὲν ΠΕΡΣΗΣ ἕνα τινὰ ἔσχεν, ὀφθαλμὸν βασιλέως λεγόμενον. Iterum Orat. VI, pag. 88 : Ἐνεδείκνυτο τοῖς θαυμάζουσι τὸν πλοῦτον τοῦ ΠΕΡΣΟΥ. Haud aliter plus vice simplici loquuntur Plutarchus et Ælianus, adeo ut

omnibus præmiis donisque fortunæ[9], non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmium proposuit ei[10], qui invenisset novam voluptatem. Qua ipsa non fuisset contentus: neque enim umquam finem[11] inve-

ferri possit illa lectio : vulgata tamen videtur præferenda. Sic Dav. in pr. ed. — *Nam Xerxes quidem.* Valerius Maximus, lib. IX, c. 1, 3 ext. « Age, Xerxes opum regiarum ostentatione eximia, eo usque luxuria gaudebat, ut edicto præmium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperisset ». Idem de Dario, quem vicit Alexander, testatum reliquit Clearchus apud Athenæum, lib. XII, pag. 539. Id autem de cunctis Persarum regibus affirmat Theophrastus apud eumdem, lib. IV, pag. 144 : Θεόφραστος ἐν τῷ πρὸς Κάσανδρον περὶ βασιλείας ... τοὺς Πέρσας φησὶ βασιλεῖς ὑπὸ τρυφῆς προκηρύττειν τοῖς ἐφευρίσκουσί τινα καινὴν ἡδονὴν ἀργυρίου πλῆθος. Vid. et lib. XII, pag. 545. Dav.

9. *Omnibus præmiis donisque fortunæ.* Lambinus rescribendum conjecit, « omnibus muneribus donisque fortunæ ». Mihi nihil videtur innovandum. Julius Firmicus de Error. Prof. Relig. pag. 17 : « Custodes primum regalibus præmiis muneribusque corrupit ». Lactantius Epit. cap. 59, pag. 178 : « Ipsi præsides legum præmiis muneribusque corrupti ». Quum eadem sint *munera* et *dona*, non video cur Noster *præmiis donisque*, sicut illi *præmiis muneribusque* uti non possit. Quinetiam Proba Falconia Virgiliocent. vs. 8, *magorum præmia* pro donis quæ Jesu nascenti dederunt, adhibet. Dav. — Bentleius conjecit « omnibus corporis bonis et fortunæ »; quia sæpe apud Nostrum corporis bona et fortunæ junguntur.

10. *Præmium proposuit ei.* Ultimam vocem suppeditavit Eliens. sec. deest enim in vulgatis. Dav. — Schützius Davisium secutus est; non autem Neid. quem melius fecisse arbitramur : nam nec unius cod. auctoritas sufficit : nec adeo sine exemplo est ita pronomen abesse, ut contra codd. omnium auctoritatem addendum sit. Certe Bentleius, alias assiduus vulgatæ sollicitator, eam h. l. retinendam censuit.

11. *Qua ipsa non fuisset contentus ... finem.* Quum olim scriberetur : « qua ipse inventa non fuit contentus, etc. » Bentleius observavit : Multa hic errata sunt. Principio, illud *inventa* neque apud Victorium habetur, nec Gebhardum, utpote quod repudiant omnes manuscripti. Deinde ex mendosis editionibus retinuit Gebhardus *ipse* et *inveniet* : at Victorius cum codice Dav. *ipsa* habent, et *inveniret*. Rectissime. Lege totum locum parva unius voculæ mutatione : « Præmium proposuit, qui invenisset novam voluptatem : qua ipsa non fuisset contentus : neque enim finem inveniret libido ». Noli dubitare, quin Ciceronis hæc manus sit : nam in vulgata lectione id stulte affirmatur, « novam voluptatem tum fuisse inventam ». Unde vero, aut quis potuit? quis id prodidit, qui auctor est? — Davisius scripsit in tert. ed. « qua ipsa non fuit contentus » cum Reg. Pith. et Med. quamquam immerito dicat Schützius in notis eum *non fuisset* dedisse. Ipse Schütz. et Neid. Bentleio in eo paruerunt, quod pertinet ad « qua ipsa non

niet libido. Nos vellem præmio elicere possemus, qui nobis aliquid attulisset, quo hoc firmius crederemus[12].

21 VIII. Aud. Vellem id quidem; sed habeo paullulum, quod requiram. Ego enim assentior, eorum quæ posuisti, alterum alteri consequens esse, ut, quemadmodum, si quod honestum sit, id solum sit bonum, sequatur, vitam beatam virtute confici; sic, si vita beata in virtute sit, nihil esse, nisi virtutem, bonum. Sed Brutus tuus, auctore[1] Aristo et Antiocho, non

fuisset contentus », vulg. *inveniet* retinuerunt.

12. *Quo hoc firmius crederemus.* Sc. virtutem omnia in se habere præsidia bene beateque vivendi. Nam.

VIII. 1. *Auctore Aristo.* Davis. scribit h. l. et infra *Aristone*, notatque : Leon. Malaspina et D. Lambinus utrobique reponunt *Aristo*. Sane Cicero in Bruto, cap. 97, Aristum vocat « hospitem et familiarem suum » ; ac lib. V ad Attic. Epist. 10, monet se apud eum fuisse. Idem Acad. I, 3, « Brutus Aristum Athenis audivit aliquamdiu, cujus tu fratrem Antiochum ». Iterum de Fin. V, 3 : « Antiochi sententiam tibi (Bruto) qui fratrem ejus Aristum frequenter audieris, maxime probatam existimo ». Antiochi tamen fratrem Ἀρίστωνα vocat Plutarchus in Bruto, p. 984, ubi Ἄριστον rescribendum censuerim; Aristo enim philosophus erat Peripateticus, in Ceo insula natus, et ab Antiochi fratre distinguendus, qui fuit Ascalonita. Vide Plutarchum de Exsil. pag. 605; Strabonem lib. X, pag. 745, XIV, pag. 972, XVII, pag. 1139, et Diogenem Laertium, V, 64. De hoc intelligendus videtur Ælianus V. H. VII, 21 : Οὐκ ἀπηξίου Καῖσαρ, inquit, ἐπὶ τὰς ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ θύρας φοιτᾷν. Nam Jac. Perizonius de Antiochi fratre minus recte cepit, quem Cicero non *Aristonem*, sed *Aristum* semper nominat. Hinc Acad. lib. II, cap. 4 : « Complures dies, adhibito Heraclito, doctisque compluribus et in his Antiochi fratre Aristo, et præterea Aristone et Dione, quibus ille secundum fratrem plurimum tribuebat, multum temporis in ista una disputatione consumpsimus ». Hæc etiam loca faciunt, ut nihil, invitis libris, hic mutandum statuam. Dav. — *Aristo*. Vulgati plerique, *Aristone* : sed quo Aristône? Non Chio, neque Ceo, quos audire Brutus non potuit, rebus humanis jam exemptos. An Aristone illo, cujus mentio est Acad. II, 4? Sed etsi erat philosophiæ non ignarus, non eum tamen Brutus, sed Aristum, Antiochi fratrem, Athenis audiit. Quod testatur Cicero, Acad. I, 3, et de Finib. V, 3. Hic ergo reponendum est *Aristo* pro *Aristone*; in quo hæsitasse miror Davisium. Eoque miror magis, quod ipse hoc nomen in veteri codice legerat. Dubitationem omnem eximit quod addit Cicero, Athenis se diversatum apud fratrem Antiochi; et Aristum hospitem suum vocat, Brut. 97. Hæc Lambinus jam, Fulviusque Ursinus viderant; at non explicaverant satis. Bouh. — Quem Ern. Wolf. Schutz. et Neid. sequuntur. — In

sentit hoc : putat enim, etiam si sit bonum aliquod
præter virtutem.— CIC. Quid igitur? contra Brutumne
me dicturum putas? — AUD. Tu vero, ut videtur: nam
præfiuire non est meum. — CIC. Quid cuique igitur 22
consentaneum sit, alio loco. Nam ista mihi cum Antiocho sæpe, et cum Aristo[2] nuper, quum Athenis imperator[3] apud eum deversarer, dissensio fuit. Mihi enim non videbatur quisquam esse beatus posse, quum in malis esset; in malis autem sapientem esse posse[4], si essent ulla corporis, aut fortunæ mala[5]. Dicebantur hæc, quæ scripsit etiam Antiochus[6] locis pluribus : virtutem ipsam per se beatam vitam efficere posse, neque tamen beatissimam; deinde ex majore parte plerasque res nominari, etiam si qua pars[7] abesset, ut vires, ut valitudinem, ut divitias, ut honorem, ut gloriam[8]; quæ genere, non numero cernerentur :

proximis « putat enim, etiam si sit bonom ». Davis. io prima ed. dederat com Pal. quatuor, Veo. 1491 et Froben. « putat enim, etiam ot sit bonum ». Ceterum sensus est, potat enim virtutem solam sofficere ad vitam beatam efficieodam, etiamsi concedat aliqoid esse posse booum præter virtutem.

2. *Aristo*. Hoc loco Ernestius vulgatum *Aristone* retinoit, quia hic non necessarium sit iotelligi fratrem Antiochi.

3. *Imperator*. Hoc oomen sibi obtionit Cicero ob quædam contra Parthos feliciter gesta, dom io Cilicia proconsul esset anno U. C. 702. E Cilicia rediens Romam, Atheoia paollum commoratos est.

4. *In malis autem sapientem esse posse*. Subiotelligas oportet, *mihi videbatur*; adeo ut ea sit hoc in loco loquendi ratio, quam legitimam esse docuimus ad hujusce libri cap. 5. Attamen, ne quid dissimolem, Bak. et Balliol. exhibeot, « in malis autem sapiens esse posset », unde, postrema literula dempta, rescribi queat « sapiens esse posse » prout diserte Med. DAV.

5. *Si ... mala*. Peripatetici enim præter bona et mala aoimi, i. e. virtotem et vitiom, etiam bona et mala corporis et fortuoæ esse censebaot. Vid. mox infra. NEID.

6. *Quæ scripsit etiam Antiochus*. Reg. et Pithœano. « quæ scripta sit ». Med. Bak. et Balliol. « quæ scripta sunt etiam Antiochus »; quod oon male se habet, si modo legas *Antiocho*. DAV.

7. *Etiam si qua pars ab*. Davis. e Reg. et Pith. dedit *quæ*, sequentibus Wolf. Schütz. et Neid.

8. *Ut honorem, ut gloriam*. Sic homo honoribus defonctus dici potest, vel honoratus, quamquam omnes honores non obtinoerit. Sic aliquis gloriam obtinere dici potest, quamquam ejus

item beatam vitam, etiam si ex aliqua parte[9] clauderet,
tamen ex multo majore parte obtinere nomen suum.
23 Hæc nunc enucleare non ita necesse est; quam-
quam non constantissime dici mihi videntur. Nam et
qui beatus est, non intelligo, quid requirat, ut sit bea-
tior[10] (si est enim quod desit, ne beatus quidem est);
et, quod ex majore parte unamquamque rem appel-
lari[11] spectarique dicunt, est, ubi id isto modo va-
leat[12]. Quum vero tria genera malorum esse dicant,
qui duorum generum malis omnibus urgeatur, ut
omnia adversa sint in fortuna, omnibus oppressum
corpus et confectum doloribus, huic paullumne[13] ad
beatam vitam deesse dicemus, non modo ad beatissi-
24 mam? Hoc illud est, quod Theophrastus sustinere non
potuit. Nam quum statuisset, verbera, tormenta, cru-

gloria crescere et augeri possit, quia ex majore parte res istæ nominantur.

9. *Ex aliqua parte clauderet.* Ita Gebhardus e suis edidit MSS, quibuscum faciunt nostri. Veteres impressi *claudicaret*; quod a librariis alterius verbi potestatem non capientibus videtur natum. Noster in Orat. cap. 51: « Quid est, cur claudere, aut insistere orationem malint ». Terentius Andr. act. III, sc. III, 41: « Nolo tibi ullum commodum in me claudier ». A. Gellius N. A. XIII, 20: « Senties suavitatem sonitus claudere ». Apuleius de Deo Socratis, pag. 692: « Ut ubi dubitatione clauderet ibi divinatione consisteret »: sic enim tres MSS Cantab. non *claudicaret*, ut vulgati. Sic etiam Symmachus, lib. I, Epist. 33; Ausonius in Prol. Sap. vs. 32, et alii. Vide Just. Lipsium Var. Lect. lib. II, cap. 6; G. J. Vossium in Etymol. v. *claudus*, et J. Fr. Gronov. ad Livii XXII, 39. Dav. — Quem Schütz. et Neid. sequuntur. — Nollem te cascum illud et obsoletum *clauderet* a Gebhardo accepisse, dignius quidem Nævio et opicis illis scriptoribus, quam Cicerone. At habent aliqui codices apud Gebhardum. At alii meliores, in quibus tuus ille præstantissimus, *claudicaret*. His ergo accedamus, illis valere jussis: præsertim, quum Cicero *claudicare* in hoc ipso sensu sæpiuscule usurpet, codicibus nihil variantibus; illud ne semel quidem. Bentl.

10. *Ut sit beatior.* In notione τοῦ *beatus* gradus inesse non possunt.

11. *Unamquamque rem appellari.* Absurde Pall. omnes dant *partem*, cum quibus faciunt Reg. Pithœan. et Bak. sed veram lectionem retinent Med. et Balliol. Dav.

12. *Est ubi id isto modo valeat.* Est quidem, ubi hoc applicari, locum habere possit. Nein.

13. *Huic paullumne.* Sens. num putemus, tali parum, ne dicam ad beatissimum, sed solum ad beatam vitam deesse. Nein.

ciatus, patriæ eversiones, exsilia, orbitates magnam vim habere ad male misereque vivendum, non est ausus elate et ample[14] loqui, quum humiliter demisseque sentiret[15].

IX. Quam bene[1], non quæritur : constanter quidem certe. Itaque mihi placere non solet, consequentia reprehendere, quum prima concesseris. Hic autem, elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus, non magnopere reprehenditur, quum tria genera dicit bonorum; vexatur autem ab omnibus, primum in eo libro, quem scripsit de vita beata[2], in quo[3] multa disputat, quamobrem is, qui torqueatur, qui crucietur, beatus esse non possit. In eo etiam putatur dicere, in rotam[4], beatam vitam non escendere. Non usquam

14. *Elate et ample.* Sine dubio *elate et ample* loqui nibil aliud est, quam sententiam illam, virtute beatam vitam confici, defendere. Nein.

15. *Demisseque sentiret.* Hujusce loci testimonio usus est Marcellus v. *demissum*, cap. IV, col. 646, ubi sic laudat : « non est ausus elate et ample loqui, humiliter demisseque sentire ». Receptam vero lectionem auctoritate sua muniunt omnes MSS; et illa quidem Nonianæ est præferenda. Dav. — *Humiliter demisseque sentiret.* I. e. putaret, præter virtutem et alia esse bona, quam sententiam humilem et abjecti animi dicit. Nein.

IX. 1. *Quam bene.* An ejus doctrina vera sit, non queritur.

2. *De vita beata.* Περὶ εὐδαιμονίας, quem librum memorat Diogenes Laertius, lib. V, pag. 124, ut et alii, quos indicat Ægidius Menagius Oservat. pag. 121. Dav.

3. *In quo multa disp.* Davisius scribit « quod multa disputarit », ea constructione, ut putamus, « vexatur primum, quod in eo libro quem scripsit de vita beata multa disputarit ». Nam Davisius dicit se Bentleium sequi, qui tamen, non ferens scilicet hanc loquutionem « vexatus in eo libro », pro « ob eum librum » scribi jubebat : « vexatur autem ab omnibus, primum quod in eo libro ... multa disputarit ». De sua ipse lectione Bentleius judicat, nam ait, Tu librarios plorare jube et sic rescribe.

4. *In rotam.* Post hæc Davis. in contextu addit in parenthesi « id est genus quoddam tormenti apud Græcos », observatque : Hæ voces glossematis loco, post Erasmum, Manutius, Lambinus et Gebhardus habuerunt. Eadem mihi stat in animo sententia; licet enim *rota* græcum fuerit tormenti genus, adeoque non importunus foret Cicero, si qualem vellet *rotam* suis indicasset : attamen quum plures sint MSS, qui voces istas nesciunt; mihi dubium non videtur, quin scholiastæ cuidam suum debeant ortum. Apuleius Metam. lib. III, pag. 79 :

id quidem dicit omnino [5]; sed, quæ dicit, idem valent.
25 Possum igitur [6], cui concesserim, in malis esse dolores corporis, in malis naufragia fortunæ, huic succensere dicenti, non omnes bonos esse beatos, quum in omnes bonos ea, quæ ille in malis numerat, cadere possint? Vexatur idem Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene [7] suo laudarit illam sententiam:

Vitam regit fortuna, non sapientia [8].

Negant ab ullo philosopho quidquam dictum esse languidius. Recte id quidem; sed nihil intelligo dici potuisse constantius. Si enim tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortuna; nonne consentaneum est, plus fortunam, quæ domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam con-
26 silium, valere? An malumus Epicurum imitari? qui multa sæpe præclare dicit: quam enim [9] sibi constanter

« Nec mora, quum ritu Græciensi ignis et rota, tum omne flagrorum genus inferuntur ». Idem lib. X, pag. 326: « Nec rota vel equuleus, more Græcorum, tormentis ejus apparata jam deerant ». Rota, τροχὸς, ξύλινόν τι ἦν ἐν ᾧ δεσμούμενοι οἱ οἰκέται ἐκολάζοντο, ut ex Aristophanis scholiaste in Pacem vs. 451, Suidas docet. — Eas certe vv. Oliv. Schütz. et Neid. delevere.

5. *Omnino*. Expressis verbis. Neid.

6. *Possum igitur*. Quod si igitur cui concesseris esse plura bonorum ac malorum genera, ei non succensere licet dicenti non omnes bonos beatos esse. Neid.

7. *In Callisthene*. Conf. lib. III, § 21: tractat nimirum liber Theophrasti de Luctu. Neid.

8. *Vitam regit fortuna, non sapientia*. Dubitat Erasmus, an hic apud Nostrum *senarius* casu sit elapsus. Non animadvertit vir summus illum ex iambico græco translatum esse, qui sic se habet: Τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία. Exstat apud Plutarchum περὶ τύχης, pag. 97. Exstat etiam apud Stobæum Eclog. Phys. pag. 14, et Chæremoni tribuitur. Imitatur supposititius iste Phalaris Epp. 10, 32. Dav.

9. *Quam enim sibi constanter* ... *non laborat*. Et impedit et corrumpit sententiam illud *enim*. Quare furcillis est ejiciendum. Bentleius. — Cui Davis. assentitur, nisi malis *autem* scribere. Sed *enim* refertur ad præcedd. « an malumus Ep. imitari? » quasi dixisset « qui enim quum multa præclare sæpe dicat, minime laborat quam convenienter dicat ».

convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum[10]. Philosophi id quidem; sed si Socrates, aut Antisthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit. Negat, quemquam[11] jucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter, justeque vivat. Nihil gravius, nihil philosophia dignius[12]; nisi idem hoc ipsum, honeste, sapienter, juste, ad voluptatem referret. Quid melius[13], quam, fortunam 27
exiguam intervenire sapienti[14]? Sed hoc isne dicit, qui, quum dolorem non modo maximum malum, sed solum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi possit doloribus acerrimis tum, quum maxime contra fortunam glorietur? Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus, «Occupavi te[15], inquit, fortuna, at-

10. *Laudat tenuem victum.* Vide Laertium, X, 130, seqq. et ibi Menagium. Nonnulli tamen Epicurum gulæ et luxus incusarunt. Hinc Timocrates apud Laertium, X, 6, dixit αὐτὸν δὶς ἡμέρας ἐμεῖν ἀπὸ τρυφῆς, etc. Cf. Athenæum lib. VII, pag. 279. Videndus etiam Suidas in Ἐπίκουρος. Sed hæc aliaque similis calumniarum loco sunt habenda : hunc enim philosophum parce duriterque vixisse scriptores idonei testantur. Eorum suffragia collegere Petr. Gassendus de vit. et mor. Epicuri, lib. VI, cap. 3, et Joach. Kuhnius ad Æliani V. H. lib. IV, cap. 13. Dav.

11. *Negat, quemquam jucunde.* Cicero de Fin. lib. I, cap. 18 : « Clamat Epicurus, is, quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse jucunde vivi nisi sapienter, honeste, justeque vivatur ; nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde ». Græca sic se habent : Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως· οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως ἄνευ τοῦ ἡδέως. Exstant apud Laertium, X, 132, 140. Vide et lib. XV, Fam. Epist. 19. Dav.

12. *Nihil philosophia dignius.* Eliens. sec. *philosopho*. Non male. Sed nec male se habet aliorum codicum lectio. Vide sis infra cap. 25. Dav.

13. *Quid melius.* Sc. quid magis ad virtutis laudem dici potest, quam quod ab Epicuro dicitur.

14. *Fortunam exiguam intervenire sapienti.* Seneca de Const. Sap. c. 15 : « Epicurus, Raro, inquit, sapienti intervenit Fortuna ». Ejusdem dicti meminere Noster de Fin. I, 19, et Vitruvius lib. VI, Præf. græce : Βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. Exstat apud Laertium, X, 144; Plutarchum περὶ τύχης, pag. 99, A, et Stobæum Eclog. Ethic. pag. 199. Dav.

15. *Occupavi te.* Græce : Προκατείλημμαί σε, ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρείσδυσιν. Legitur apud Plutarch. περὶ εὐθυμίας, pag. 476. Nonius in *occupare* : « Cicero Tusc. lib. V : Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus occupavit ». Leg. *occupavi te*. Dav.

que cepi; omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses». Præclare, si Aristo Chius, aut si stoicus Zeno diceret, qui, nisi quod turpe esset, nihil malum duceret. Tu vero, Metrodore, qui omne bonum in visceribus medullisque condideris, et definieris, summum bonum firma corporis affectione, explorataque spe[16] contineri, fortunæ aditus interclusisti? Quo modo? Isto enim bono jam exspoliari potes[17].

28 X. Atqui his capiuntur imperiti; et propter hujusmodi sententias, istorum[1] hominum est multitudo. Acute autem disputantis illud est, non, quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit, videre. Velut in ea ipsa sententia, quam in hac disputatione suscepimus, omnes bonos semper beatos volumus esse: quid dicam bonos, perspicuum est. Omnibus enim virtutibus instructos et ornatos, quum sapientes, tum viros bonos dicimus. Videamus, qui dicendi sint beati. Equidem hos existimo, qui sint in bonis, nullo adjuncto
29 malo. Neque ulla alia huic verbo, quum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. Hanc assequi virtus, si quidquam præter ipsam boni est, non potest. Aderit enim malorum, si mala illa ducimus, turba quædam, paupertas, ignobilitas, humilitas, solitudo, amissio suorum[2], graves dolores, corporis perdita valitudo,

16. *Explorataque spe.* D. Lambinus legendum censet, *explorataque ejus spe.* Sed, libris invitis, pronomen facile subintelligendum non immiserim. De hoc effato sat multa collegimus ad lib. II, cap. 6. Dav.

17. *Isto enim bono jam exspoliari potes.* Reg. Pithœan. Med. et Balliol. « isto enim (Med. *tam*, Balliol. *eam*) bono jam exspoliare potest ». Ut legendum videatur « isto te ea bono jam exspoliare potest ». Dav.

X. 1. *Istorum hominum*, qui Epicureos sequuntur.

2. *Amissio suorum.* In MSS Fabric. et Cantabr. est *amissio carorum*, eamque lectionem recipiendam judicavit Janus Gulielmius; quod nollem factum; dubitari enim nequit, quin glossam scripturæ genuinæ prætulerit

debilitas, cæcitas, interitus patriæ, exsilium, servitus denique [3]. In his tot et tantis, atque etiam quæ plura possunt accidere [4], potest esse sapiens: nam hæc casus importat, qui in sapientem potest incurrere. At si ea mala sunt, quis potest præstare [5], sapientem semper beatum fore, quum vel in omnibus his uno tempore esse possit?

Non igitur facile concedo, neque Bruto meo, neque communibus magistris [6], neque veteribus illis, Aristoteli, Speusippo, Xenocrati, Polemoni, ut quum ea, quæ supra enumeravi, in malis numerent, iidem dicant, semper beatum esse sapientem. Quos si titulus hic delectat insignis [7] et pulcher, Pythagora, Socrate,

vir eruditus. *Sui* sunt cognati, aut necessarii. Res est nota; vide tamen Virgilium in Cir. vs. 201, 510; Justinum lib. XI, cap. 5, et Janum Gebhardum Crepund. lib. I, cap. 9. Dav. — Nihil mutandum Bentleius quoque pronuntiat, quamquam sic loquitur Lactantius perpetuus. Nostri imitator, Div. Inst. III, 17: «Videbat Epicurus bonis adversa semper accidere, paupertatem, labores, exsilia, carorum amissiones».

3. *Exsilium, servitus denique. In his tot et tantis.* Vulgo, «exsilium, servitus. Denique in his tot et tantis». Probam loci distinctionem Cl. Bentleio referimus acceptam. Dav.

4. *Atque etiam quæ plura possunt accidere.* D. Lambinus conjectura ductus rescripsit, «ad quæ etiam plura possunt accedere», nec aliter edidit Fr. Fabricius. Pal. quart. «atque etiam cui plura possunt accidere». Secund. tert. Vatic. Petrens. «atque etiam plura possunt accidere». Totum igitur locum sic lego et distinguo: «Denique in his tot et tantis (atque etiam plura possunt accidere) potest esse sapiens». Altera illa emendatio, licet non inelegans videatur, auctoritati tamen codicum est posthabenda, quum ea, quam præ se ferunt, lectio sensum fundat auctoris menti consentaneum. Hæc Davis. In prima ed. qui postea in tertia Lambini conjecturam adoptavit, dicens: Ad eam quasi manu ducunt Reg. Pithœan. Pall. sec. tert. Vatic. Balliol. et Petrens. qui dant, «atque etiam plura possunt accidere». Ducit et Fabric. «at quæ etiam plura possunt accedere» repræsentans. — Schütz. Wolf. et Neid. dederunt in parenthesi («atque etiam plura possunt accidere»).

5. *Quis potest præstare.* Quis vadimonium sistere potest. Nizol.

6. *Communibus magistris.* Ut Antiocho, Aristo et aliis, qui fuerunt communes doctores M. Bruti et Ciceronis. Beroald.

7. *Quos si titulus hic delectat insignis.* Sic Ascensius, Erasmus, Manutius, Lamb. Bentl. et alii. Pith. a prima manu *quosi*. Vulgo *quod si*. Dav.

Platone dignissimus, inducant animum[8], illa, quorum splendore capiuntur, vires, valitudinem, pulchritudinem, divitias, honores, opes contemnere, eaque, quæ his contraria sint, pro nihilo ducere: tum poterunt clarissima voce profiteri, se neque fortunæ impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, neque paupertate terreri, omniaque sibi in sese esse posita, neque esse quidquam extra suam potestatem, quod du-
31 cant in bonis. Namque et hæc loqui[9], quæ sunt magni cujusdam et alti viri, et eadem, quæ vulgus, in malis et bonis numerare, concedi nullo modo potest: qua gloria commotus Epicurus exoritur, cui etiam, si diis placet[10], videtur semper sapiens beatus. Hic dignitate hujus sententiæ capitur; sed numquam id diceret, si ipse se audiret[11]. Quid est enim, quod minus conveniat, quam ut is, qui vel summum, vel solum malum dolorem esse dicat, idem censeat, « Quam hoc suave est[12]! » tum, quum dolore crucietur, dicturum esse sapientem? Non igitur ex singulis vocibus philosophi

8. *Inducant animum.* Sibi proponant, consilium capiant. Neid.

9. *Namque et hæc loqui.* Quum vulgo scriberetur « neque hunc et hæc loqui », Davisius observavit: Locus, nisi fallor, est vitiosus; non enim de Metrodoro, sed de Aristotele, Speusippo, aliisque proxima verba sunt intelligenda. Petrens. habet « nam hunc et hæc loqui . . . nullo modo potest ». Ad vocem antepenultimam quod spectat, accedunt Reg. Pithœan. Med. Balliol. Bak. et Cantab. Omnino legerim « namque et hæc loqui . . . et eadem, quæ vulgus in malis et bonis numerare, concedi nullo modo potest ». Ne in dubium revocari possint hæ διορθώσεις, facit Eliens. sec. qui ita diserte repræsentat. — Ac in prima ed. Dav. testatur hanc lect. in Norv. quoque apparere. Davisii correctionem auctoritate cod. Reg. Paris. et Guelf. receperunt Lallemand. Ernest. et Neid. Schützius cum Wolfio scribit ex conjectura Bentleii « neque enim et hæc loqui . . . ullo modo potest ». Sed quum Davisianam lect. codices defendant, quid necesse est aliam admovere, non meliorem? — *Namque et hæc loqui.* Contradicunt enim sibimet ipsis, quum et hæc loquuntur, etc. et numerant, etc. Neid.

10. *Si diis placet.* Ironice. Neid.

11. *Si ipse se audiret.* Si principiorum suorum memor esset, malum esse scilicet dolorem. Neid.

12. *Quam hoc suave est!* Vide nos ad lib. II, cap. 7. Dav.

spectandi sunt, sed ex perpetuitate[13] atque constantia.

XI. Aud. Adducis me[1], ut tibi assentiar. Sed tua 32
quoque, vide, ne desideretur constantia. — Cic. Quonam modo? — Aud. Quia legi tuum nuper quartum de Finibus. In eo mihi videbare, contra Catonem disserens, hoc velle ostendere, quod mihi quidem probatur[2], inter Zenonem et peripateticos nihil præter verborum novitatem interesse. Quod si ita est, quid est causæ, quin, si Zenonis rationi consentaneum sit, satis magnam vim in virtute esse ad beate vivendum, liceat idem peripateticis dicere? Rem enim opinor spectari oportere, non verba.

Cic. Tu quidem tabellis obsignatis[3] agis mecum, 33
et testificaris, quid dixerim aliquando, aut scripserim. Cum aliis isto modo[4], qui legibus impositis[5] disputant. Nos in diem vivimus[6]. Quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus. Itaque soli

13. *Ex perpetuitate.* E nexu et systemate totius philosophiæ. Neid.

XI. 1. *Adducis me ... ut sit idem beatissimus.* Auditor quoque Ciceronem arguit inconstantiæ. Tu jam, dicere vult, contendis nulli philosophorum dicere licere virtutem sufficere ad vitam beatam nisi Stoicis, qui virtutem summum bonum putant; attamen etiam tu in libris de Finibus disseris, inter Stoicos et Peripateticos nihil interesse præter verborum novitatem. In hoc ergo tibimetipsi contradicis. Nam si hoc postremum verum est, quidni etiam Peripateticis dicere licet, in virtute magnam esse vim ad beate vivendum? — Respondet Cicero. Neid.

2. *Quod mihi quidem probatur.* Davisio suadente Bentleio « q. m. q. probare », quod est in Reg. et Pith. Med. et Bak. *probaretur.*

3. *Tabellis obsignatis agis mecum.* Me scriptorum meorum testimonio redarguis. Metaphora ducta est a syngraphis annulo vel manu signatis, quas in causarum actione proferunt JCti. Dav. — Videsis Hadr. Junium et Gibb. cognatum inter Adag. Erasmi, p. 160, 632.

4. *Isto modo.* Agas. Per jocum a Cicerone hæc usque ad verba « itaque soli sumus liberi » dicta esse puto. Alludit nimirum ad eclecticam Academicorum philosophandi rationem, qua sibi permissum esset, modo hæc modo illa perhibere. Neid.

5. *Legibus impositis.* Secundum certam philosophandi rationem, a qua non recedere licet. Neid.

6. *In diem vivimus.* Nos Academici non curamus, quid aliquando statuerimus aut olim simus statuturi, aliud alio die probabilius habentes. Neid.

sumus liberi. Verumtamen, quoniam de constantia paullo ante diximus, non ego hoc loco[7] id quærendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit, quodque ejus auditori, Aristoni, bonum esse solum, quod honestum esset; sed, si ita esset[8], tum ut hoc totum,
34 beate vivere, in una virtute poneret. Quare demus hoc sane Bruto, ut sit beatus semper sapiens. Quam sibi conveniat, ipse viderit. Gloria quidem hujus sententiæ[9] quis est illo viro dignior? Nos tamen teneamus, ut sit idem[10] beatissimus[11].

7. *Hoc loco.* Nunc hodie; aliena enim est hæc disquisitio a scopo nostro. Neid.

8. *Sed, si ita esset, tum ut hoc totum, b. v. in una virt. poneret.* Multa hic peccantur. Primum illud *poneret* quo referendum? si ad Aristonem et Zenonem (alius autem nemo est) dicendum utique est *ponerent.* Sed nec hoc neque illud sanum sensum efficit. Quorsum enim aut quærat aut optet, ut Zeno et Aristo beatam vitam in una virtute ponerent; quum id eos constanter fecisse et ipse sæpe dixerit, et res sit notissima? Deinde series et apodusis orationis est vitiosa: « Non, inquit, quærendum puto, verumne sit, sed tum ut ». Vides jam, opinor, τὸ ἀνακόλουθον: quod et Lambinus, acute interdum cernens, ubi ceteri cæcutiunt, recte animadvertit: legit enim *tum utrum.* Recte hoc, si modo et illud insuper perspexisset, aliam tum sententiæ medicinam adhibendam esse; quippe, *si ita esset*, ut Zenoni placuit, bonum esse solum quod honestum; nulla ultra quæstio foret, utrum vita beata in una virtute consisteret. Lege igitur totum locum: « Non ego hoc loco id quærendum puto, verumne sit .... bonum esse solum quod honestum esset: sed, ni ita esset, utrum (vel recte-ne) hoc totum beate vivere in una virtute poneretur ». Hoc nempe illud est, quod Peripateticos tangit; qui, quum negarent solum bonum esse quod honestum, beatam tamen vitam sola virtute compleri voluerunt. Bentl. — Davisius hanc Bentleii conj. amplexus est, quamquam vulgatam defendunt codices, nisi quod Vatic. *tum* nesciat. Wolf. quem Schütz. et Neid. sequuntur: « Sed, ni ita esset, num hoc totum . . . ponerent ». — *Ni ita esset.* Si etiam honestum non esset summum bonum. Neid. — Ea lectio quam Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur, elegans potius divinatio quam vera auctoris manus videtur.

9. *Hujus sententiæ.* Proferendæ.

10. *Idem.* Sc. sapiens.

11. *Beatissimus.* XII. *Etsi Zeno . . . videtur: hujus sententiæ.* Vulgo, « beatissimus: etsi Zeno . . . videtur. XII. Hujus sententiæ ». Qua quidem prava distinctione sensum pessime turbarunt. Nos igitur interpunctionem re ipsa ducti mutavimus, caputque suo loco sumus exorsi, quod alienissimo fecerant alii. Dav. — Cum Davisio sequentes editores fecerunt.

XII. Etsi Zeno[1] Cittieus, advena[2] quidem, et ignobilis verborum opifex[3], insinuasse se[4] in antiquam philosophiam videtur: hujus sententiæ gravitas a Platonis auctoritate repetatur; apud quem sæpe hæc oratio usurpata est, ut nihil præter virtutem diceretur bonum: velut in Gorgia[5] Socrates, quum esset ex eo quæsitum, Archelaum, Perdiccæ filium[6], qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? « Haud scio[7], inquit. Numquam enim cum eo colloquutus sum.

XII. 1. *Etsi Zeno . . . omnis manabit oratio.* Solam virtutem beatam vitam efficere, hoc non Zeno primus docuit, sed Plato, e quo tamquam fonte hæc omnis doctrina erit haurienda. Nꜱɪᴜ.

2. *Advena quidem.* Alii eum Dav. *adv. quidam.* Erat Zeno Cittieus, ex Cittio urbe quadam Cypri, cujus incolæ erant Phœniciæ originis: inde vocat eum advenam, i. e. peregrinum. Eamdem ob causam Cicero eum Pœnulum appellat. Nꜱɪᴜ.

3. *Ignobilis verborum opifex.* Eodem fere modo Cicero de eo de Fin. B. et M. III, 2. Zeno eorum (Stoicorum) princeps non tam rerum inventor fuit, quam novorum verborum». Nꜱɪᴜ.

4. *Insinuasse se.* Quasi civitatis nomen antiqua in philosophia sibi conquisivisse: vel, nihil re ipsa novi prodidisse, sed ex antiqua philosophia, qua erat imbutus, dogmata sibi desumpsisse.

5. *In Gorgia.* In dialogo Platonis, qui inscribitur Gorgias. Locum vide tom. IV, pag 53, edit. Bipont. Nꜱɪᴜ.

6. *Archelaum, Perdiccæ filium.* Perdiccas rex Macedonum Archelaum e muliere serva genuerat. Qui tamen Archelaus regno paterno potitus est, quod tenere debuisset filius Perdiccæ legitimus septem annis natus. Is ab Archelao postea occisus est: multaque ab eodem commissa sunt scelera. Ceterum gloriose regnavit, si credas Thucydidi: instituit hos Macedonum exercitus disciplinamque, quibus postea Græcia subacta est. Viros doctos ad aulam suam advocabat, Socratemque ipsum allicere voluit, sed ab eo repulsam tulit. In venando perfidia cujusdam adolescentis quem amabat occisus est, non multo post Socratem veneno interfectum.

7. *Haud scio.* Græca sic se habent: Σωκ. Οὐκ οἶδα, ὦ Πῶλε· οὐ γάρ πω συγγέγονα τῷ ἀνδρί. Π. Τί δαί; συγγενόμενος ἂν γνοίης, ἄλλως δὲ αὐτόθεν οὐ γιγνώσκεις ὅτι εὐδαιμονεῖ; Σ. Μὰ Δί', οὐ δῆτα. Π. Δῆλον δὴ, ὦ Σώκρατες, ὅτι οὐδὲν (leg. οὐδὲ) τὸν μέγαν βασιλέα γινώσκειν φήσεις εὐδαίμονα ὄντα. Σ. Καὶ ἀληθῆ γε ἐρῶ· οὐ γὰρ οἶδα παιδείας ὅπως ἔχει καὶ δικαιοσύνης. Π. Τί δέ; ἐν τούτῳ πᾶσα ἡ εὐδαιμονία ἐστίν; Σ. Ὥς γε ἐγὼ λέγω ὦ Πῶλε· τὸν μὲν γὰρ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ γυναῖκα εὐδαίμονα εἶναί φημι, τὸν δὲ ἄδικον καὶ πονηρὸν, ἄθλιον. Π. Ἄθλιος ἄρα οὗτός ἐστιν ὁ Ἀρχέλαος κατὰ τὸν σὸν λόγον; Σ. Εἴπερ γε, ὦ φίλε, ἄδικος. Hæc ultima repetunt Athenæus, lib. V, pag. 217; Plutarchus de liber. Educ. pag. 6. Levis

— Ain' tu? an tu aliter id scire non potes? — Nullo modo. — Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit? — An ego possim[8], quum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus? — Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? — Ita prorsus existimo, bonos, beatos; improbos, miseros. — Miser
36 ergo Archelaus? — Certe, si injustus. » Videturne[9] omnem hic beatam vitam in una virtute ponere? Quid vero? in Epitaphio[10] quo modo idem? « Nam cui viro[11], inquit, ex se ipso apta sunt omnia[12], quæ ad beate vivendum ferunt[13], nec suspensa[14] aliorum aut bono casu, aut contrario, pendere ex alterius eventis et errare coguntur: huic optime vivendi ratio comparata est. Hic est ille moderatus, hic fortis, hic sapiens; hic, et nascentibus, et cadentibus quum reliquis commodis, tum maxime liberis, parebit et obediet præcepto illo veteri:

In his inest memoriæ lapsus; non enim hæc Socratem Gorgias interrogat, sed Polus apud Platonem in Gorgia, pag. 290. Ad eadem respiciunt Julianus Orat. II, pagg. 78, 79, et Dion Chrysostomus, Orat. III, p. 36. Dav.

8. *An ego possim*. Sic Reg. Pith. et Med. Vulgo *possum*. Dav.

9. *Videturne*. Hæc forma interrogandi proprie negat; accipiendumque *nonne videtur*. Ern.

10. *In Epitaphio*. Sc. Platonis. Venit hic dialogus quoque sub nomine Menexenus. Locum vide tom. V, ed. Bip. p. 302. Nein.

11. *Nam cui viro*. Hæc sunt Platonis verba: Ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα... καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις, ἐξ ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων πλανᾶσθαι ἠνάγκασται καὶ τὰ ἐκείνου, τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν. Οὗτός ἐστιν ὁ σώφρων, καὶ οὗτος ὁ ἀνδρεῖος καὶ φρόνιμος· οὗτος γιγνομένων χρημάτων καὶ παίδων καὶ διαφθειρομένων, μάλιστα πείσεται τῇ παροιμίᾳ (Noster vertit ac si legisset, οὗτος γιγνομένων καὶ διαφθειρομένων χρημάτων, καὶ μάλιστα παίδων, πείσεται, etc.) οὔτε γὰρ χαίρων οὔτε λυπούμενος ἄγαν φανήσεται, διὰ τὸ αὑτῷ πεποιθέναι. Exstant in Epitaph. p. 408. Eorum nonnulla quasi παρῳδεῖ Julianus Orat. II, pag. 78. Dav.

12. *Ex se ipso apta sunt omnia* Cujus animi tranquillitas non pendet a rebus externis, sed ab internis perpetuisque bonis. Ern. — In Platone est: εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται. Nein.

13. *Ferunt*. Valent, prosunt. Græce apud Plat. φέροντα. Ern.

14. *Nec suspensa*. Idem quod supra lib. III, 37, expressum erat: « extrinsecus religata ». Nein.

Neque enim lætabitur umquam, nec mœrebit nimis,
Quod semper in se ipso omnem spem reponet sui[15]. »

XIII. Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio. 37

Unde igitur[1] rectius ordiri[2] possumus, quam a communi parente natura? Quæ quidquid genuit, non modo animal, sed etiam quod ita ortum esset[3] e terra, ut stirpibus suis niteretur, in suo quodque[4] genere perfectum esse voluit. Itaque et arbores, et vites, et ea, quæ sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt, alia semper virent[5], alia hieme nudata[6], verno tempore tepefacta[7] frondescunt; neque est ullum,

15. *Neque enim lætabitur umquam, nec mœrebit nimis, Quod semper in se ipso omnem spem reponet sui.* Legendum puto, « Neque enim lætabitur umquam, aut mœrebit nimis, Quod semper in se ipse omnem spem ponet sui ». *Ipse* recte habet Victorius cum suo codice : *Ponet* tu egregie reposuisti ex lege metri. In priore versu *aut* pro *nec* substituo. Hæc enim scil. ad Dav. scribit Bentl. de prima Dav. ed. judicans. Cum Bentleio Davisius in sec. ed. dedit *ipse*, quod est in Reg. Pith. Med. Bak. et Balliol. sequentibus Schütz. et Neid. Schützius præterea cum Bentl. dedit *aut mœrebit nimis ;* et *ponet* pro *reponet*. — Græca sunt : Οὔτε γὰρ χαίρων, οὔτε λυπούμενος ἄγαν φανήσεται, διὰ τὸ αὑτῷ πεποιθέναι. J. V. L.

XIII. 1. *Unde igitur... beatus esse necesse est.* Uberior demonstratio effati illius : « virtutem efficere beatum ». Orditur Cicero (§ 37—39) cum deductione empirica, in qua ostendit omnes res naturales, plantas et bestias, quamvis in suo genere, esse perfectissimas. Quarum e perfectione concludit, tamquam a minori ad majus, hominem esse omnium entium perfectissimum, ejusque animum cum nulla rerum naturalium comparari posse, quum sit quasi quædam particula a Deo decerpta. Summam autem perfectionem animi humani esse in virtute; virtutem autem sibimetipsi sufficere : inde colligi posse, virtutem efficere beatum. Neid.

2. *Rectius ordiri poss.* Davis. transp. *ordiri rectius*, nutatque : Pall. tert. quart. Reg. Pithœan. Med. Balliol. et Bak. *oriri ;* eaque scriptura, licet inepta sit et insulsa, Gebhardo proba videtur.

3. *Quod ita ortum esset e terra, ut stirpibus*, etc. Est hæc periphrasis plantarum. Neid.

4. *In suo quodque genere.* Davis. *quidque* e Pith. et Reg.

5. *Alia semper virent.* Hasce voces in recentioribus editis prætermisit sive correctorum, sive typothetarum incuria; nos autem ex MSS et veteribus impressis revocavimus. Dav.

6. *Nudata.* Fronde et foliis, scilicet.

7. *Verno tempore tepefacta frondescunt.* Codex Dav. ex optimis, *pate-*

quod non ita vigeat interiore quodam motu, et suis in quoque seminibus inclusis, ut aut flores, aut fruges fundat, aut baccas, omniaque in omnibus, quantum in ipsis sit, nulla vi impediente, perfecta sint.
38 Facilius vero etiam in bestiis, quod his sensus a natura est datus, vis ipsius naturæ perspici potest. Namque alias bestias nantes, aquarum incolas esse voluit; alias volucres, cælo frui libero; serpentes quasdam, quasdam esse gradientes; earum ipsarum partim solivagas[8], partim congregatas; immanes alias, quasdam autem cicures; nonnullas abditas, terraque tectas. Atque earum quæque suum tenens munus, quum in disparis animantis vitam transire non possit, manet in lege naturæ. Et ut bestiis aliud alii præcipui[9] a natura datum est, quod suum quæque retinet, nec discedit ab eo: sic homini multo quiddam præstantius; etsi præstantia debent ea dici, quæ habent aliquam[10] comparationem. Humanus autem animus, decerptus ex mente divina[11], cum alio nullo, nisi cum ipso Deo,

facta. An hoc voluit, « verno tempore patefacto frondescunt? » ut Lucretius, I, 10: « Nam simul ac species patefacta est verna diei, Et reserata viget genitabilis aura favoni ». Sed nihil temere sollicitandum arbitror. BENTL. — Beroald. vellet legi *verno tepore*. Frustra.

8. *Solivagas*. Ut bestiæ rapaces. NEID. — Hanc bestiarum divisionem ex Aristotele Hist. Anim. lib. I, c. 1, desumpsit Tullius, licet singularum specierum differentias accuratius exponat Philosophus. DAV.

9. *Præcipui*. Ern. conjecit *præcipue*. In cod. Leid. est « Et ut bestiis aliis aliud præcipui ». Inde Buberius legi volebat « Et ut bestiis aliud aliis est præcipui ».

10. *Quæ habent aliquam comparationem*. Quæ cum alio quodam comparari possunt; vel potius, quæ comparari possunt cum iis quibus præstare dicuntur.

11. *Decerptus ex mente divina*. Loquitur ex eorum sententia, qui humanos animos Dei partes esse statuerunt. Hieronymus ad Ctesiph. contra Pelag. pag. 547: « Juxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, et de ejus dicunt esse substantia ». Idem inter Epist. Augustin. XXVII: « Anima est a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, et Hispanici Priscilliani hæreses suspicantur ». Cf. Theodoretus Hær. Fab. lib. V, cap. 5. Vide sis et ejusdem libri cap. 9; Servium ad Æn. VI, 714; Augustinum C. D. IV, 12, 13, VII, 5; Th. Gatak. ad Antonini V, 27; Plut. Quæst. Plat.

si hoc fas est dictu, comparari potest. Hic igitur, si est 39
excultus, et si ejus acies ita curata est, ut ne cæcaretur erroribus[12], fit perfecta mens, id est, absoluta ratio: quod est idem virtus. Et, si omne beatum est, cui nihil deest, et quod in suo genere expletum atque cumulatum est, idque virtutis est proprium: certe omnes virtutis compotes, beati sunt. Et hoc quidem mihi cum Bruto convenit, item cum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone.

XIV. Sed mihi videntur[1] etiam beatissimi. Quid 40
enim deest ad beate vivendum ei, qui confidit suis bonis? Aut, qui diffidit, beatus esse qui potest? At diffidat necesse est, qui bona dividit tripertito[2]. Qui enim poterit aut corporis firmitate, aut fortunæ stabilitate confidere[3]? Atqui, nisi stabili, et fixo, et per-

pag. 1001; Just. Lips. Physiol. Stoic. lib. III, Diss. 8; Lactant. Div. Inst. II, 12: « Ficto deus hominis corpore, spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui ». Ejusdem hæreseos insimulatus est Origenes, qua de re vide Petr. Dan. Huetium Orig. lib. II, quæst. VI, § 3; vid. et nos ad lib. I de Divin. cap. 49. Dav.

12. *Ut ne cæcaretur erroribus, fit perfecta mens.* Quum priores editiones omnes *cæcetur* habuerint, Davisiique codex optimus; Gebhardus cæco suorum codicum amore ductus *cæcaretur* interpolavit. Quid hoc homine facias, qui ne temporum quidem rationem servet; quorum regulæ in ipsis grammaticæ elementis docentur. Bentleius. — Jam Lambinus et Manutius *cæcetur* dederant, quos cum Bentleio Davis. Wolf. Schütz. et Neid. anteque hos Oliv. sequuti sunt.

XIV. 1. *Sed mihi videntur ... superioribus diebus essent explicata.* Non solum vero beatus est virtute præditus, sed adeo beatissimus, quod falsum esset, si dividantur bona tripertito, et omne bonum non consisteret in una honestate. Itaque illi, qui plura statuunt bona, numquam per virtutem solam vita beata frui possunt. Neid.

2. *Tripertito*, in bona animi, corporis, fortunæ.

3. *Aut corporis firmitate, aut fortunæ stabilitate confidere?* Sic omnes MSS. Lambinus tamen eumque sequutus Fabricius emendabant, « aut corporis firmitati, aut fortunæ stabilitati confidere »; nec aliter edidit Erasmus. Rectene an secus exempla declarabunt. Noster hujusce libri cap. 3: « Cujus ingenium et eloquentiam quum admiratus esset Leon, quæsivisse ex eo, qua maxime arte confideret ». Sic et alibi non raro Tullius. Hirtius Bell. Afric. cap. 1: « Tamen non deterrebatur, animoque et spe confidebat ». Idem cap. 79: « Adversarios non eorum virtute confidere, sed aquarum inopia fretos, despicere se intellexit ».

manente bono, beatus esse nemo potest. Quid ergo ejusmodi[4] istorum est? Ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur : qui glorianti cuidam mercatori[5], quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset, « Non sane optabilis quidem ista, inquit, rudentibus apta[6] fortuna ».

An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata completur[7], si id possit amitti? Nihil enim interarescere[8], nihil exstingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit. Nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non
41 poterit. Volumus enim, eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum[9]; non

Sic et Ovidius Metam. XIII, 240, aliique plurimi. Sed exemplorum satis est. Dav.

4. *Quid ergo ejusmodi.* Videntur hæc mihi melius esse interpuncta in antiqua editione : « Quid ergo? Ejusmodi istorum est (supple, *bonum*), ut mihi, etc. » Bunsr. — Vulgata interpunctio hunc præbet sensum : Quid ergo ejusmodi, stabile, fixum, permanens, isti habent, qui bona tripertito dividunt? Nihil prorsus. Ut mihi Laconis, etc. Anon. — Sed tum melius foret *istis est:* nos interpretamur : quid ergo istorum, scilicet, corporis, fortunæ omniumque externorum est ejusmodi, scilicet, firmum, stabile, permanens?

5. *Glorianti cuidam mercatori.* Paullo aliter Plutarchus Apophth. Lacon. pag. 237 : Πρὸς τὸν μακαρίζοντα Λάμπιν τὸν Αἰγινήτην, διότι ἐδόκει πλουσιώτερος εἶναι ναυκλήρια πολλὰ ἔχων, Λάκων εἶπεν, Οὐ προσέχω εὐδαιμονίᾳ ἐκ σχοινίων ἀπηρτημένῃ. Igitur si scopum tetigit Philosophus Chæronensis, non ipse Lampis de suis jactavit navibus; sed alius quidam virum felicem prædicabat, quod tam multas possideret onerarias. Dav.

6. *Rudentibus apta fortuna.* A rudentibus pendens; eadem significatio vocis *aptus* est infra § 70; cf. supra § 36. Neid.

7. *Quo vita beata completur.* Edd. vett. quas Oliv. sequitur « quod vita beata complectitur ». *Quod* in *quo* mutatum est librorum auctoritate; ita ut multi darent « quo v. b. complectitur », quod prorsus sensui et latinitati repugnans Bentleius mutavit in « quo .... completur », eumque ceteri sequuti sunt. Wopkens. Lectt. Tull. I, 19, magis probat *compleatur.*

8. *Interarescere.* Sic bene ed. Victorii : alii *arescere* vel *inveterascere.*

9. *Inexpugnabilem, septum atque munitum.* A reliquis libris recedunt Med. et Bak. qui dant *inexpugnabilem semper atque invictum.* Sic lib. III, cap. 7 : « Qui invictus sit, eum res humanas despicere ». Infra cap. 18 : « At nos virtutem semper liberam volumus, semper invictam ... ut nulla umquam re terreamur, semperque simus invicti ». Et lib. II de Fin. cap. 14 :

ut parvo metu præditus sit, sed ut nullo. Ut enim innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet : sic sine metu is habendus est, non qui parum metuit[10], sed qui omnino metu vacat. Quæ est enim alia fortitudo, nisi animi affectio quum in adeundo periculo, et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu? Atque hæc certe[11] non ita se habe- 42
rent, nisi omne bonum in una honestate consisteret. Qui autem illam maxime optatam et expetitam securitatem (securitatem autem nunc appello, vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata posita est) habere quisquam potest, cui aut adsit, aut adesse possit multitudo malorum? Qui autem poterit esse celsus, et erectus, et ea, quæ homini accidere possunt, omnia parva ducens, qualem sapientem esse volumus, nisi omnia sibi in se[12] posita censebit? An Lacedæmonii, Philippo minitante[13] per literas, se omnia, quæ conarentur,

« Altum quiddam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum ». Vide et lib. III, cap. 22, ac Senecam de Vita Beat. cap. 7. Adeo ut illa lectio tam rebus ipsis quam Ciceroniano loquendi modo probe conveniat, nec ullo modo spernenda videatur. Dav.

10. *Non qui parum metuit, sed qui omnino metu vacat.* Vulgo « parva metuit »; unde rescripsit Ursinus, « non qui parva non metuit ». Ea quidem conjectura receptæ lectioni præferenda, qua nihil fingi potest absurdius. At nos ipsam Ciceronis manum reduximus. Scriptura certe, quam damus, oppositionem recte servat, eamque præstant Fabric. Cantab. et Balliol. Dav. — Frustra quoque Lamb. rescripsit « qui omni metu vacat » nam alteram lectionem firmant MSS, quorum fides est sequenda, nisi latinitas aut res ipsa facere cogant secessionem.

11. *Atque hæc certe.* Alii exhibent *Atqui h. c.* Nain.

12. *Nisi omnia sibi in se posita censebit?* Cl. Bentleio placet « nisi omnia sua in se posita censebit »; quæ quidem elegans est conjectura. Mediol. tamen et Eliens. habent « nisi omnia bona sibi in se posita censebit ». Ea sane lectio, si modo non ab interpolatore sit, satis commoda videtur. Davis.

13. *Lacedæmonii, Philippo minitante.* Vulgo *minitanti*. Sed recte celeberrimus Bentleius. Hanc autem historiam aliter refert Stobæus Serm. VII, pag. 90 : Φίλιππος, inquit, ἦλθεν ἐπὶ Λακεδαίμονα, καὶ προστρατοπεδεύσας ἔπεμψεν ἀπειλῶν πολλὰ καὶ χαλεπά, εἰ μὴ ποιῶσι τὰ προστασσόμενα· τῶν δὲ Λακεδαιμονίων τις ἀκούσας τῶν

prohibiturum, quæsiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus : vir is, quem quærimus, non multo facilius tali animo reperietur, quam civitas universa? Quid? ad hanc fortitudinem, de qua loquimur, temperantia adjuncta, quæ sit moderatrix omnium commotionum, quid potest ad beate vivendum deesse ei, quem fortitudo ab ægritudine et a metu vindicet; temperantia tum a libidine avocet, tum insolenti alacritate gestire non sinat? Hæc efficere virtutem ostenderem, nisi superioribus diebus essent explicata.

43 XV. Atque quum perturbationes animi [1], miseram; sedationes autem, vitam efficiant beatam; duplexque ratio [2] perturbationis sit, quod ægritudo et metus, in malis opinatis, in bonorum autem errore, lætitia gestiens libidoque versetur; quum hæc [3] omnia cum

ἀπειλῶν, χάριν αὐτῷ ἔφη εἰδέναι, ὅτι οὐ κωλύει, ὃ ἐπὶ τοῖς μαχομένοις ἐστὶν, ἀποθανεῖν. Aliter etiam Plutarchus, qui Lacon. Apophthegm. pag. 235, rem sic exponit : Φίλιππος ὅτε ἐνέβαλεν εἰς τὴν Λακωνικὴν, καὶ ἐδόκουν ἅπαντες ἀπολεῖσθαι, εἶπε πρός τινα τῶν Σπαρτιατῶν, Τί νῦν ποιήσετε, ὦ Λάκωνες; Τί γὰρ, ἔφη, ἄλλο ἢ ἀνδρείως ἀποθανούμεθα; Ab his, non minus quam a Nostro, diversus abit Valerius Maximus, lib. VI, cap. IV, 5, ext. « Vox, qua legati Lacedæmoniorum apud patrem ejus (Alexandri Philippum) miseram fortunæ suæ conditionem testati sunt generosior quam optabilior. Intolerabilibus enim oneribus civitatem eorum implicanti, si quid morte gravius imperare perseveraret, mortem se prælaturos responderunt ». Omnium venustissima quidem est Ciceronis narratio. DAV.

XV. 1. *Atque quum perturbationes animi, miseram.* Davis. scribit *miseriam*, notatque : Vulgo, « atqui quum perturbationes animi miseram ». Recte vero Cl. Bentleius : nam primam vocem sic exhibet Petrens. ultimam vero Reg. Pithœan. et Med. — Neid. cum Dav. dedit *miseriam :* sed adjectivus nobis melior videtur, ut opponatur seq. *beatam*. — Cantabr. « at quæcumque perturb. an. » Petrens. « atque cumque pert. » unde Davisius in prima ed. conjiciebat « at quum quæque pert. an. » — *Atque quum . . . gravius aut grandius.* Homo liber ab animi perturbationibus beatus est; jam autem is status, quo quis liber ab animi perturbationibus dicitur, nullus est alius quam virtus, ergo virtus beatam efficit vitam. E contrario, qui abundat omnibus bonis externis, valitudine, divitiis, honoribus, etc. simul autem caret virtute, is miserrimus est. Virtus enim solum bonum. NEID.

2 *Duplexque ratio.* Cf. de hac perturbationum divisione librum antecedentem. NEID.

3. *Libidoque versetur; quum hæc*

consilio et ratione pugnent; his tu tam gravibus concitationibus, tamque ipsis inter se dissentientibus atque distractis, quem vacuum, solutum, liberum videris, hunc dubitabis beatum dicere? Atqui sapiens semper ita affectus est. Semper igitur sapiens beatus est.

Atque etiam omne bonum[4], lætabile est; quod au-
tem lætabile, id prædicandum, et præ se ferendum;
quod tale autem, id etiam gloriosum. Si vero glorio-
sum, certe laudabile; quod autem laudabile[5], profecto
etiam honestum; quod bonum igitur, id honestum. At 44
quæ isti[6] bona numerant, ne ipsi quidem honesta di-
cunt. Solum igitur bonum, quod honestum. Ex quo
efficitur, honestate una vitam contineri beatam. Non
sunt igitur ea bona dicenda, nec habenda, quibus
abundantem licet esse miserrimum. An dubitas[7], quin 45
præstans[8] valitudine, viribus, forma, acerrimis integer-

omnia. Davisius scribit *versentur*. Vulgo, inquit, « versetur; quum omnia ». At vero pronomen orationi prorsus est necessarium. Nos igitur MSS Vatic. paruimus et veteribus editis. Cl. autem Bentleius legit, « lætitia gestiens libidoque versentur, quæ omnia, etc. » — Schütz. et Neid. retinuerunt *versetur* et *hæc*.

4. *Atque etiam omne bonum*. Vulgo *atqui*. Lectionem quam damus efflagitat sententia Eam exhibent Reg. Pithœan. et Petrens. nec aliter Manutius et Lambinus ediderunt. Dav.

5. *Quod autem laudabile*. Davis. Schütz. et Neid. « quod laudabile autem ».

6. *Isti*. Peripatetici.

7. *An dubitas, quin præstans valitudine . . . dubitabisne eum miserum dicere*. Ἀνακόλουθον est, ut infra cap. 19: « Similemne putas C. Lælii unum consulatum fuisse et eum quidem cum repulsa . . . sed tamen utrum malles, te, si potestas esset, semel, ut Lælium, consulem, an, ut Cinnam, quater ». Quum verborum ductus paullo est prolixior, hæc apud Nostrum frequenter occurrunt, uti diximus ad lib. II Tusc. Disp. cap. 1, et ad lib. III, cap. 8. Euripides Phœniss. vs. 290: Μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος Μαντεῖα σεμνὰ, Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάρας Ἐν τῷδ' ἐπεστράτευσαν Ἀργεῖοι πόλιν. Scholiastes: Σολοικοφανὲς, inquit, τοῦτό ἐστιν· ἔδει γὰρ εἰπεῖν, μέλλοντος πέμπειν με Οἰδίποδος, ἐν τῷδ' ἐστράτευσαν Ἀργεῖοι. Vide et Hippol. vs. 23; Polyænus Strateg. lib. I, cap. 18: Οἱ πολέμιοι τὸ λόγιον εἰδότες, κοινὸν αὐτοῖς ἦν παράγγελμα ἐν ταῖς μάχαις, ἀπέχεσθαι Κόδρου. Ælianus etiam et Pausanias eodem schemate non raro sunt usi. Dav.

8. *Præstans . . . pernicitatem*. Laudat Nonius in *pernicitatem*. Dav.

rimisque sensibus (adde etiam, si libet, pernicitatem, et velocitatem; da divitias, honores, imperia, opes, gloriam), si fuerit is, qui hæc habet, injustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atque nullo; dubitabisne eum miserum dicere? Qualia igitur ista bona sunt, quæ qui habeat, miserrimus esse possit? Videamus, ne, ut acervus ex sui generis granis, sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat. Quod si ita est, ex bonis, quæ sola honesta sunt, efficiendus est beatus[9]. Ea mixta ex dissimilibus si erunt, honestum ex his effici nihil poterit. Quo detracto, quid poterit beatum intelligi?

Etenim quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est; quod autem expetendum, id certe approbandum; quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum. Ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est. Bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur, ut, quod sit
46 honestum, id sit solum bonum[10]. Quod ni ita tenebimus, multa erunt, quæ nobis bona dicenda sint.

XVI. Omitto divitias: quas quum quivis, quamvis indignus, habere possit, in bonis non numero. Quod enim est bonum, id non quivis habere potest. Omitto nobilitatem, famamque popularem, stultorum improborumque consensu excitatam. Hæc, quæ sunt minima[1], tamen bona dicantur necesse est: candiduli

9. *Efficiendus est beatus.* Sic Ern. e cod. Guelf. reposuit: alii habent « efficiendum est beatum », qua in lect. *beatum* valet *beatitudo*, græco more. Atque hanc lect. tueri videntur sequentia « quid poterit beatum intelligi? »

10. *Id sit solum bonum.* Similem soriten vides Fin. III, 8, 27.

XVI. 1. *Quæ sunt minima.* Ego suspicor hic legendum esse *minime;* nam Cicero omnia hæc e bonorum numero plane removenda esse censet. Nᴇɪᴍ. — Sed melius *minima:* nam Cicero vult: hæc, quæ longe adhuc minora sunt quam divitiæ, nobilitas, fama popularis, tamen, si ista in bonis numerantur, æqualiter bonis adscribenda sunt: *hæc*, scilicet, pertinet ad sequentia, *candiduli dentes*, etc.

dentes, venusti oculi, color suavis, et ea, quæ Euryclea[2] laudat Ulyssi pedes abluens,

Lenitudo orationis[3], mollitudo corporis.

Ea si bona ducemus, quid erit in philosophi[4] gravi-
tate, quam in vulgi opinione, stultorumque turba,
quod dicatur aut gravius, aut grandius? At enim[5] ea- 47
dem Stoici præcipua, vel producta dicunt, quæ bona
isti. Dicunt illi quidem; sed his vitam beatam com-
pleri negant: hi autem sine iis esse nullam putant;
aut, si sit beata, beatissimam certe negant. Nos autem

2. *Euryclea laudat.* Sic ex edd. Junt. Ald. Ernestius, quem Oliv. Schütz. et Neid. sequuntur. Davisius scribit *Anticlea*, observatque: Quum Anticlea fuerit Ulyssis mater, ut inter alios docebunt Servius ad Æn. VI, 529, et scholiastes ad Callimachi Hymn. in Dian. vs. 211; Euryclea vero nutrix, quæ apud Homerum Odyss. T, 392 seqq. Ulyssi pedes abluit; nonnulli libris adversantibus *Eurycleam* inculcant; alii μνημονικὸν hic ἁμάρτημα suspicantur. His equidem adsentior; nam nominum similitudo facilem lapsui sternit viam. In Pacuvii certe Niptris, unde versus sequens sumitur, nullus Anticleæ potuit esse locus; quippe ea diu prius mortua fuit, quam res, quæ fabulæ ortum dedit, evenerat. Ulyssi certe inferos visenti Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ μητρὸς κατατεθνηυίης Αὐτολύκου θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἀντίκλεια. Versus Homerici sunt ex Odyss. Λ, 84.

3. *Lenitudo orationis.* Adducit hæc Nonius in *lenitudo*. Ea vox Ciceroni reddenda lib. I Offic. cap. 25: « In liberis, inquit, populis et in juris æquabilitate exercenda etiam est facilitas et altitudo animi quæ dicitur ». Rescribatur *lenitudo animi*, prout diserte repræsentant Eliens. et Lincoln. nam *altitudo animi* plane nihil ad rem facit. Davis.

4. *Quid erit in philosophi.* Sens. Si omnia illa in superioribus recensita bona essent, philosophus nulla re ceteris de vulgo hominibus præstaret. Naru.

5. *At enim . . . Stoici præcipua, vel producta dicunt.* Laudat Ursinus codicem, qui totum hunc locum sic exhibet: « At enim eadem Stoici præcipua vel producta dicunt, quæ bona isti. Illi quidem sine iis vitam beatam compleri, hi autem sine iis esse nullam putant ». Sed longe melior est reliquorum librorum lectio. Ceterum quæ Peripatetici bona corporis et fortunæ vocant, ea Stoici nuncupant προηγμένα; definiunt autem « indifferentia cum æstimatione mediocri ». Vide Ciceronem de Fin. III, 16. Sextus Empiricus Pyrrhon. Hyp. lib. III, cap. 24: Οἱ μὲν Στωϊκοὶ τῶν ἀδιαφόρων φασὶ τὰ μὲν προηγμένα εἶναι, τὰ δὲ ἀποπροηγμένα, τὰ δὲ οὔτε προηγμένα οὔτε ἀποπροηγμένα· προηγμένα μὲν τὰ ἱκανὴν ἀξίαν ἔχοντα, ὡς ὑγίειαν, πλοῦτον, etc. Sic etiam contra Mathem. lib. XI, § 62. De his fuse disserit Lipsius Manud. lib. II, Diss. 23. Dav. — Paullo

volumus beatissimam; idque nobis Socratica illa conclusione confirmatur. Sic enim princeps ille philosophiæ disserebat : « Qualis cujusque animi[6] affectus esset, talem esse hominem; qualis autem ipse homo esset, talem ejus esse orationem; orationi autem facta similia, factis vitam. Affectus autem animi in bono viro laudabilis : et vita igitur laudabilis boni viri; et honesta ergo[7], quoniam laudabilis. Ex quibus, bonorum beatam vitam esse, concluditur ».

48 Etenim, proh deorum[8] atque hominum fidem! parumne cognitum est superioribus nostris disputatio-

inf. in vv. *Atenim...concluditur.* Respondet Cic. objectioni, quam quis forsan facturus esset dicens : Stoici tamen omnia illa, quæ tu ex bonorum numero tollenda censes, *præcipua* (προηγμένα, digna quæ deligerentur) vocant. Hoc quidem, inquit Cicero, verum; sed Stoici tamen negant, ex his vitam beatam compleri, i. e. hæc bona ad vitam beatam conficiendam esse partes necessarias, et esse quasi conditionem, sine qua vita beata esse non possit. Nein.

6. *Qualis cujusque animi affectus.* Respicere videtur ad Platonis de Rep. lib. III, pag. 438, ubi Socrates Τί δ' ὁ τρόπος τῆς λέξεως καὶ ὁ λόγος, οὐ τῷ τῆς ψυχῆς ἤθει ἕπεται ... τῇ δὲ λέξει τἆλλα; Apud auctores passim feruntur hujusmodi dicta, quorum nonnulla corrasit Æg. Menagius ad Laertii I, 58. Nos, iis omissis, alia dabimus. Demophilus in sent. Pythag. pag. 620: Οἷον γὰρ τὸ ἦθος ἑκάστου, τοιόσδε ὁ βίος καὶ αἱ πράξεις· ψυχὴ γάρ ἐστι ταμιεῖον, ἀγαθὴ μὲν ἀγαθοῦ, κακὴ δὲ κακοῦ. Clemens Alexandrinus Protr. pag. 95 : Οἷαι μὲν αἱ βουλαί, τοῖοι καὶ οἱ λόγοι· ὁποῖοι δὲ οἱ λόγοι, τοιαίδε καὶ αἱ πράξεις· καὶ ὁποῖα τὰ ἔργα, τοιοῦτος ὁ βίος. Omnino fallitur V. C. Joan. Potterus, qui parum felici conatu versus Iambicos, eosque male natos, hinc extudit. Quintilianus Inst. Orat. lib. XI, cap. 1 : « Profert enim mores plerumque oratio et animi secreta detegit; nec sine causa Græci prodiderunt, ut vivat (lege *vivit*), quemque etiam dicere ». Seneca Epist. CXIV : « Apud Græcos in proverbium cessit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita ». Vide sis et Aristid. Orat. Sacr. I, pag. 499; Eusebium H. E. lib. VI, cap. 3, et Joan. Wowerium Polym. cap. XIX, pag. 224. Dav.

7. *Et honesta ergo, quoniam laudabilis. Ex quibus.* Vulgo, « et honesta. Ergo, quoniam laudabilis, ex quibus, etc. » Se Victorii distinctionem sequutum testatur Gebhardus, et ita præclare sibi suo munere functus videtur, licet hac ratione sensus omnino nullus sit factus. Nos igitur interpunctionem commodam revocavimus, eamque præstat Med. Davis.

8. *Proh deorum atque hominum fidem!* Dicemus « proh deum fidem », et « proh deorum » latine et eleganter. Alterum contractum est et imminutum; alterum plenum et integrum. Auctor est M. Tullius in Oratore, ubi ait hoc quoque : « atque etiam a qui-

nibus, an delectationis, et otii consumendi causa loquuti sumus, sapientem ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, semper vacare? semper in animo ejus esse placidissimam pacem? Vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate ulla[9], sine libidine, nonne beatus? At semper sapiens talis; semper igitur beatus. Jam vero qui potest vir bonus non ad id, quod laudabile sit, omnia referre, quæ agit, quæque sentit? Refert autem omnia ad beate vivendum. Beata igitur vita laudabilis: nec quidquam sine virtute laudabile. Beata igitur vita virtute conficitur.

XVII. Atque hoc sic etiam concluditur. Nec in 49
misera vita[1] quidquam est prædicabile, aut gloriandum; nec in ea, quæ nec misera sit, nec beata. Et est in aliqua vita prædicabile aliquid, et gloriandum, ac præ se ferendum: ut Epaminondas,

busdam sero jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt: nam *proh deum atque hominum fidem*, pro *deorum*, aiunt; ita, credo, hoc illi nesciebant, an dabat hanc licentiam consuetudo ». Quintil. Inst. I, testis est *fidem deum* pro *deorum* dicendum esse; ut decori et consuetudini serviamus. Baroald.

9. *Sine alacritate ulla.* Bentleius, quia vox *alacritas* per se ipsa vitium non indicat, sed haud secus atque v. *lætitia* semper adjuncto epitheto quodam dehonestatur, quum vult Noster significare eam fines suos excedere (cf. Tusc. IV, cap. 4, « lætitia gestiens et libido »; cap. 6, « lætitia gestiens vel nimia »; cap. 7, « profusa hilaritas; cap. 16, « inanis alacritas »; cap. 33, « exsultans gestiensque lætitia »; cap. 14, « insolens alacritas »; cap. 17, « nec alacritate futili gestiens »; V, cap. 6, « futiles lætitiæ et exsultantes »); ex his omnibus conjecit « sine alacritate futili ». Davisius cogitarat « sine alacritate vana ». Sed neutro opus est quum vulgatam codices et Nonius in v. *alacritatem* defendant. — Sequuntur adhuc conclusiunculæ quædam ad probandum enuntiatum.

XVII. 1. *Nec in misera vita.* Series cogitatorum in hoc sorite breviter hæc est: Nec in misera vita, nec in ea, quæ nec misera nec beata sit, aliquid prædicari et laudari potest: ergo sola vita beata glorianda, prædicanda et laudanda videtur. Quartum non datur. Jam autem ea vita beata, quæ laudatur, honesta sit necesse est, quod nisi esset, aliud quoddam esset melius vita beata, id melius vero esset τὸ honestum; hinc sequeretur, melius aliquid esse vita beata, quod contradicit superioribus. Nath.

Consiliis nostris[2] laus est attonsa Laconum;

ut Africanus,

> A sole exoriente, supra Mæoti' paludes[3],
> Nemo est qui factis me æquiperare queat[4].

50 Quod si beata vita[5], glorianda et prædicanda, et præ se ferenda est: nihil est enim aliud, quod prædicandum, et præ se ferendum sit. Quibus positis, intelligis quid sequatur. Et quidem, nisi ea vita beata est, quæ est eadem honesta: sit aliud necesse est melius vita beata. Quod erit enim honestum, certe fatebuntur esse melius. Ita erit beata vita melius aliquid; quo quid potest dici perversius? Quid? quum fatentur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nonne fatendum est, eamdem vim in virtute esse[6] ad beatam vitam? Contrariorum enim[7] contra-

2. *Consiliis nostris*. Græce sic legitur apud Plutarchum, tom. II, pag. 1098: Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν. Integrum epigramma fuit hujusmodi, Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν, Μεσσήνη δ' ἱερὰ τέκνα χρόνῳ δέχεται, Θῆβαι δ' ὅπλοισιν μεγάλη πόλις ἐστεφάνωται, Αὐτόνομος δ' Ἑλλὰς πᾶσ' ἐν ἐλευθερίῃ. Id exhibet Pausanias in Bœot. pag. 565. Dav.

3. *Supra Mæoti' paludes*. Ita meliora Cic. exemplaria habere fatetur Hier. Columna ad Ennii fragm. pag. 163. Quum tamen in aliis sit *Mæotidas paludes*, legendum conjicit *Mæotido' paludes*. Cl. Mamertinus Paneg. II, 16, versum sic laudat, « A sole exoriente Mæotis adusque paludes ». Quin et apud Ciceronem Balliol. dat « a sole exoriente Meondas usque paludes », ut forsan utrobique scribendum sit: « A sole exoriente Mæotidas usque paludes ». Similiter prima syllaba vocabuli *Mæotis* corripitur apud Ovidium Trist. lib. III, El. XII, 2. Dav.

4. *Qui factis me æquiperare queat*. *Me* trium MSS suffragiis male ablegaverat Janus Gebhardus. Quum vero pronomen illud flagitaret sensus, reducendum putavi, licet Gebhardianis accedant nostri codices. Dav.

5. *Quod si beata vita, glorianda et præd.* Davisius post Lamb. et Bentleium scribit « quod si est; beata vita glor. et prædicanda et præ se f. est ». Idemque Schutz. et Neid. exhibent. Ernesti scribit « quod si est beata vita glorianda et pr. » Buherius conjicit: « quod si est, beata virtus glorianda et pr. »

6. *Vim in virtute esse*. Bene quidem latine; quum tamen Pall. tres, Reg. Pithœan. et Cantabr. exhibeant « vim virtutem esse »; ut opinor Cicero scripsit « vim virtuti inesse », vel saltem « vim in virtute inesse ». Dav.

7. *Contrariorum enim*. Sicuti enim

ria sunt consequentia. Quo loco quæro, quam vim habeat[8] libra illa Critolai[9]: qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis, et externa, tantum propendere illam bonorum animi lancem[10] putet, ut terram et maria deprimat[11]. 51

XVIII. Quid ergo aut hunc[1] prohibet, aut etiam Xenocratem illum gravissimum philosophorum exaggerantem tantopere virtutem[2], extenuantem cetera et abjicientem, in virtute non beatam modo vitam, sed etiam beatissimam ponere? quod quidem nisi fit[3], virtutum interitus consequetur[4]. Nam in quem cadit 52
ægritudo, in eumdem metum cadere necesse est: est enim metus futuræ ægritudinis sollicita exspectatio. In

in vitio misera vita esse statuitur, ita etiam dici potest, virtutem efficere vitam beatam. NEID.

8. *Quam vim habeat.* Quam bene illustret rem illa similitudo a libra deprompta. NEID.

9. *Libra illa Critolai.* Cf. de Fin. V, 30. Critolaus tertius erat, qui cum Diogene et Carneade ab Atheniensibus Romam missus fuit anno U. C. 597; cf. supra lib. IV, cap. 3.

10. *Propendere illam bonorum animi lancem.* Olim erat « illam boni lancem », quam lect. stare non posse vidit Bentleius, quia in utraque lance bona erant imposita. Ideo Bentleius jubet scribi *illam animi lancem*, quam lect. Davisius adoptavit, aut simpliciter *illam lancem*, ceteris deletis, voce *illam*, ut par est, ad eam lancem quam priorem nominavit, relata. Secundum hanc alteram emendationem Wolf. Schütz. et Neid. vv. *bonorum animi* uncis incluserunt. — Buherius legi vult illam *honesti lancem*, pro quo ex compendio ab imperitia librariis *boni* editum est.

11. *Ut terram et maria deprimat.* In bilance leviora non *deprimuntur*, sed attolluntur. Est igitur ἄκυρον. Vide quæ diximus ad Ciceronis de Fin. V, 30. DAVIS.

XVIII. 1. *Aut hunc*, Critolaum.

2. *Exaggerantem tantopere virtutem.* In libris, ut videtur, περὶ ἀρετῆς, quos memorat Laertius, IV, 12. Ejus mentem sic exponit Clemens Alexandrinus Strom. II, pag. 500: Ξενοκράτης ὁ Χαλκηδόνιος τὴν εὐδαιμονίαν ἀποδίδωσι κτῆσιν τῆς οἰκείας ἀρετῆς καὶ τῆς ὑπηρετικῆς αὐτῇ δυνάμεως· εἶτα, ὡς μὲν ἐν ᾧ γίνεται, φαίνεται λέγων τὴν ψυχήν· ὡς δ' ὑφ' ὧν, τὰς ἀρετάς· ὡς δ' ἐξ ὧν, ὡς μερῶν, τὰς καλὰς πράξεις, καὶ τὰς σπουδαίας ἕξεις τε καὶ διαθέσεις καὶ κινήσεις καὶ σχέσεις· ὡς τούτων οὐκ ἄνευ τὰ σωματικὰ καὶ τὰ ἐκτός. Adi sis et hujus libri cap. 31. DAVIS.

3. *Quod quidem nisi fit.* Vulgo *sit*. Sed congruentior videtur illa lectio, quam veteres quosdam codices exhibere Lambinus testatur. DAV.

4. *Virtutum interitus consequetur.* Cl. Bentleius legit *virtutem*, quod nobis elegantia carere videtur.

quem autem metus, in eumdem formido, timiditas, pavor, ignavia[5]. Ergo[6] ut idem vincatur interdum, nec putet ad se præceptum illud Atrei[7] pertinere:

Proinde ita parent se in vita, ut vinci nesciant[8].

Hic autem vincetur, ut dixi: nec modo vincetur, sed etiam serviet. At nos virtutem[9] semper liberam volumus, semper invictam. Quæ nisi sunt, sublata virtus
53 est. Atqui[10] si in virtute satis est præsidii ad bene vivendum, satis est etiam ad beate. Satis est enim certe in virtute, ut fortiter vivamus. Si fortiter, etiam ut magno animo, et quidem ut nulla re umquam terreamur, semperque simus invicti. Sequitur, ut nihil pœniteat, nihil desit, nihil obstet. Ergo omnia profluenter, absolute, prospere. Igitur beate. Satis autem ad fortiter vivendum virtus potest: satis ergo etiam ad
54 beate. Etenim ut stultitia, etsi adepta est, quod concupivit, numquam se tamen satis consequutam putat: sic sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam umquam sui pœnitet.

XIX. Similemne putas[1] C. Lælii unum[2] consulatum

5. *Ignavia.* In Norvic. perperam *ignominia;* ab aliorum enim judiciis pendet ignominia, nec perpetua sit metus comes: timenti vero semper adest ignavia. Dav.

6. *Ergo ut idem vincatur.* Ergo sequitur, ut idem vincatur, etc.

7. *Illud Atrei.* Pro *Atrei* in MS scriptum est *antiquum*. Ursin.

8. *Proinde ... nesciant.* Locus e tragœdia Attii, Atreus inscripta. Neid.

9. *At nos virtutem.* Victorius edidit *nos autem virtutem*. Reg. Pithœan. et Pall. tres habent « at nos autem virtutem », ut in iis utraque lectio conjungatur, et hæc vel illa pro libitu recipi queat. Certe Med. Balliol. Petrens. aliique codices vulgatam tenent. Dav.

10. *Atqui.* Bentl. Davis. Schütz. et Neid. *Atque.*

XIX. 1. *Similemne putas ... ut ea exsistat ex honestate.* E vita quorumdam et vitiosorum et virtute præditorum hominum eorumque comparatione ostendit Cicero, vitium miseram, virtutem contra beatam vitam reddere. Neid. — Bentleius pro *similemne* legit *similene* sequente Davisio.

2. *Unum consulatum.* C. Lælius cognomine Sapiens amicus ille Scipionis Africani anno 611 consulatum petens, repulsam tulit, ejusque loco Q. Pompeius consul factus est. Anno sequenti 612 consulatum cum Q. Ser-

fuisse, et eum quidem cum repulsa, cum L. Cinnæ quatuor[3] (si[4] quum sapiens et bonus vir, qualis ille fuit, suffragiis præteritur, non populus a bono consule potius, quam ille a malo[5] populo repulsam fert[6]); sed tamen utrum malles, te, si potestas esset, semel, ut Lælium, consulem, an, ut Cinnam[7], quater? Non dubito, tu quid responsurus sis: itaque video, cui committam. Non quemvis hoc idem interrogarem: responderet enim alius fortasse, se non modo quatuor consulatus uni anteponere, sed unum diem Cinnæ multorum et clarorum virorum totis ætatibus. Lælius, si digito quem attigisset[8], pœnas dedisset. At Cinna collegæ sui, consulis Cn. Octavii[9], præcidi caput jus-

vilio Cæpione obtinuit, et quom superiori anno repulsam tulisset, Cicero eum *cum repulsa* consulem fuisse dicit. Nein.

3. *Cum L. Cinnæ quatuor.* Hæ voces in Norv. videntur; Frob. vero, « L. Cinnæ quatuor sine repulsa »; at in reliquis codd. nulla vv. *cum L. Cinnæ quatuor* vestigia; nec dubium videtur, quin id immiserint librarii, ut ἀνακόλουθον quodam modo vitaretur. Sed ultra Tullium sapere non debebant, cui frequens est illa figura. Vide nos ad cap. 15. Dav. — Eas tamen voces Corradus et Ern. in textum intulerunt, Oliv. Schütz et Neid. eas expellentibus.

4. *Si quum sapiens.* Ita Reg. Pith. Vatic. et Pal. quart. quos suadente Bentl. Davis. et ceteri post eum sequuntur. Vulgo erat *sic.* Priores edd. aliæ *sed*, aliæ *etsi*, teste Bentleio.

5. *A malo populo.* Vulgo *bono.* Ascensius, Erasmus, et alii dederunt *a vano populo.* Hadr. vero Relandi codex *a malo populo*, quem cum Cl. Bentleio sequor. Davis. — Schütz. Neid. cum Davisio faciunt, Olivetus cum Erasmo *a vano populo* dedit.

6. *Repulsam fert.* Davis. *rep. refert.* Male in MSS quibusdam post hæc additur, *suffragiis præteritur.*

7. *An, ut Cinnam, quater? Non dubito.* Vulgo orationem sic continuant, « an ut Cinnam quater, non dubito, tu quid responsurus sis ». Nos sensui consulentes, commodam sequimur distinctionem, quam præbent Reg. Pithœan. Med. editique nonnulli. Dav. — *Quater.* Cornel. Cinna enim consul fuit annis 665, 666, 667, 668. Nein.

8. *Si digito quem attigisset.* Si vel minima affecisset injuria. M. Cato in oratione quæ inscribitur pro Dote, ita scriptum reliquit: « In adulterio uxorem tuam si prendisses, sine judicio impune necares: illa te, si adulterares, digito non auderet attingere, neque jus est ». Baroalo.

9. *Consulis Cn. Octavii.* Primam vocem, sicut arbitror, immerito delendam statuunt Manutius et Lambinus. Ita certe loquuntur Livius, XXXI, 14, et Velleius Paterculus, lib. II, cap. xxii, 2. Dav.

sit, P. Crassi, L. Cæsaris, nobilissimorum hominum, quorum virtus fuerat domi militiæque cognita; M. Antonii, omnium eloquentissimi [10], quos ego audierim; C. Cæsaris, in quo mihi videtur fuisse specimen humanitatis, salis, suavitatis, leporis. Beatusne igitur, quia [11] hos interfecit? Mihi contra non solum eo videtur miser, quod ea fecit, sed etiam quod ita se gessit, ut ea facere ei liceret. Etsi peccare nemini licet; sed sermonis errore labimur : id enim licere dicimus, quod cui [12] conceditur.
56 Utrum tandem beatior C. Marius tum, quum Cimbricæ victoriæ gloriam [13] cum collega Catulo communicavit, pæne altero Lælio (nam hunc illi [14] duco simillimum), an quum civili bello victor, iratus, necessariis Catuli deprecantibus, non semel respondit, sed sæpe, Moriatur [15]? In quo beatior ille, qui huic nefariæ voci paruit, quam is, qui tam scelerate imperavit. Nam quum accipere, quam facere præstat injuriam, tum morti jam ipsi adven-

10. *M. Antonii, omnium eloquentissimi.* Quum Cinnæ Noster adscribat Antonii cædem, vir ille disertissimus jussu Marii confossus est, si veri sunt Plutarchus, tom. I, pag. 431; Appianus Bell. Civil. lib. I, pag. 662, et Valer. Maxim. lib. IX, cap. 11, 2. At Cinnam Mariumque facinoris hujus auctores facit Velleius Paterculus, II, 22. Dav. — P. Licinius Crassus consul fuerat ann. U. C. 653, L. Julius Cæsar anno 663, qui frater erat C. Julii Cæsaris postea nominati, et pater Julii Cæsaris dictatoris.

11. *Quia hos interfecit.* Vulgo *qui hos.* Reg. et Pithœan. « quos interfecit ». At Med. et Ballinl. « quis hos interfecit », idque verum. Dav. — Sch. et Neid cum Oliveto retinuerunt *qui hos int.*

12. *Quod cui conceditur.* Sic Ern. edidit e conj. Davis. Schütz. *quod cuique conced.*

13. *Victoriæ gloriam.* Noluit enim accipere triumphum, nisi Catulus ejus particeps factus esset. Nein.

14. *Hunc illi duco simillimum.* Vulgo *huic illum.* Sed lectionem quam recepi priores dederant Manutius et Lambinus, eoque ducunt Reg. et Pithœan. dant enim *huic illi.* Dav. — Cum Davisio Ern. Oliv. Schütz. et Neid. faciunt.

15. *Non semel respondit, sed sæpe, Moriatur?* Plutarchus in Mario, pag. 431 : Κάτλος δὲ Λουτάτιος, Μαρίῳ συνάρξας καὶ συνθριαμβεύσας ἀπὸ Κίμβρων, ἐπεὶ πρὸς τοὺς δεομένους ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ παραιτουμένους ὁ Μάριος τοσοῦτον μόνον εἶπεν, ΑΠΟΘΑΝΕΙΝ ΔΕΙ, καταχλεισάμενος εἰς οἴκημα καὶ πολλοὺς ἄνθρακας ἐκζωπυρήσας, ἀπε-

tanti paullum procedere obviam, quod fecit Catulus[16], quam, quod Marius, talis viri interitu sex suos obruere consulatus[17], et contaminare extremum tempus ætatis.

XX. Duodequadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius[1], quum v et xx natus annos dominatum occupavisset. Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus præditam servitute oppressam tenuit civitatem? Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse ejus in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium, eumdem tamen maleficum natura et injustum: ex quo omnibus, bene veritatem intuentibus, videri necesse est miserrimum. Ea enim ipsa, quæ concupierat, ne tum quidem, quum omnia se posse censebat, consequebatur. 57

Qui quum esset bonis parentibus atque honesto loco natus (etsi id quidem alius alio modo tradidit[2]), abundaretque æqualium[3] familiaritatibus, et consuetudine propinquorum, haberet etiam, more Græciæ, 58

πνίγη. Flecti non potuit Marius quod Catulos illius exsulis vehemens fuisset insectator, ut docet Appianus Bell. Civil. lib. I, pag. 663. Dav. — *Accipere quam facere præstat injuriam, tum morti*, etc. Ex decreto Socratis, qui apud Platonem in Gorgia, pag. 290, ait, Εἰ ἀναγκαῖον εἴη ἀδικεῖν ἢ ἀδικεῖσθαι, ἑλοίμην ἂν μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν. Vide Senecam de Const. Sap. cap. 16, et A. Gellium N. A. lib. XII, cap. 9. Dav.

16. *Quod fecit Catulus.* Catulus enim, accenso in camera igne, se ipse suffocabat. Neid.

17. *Sex suos ... consulatus.* 1° Ann. 645; 2° 648; 3° 649; 4° 650; 5° 651; 6° 652. Neid.

XX. 1. *Dionysius.* Anno ante Christum natum 405 Dionysius potitus est Syracusis, quæ urbs antea libera erat, suisque legibus regebatur.

2. *Etsi id quidem alius alio modo tradidit.* In his est Helladius Besantinous, qui apud Phot. Cod. CCLXXIX, tradit, ὅτι ὀνηλάτου μὲν υἱὸς Διονύσιος ἦν, ὁ τῆς Σικελίας ἄρξας ἔτη μ', δυοῖν ἀποδέοντα. Diodorus Siculus lib. XIII, pag. 26: Διονύσιος μὲν οὖν, ἐκ γραμματέως καὶ τοῦ τυχόντος ἰδιώτου, τῆς μεγίστης πόλεως τῶν Ἑλληνίδων ἐγενήθη τύραννος. Non dissimilia sunt, quæ refert Isocrates, ut olim monuit Pet. Victorius Var. Lect. lib. XI, cap. 13. Davis.

3. *Abundaretque æqualium.* Sic Ern. At Davis. Oliv. Schutz. et Neid. *abundaretque et æqualium.*

quosdam adolescentes amore conjunctos : credebat se eorum nemini [4]; sed his, quos ex familiis locupletum servos [5] delegerat, quibus nomen servitntis ipse detraxerat, et quibusdam convenis et feris [6] barbaris corporis custodiam committebat. Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modo ipse se incluserat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Ita sordido ancillarique artificio [7] regiæ virgines, ut tonstriculæ,

4. *Credebat se eorum nemini.* Vulgo *se* aberat, quod Bentleius addidit, observans : Mirum vero hoc et incredibile est, eum nemini suorum narranti quidquam fidem habuisse : hoc enim et nihil aliud est *credere*. Sed facilis est emendatio val sine scripti codicis auxilio : unus tamen Dav. disarte habet, « credebat se eorum nemini » : quod est, committabat, phrasi tritissima. Firmat illud quod mox sequitur : » Sed convenis et barbaris corporis custodiam committebat » ; et cap. 20 : « Huic quidem certe vitam tuam committis ». — Davisius vulgatam retinuit : hoc notato : Erasmus edidit, « credebat se eorum nemini ». Recte quidem, si modo codices addicerent. Sed ii, quantum constat, omnes *se* nesciunt, nec mihi pronomen illud necessarium videtur. Vide Senecam Agam. vs. 683. — Bentleio Erasmoque Ern. et Schütz. obsequuti sunt.

5. *Locupletum servos. Servos* glossam sapere videbatur Ernestio, quia id jam ex antecedente *familiis* intelligatur. Schutz.

6. *Convenis et feris barbaris.* D. Lambinus et Fr. Fabricius reponunt « convenis et fere barbaris ». At non tantum *fere*, sed omnino barbari fuerunt hi satellites, quos propterea « ferocissimarum gentium homines » vocat Valerius Maximus, lib. IX, cap. XIII, 4 extr. Noster infra cap. 22 : « Vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris ». Retinenda mihi videtur codicum lectio, nam *barbarus* apud bonos auctores *adjectivum* sibi conjunctum recipit. Cæcilius apud Festum in *bardus* : « Nimis audacem nimisque bardum barbarum. » Lactantius Div. Inst. lib. V, cap. XIX, 7 : « Quæ nec sævissimi latrones, nec iratissimi hostes, nec immanissimi barbari aliquando fecerunt ». Pari modo « truculentos barbaros » et « immanes barbaros » dixit Augustinus C. D. lib. I, capp. 1, 4; Celsus apud Origenem lib. VIII, pag. 323. Vide Senecam Suasor. II, pagg. 17 et 24; Curtium lib. IV, cap. 1, 11; Claudianum in Eutrop. I, 250, II, 181; denique Amm. Marcellinum, XXX, 1. Davis.

7. *Ita sordido ancillarique artificio.* Non placet illud *artificio* : non enim profitebantur se tonstrices esse; sed eo munere fungi cogebantur. Quamobrem mirifice placet, atque adeo verissima est Davis. codicis lectio, « Sordido ancillarique officio ». Propertius, IV, 9 : « Idem ego Sidonia feci servilia palla Officia, et Lyda pensa diurna colu ». Horat. Serm. II, 6 : « . . . . nec non vernaliter ipsis Fun-

tondebant barbam et capillum patris [8]. Et tamen ab his ipsis, quum jam essent adultæ, ferrum removit; instituitque, ut candentibus juglandium [9] putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Quumque duas 59
uxores haberet, Aristomacheu, civem suam, Doridem autem Locrensem [10], sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur et perscrutaretur ante: et, quum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset [11], ejusque fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisset, eum ipsum, quum forem cubiculi clauserat [12], detor-

gitur officiis ». Plautus Cistellaria, IV, 1 : « Faciendum est pucrile officium: conquiniscam ad cistulam». Bentl. — Davisius dedit *officio* ex Eliens. et Cantabr. ceteris non sequentibus.

8. *Regiæ virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam et capillum patris.* Hæc affert Priscianus, lib. VIII, col. 784. Davis.

9. *Ut candentibus juglandium putaminibus.* Laudat Nonius in *juglandes*. Inter se vero discrepant auctores. Noster Offic. lib. II, cap. 7 : « Dionysius cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum«. Plutarchus in Dione, pag. 661 : Οὕτω γὰρ ἦν ἄπιστος, καὶ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους ὕποπτος καὶ προβεβλημένος διὰ φόβον ὁ πρεσβύτερος Διονύσιος, ὥστε μηδὲ τῆς κεφαλῆς τὰς τρίχας ἀφελεῖν κουρικαῖς μαχαίραις, ἀλλὰ τῶν πλαστῶν τις ἐπιφοιτῶν ἄνθρακι τὴν κόμην περιέκαιεν. Insignis hujusce diffidentiæ meminere Diodorus Siculus lib. XX, pag. 797; Valerius Maximus lib. IX, cap. 13, et Amm. Marcellinus lib. XVI, cap. 8. Initio tamen usus est tonsore Dionysius, quod patet ex Plutarcho de Garrul. pag. 508. Dav.

10. *Aristomachen, civem suam, Doridem autem Locrensem.* Valerius Maximus lib. IX, cap. 18, 4 ext. « Duarum enim eodem tempore Aristomaches Syracusanæ et Locrensis Cloridis matrimoniis illigatus ». Legendum *Doridis*. Vide Ælianum V. H. lib. IX, cap. 8, ac lib. XIII, cap. 10. Davis. — Incertum fuit, cum utra prius concubuisset. Solebant cum eo communes habere cœnas vicissimque noctes dividere. Aristomacha diu sterilis fuit, et ex ea nihil liberorum tulit, quamvis admodum cuperet : mox quatuor filios suscepit, duos mares totidemque feminas : ex Doride Locrensi filios habuit tres. Beroald.

11. *Quum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset.* Nonnulli codd. « fossa lata cubicularis lecto circumdedisset « : quasi vellent « fossa lata cubiculares lectos », quemadmodum dedit Erasmus. Ipse quidem nihil moveo. Valerius Maximus lib. IX, cap. XIII, 4 ext. Dionysius « cubicularem lectum perinde quasi castra, lata fossa cinxit ». Ammianus Marcellinus lib. XVI, cap. 8 : « Ædemque brevem, ubi cubitare suevcrat, alta circumdedit fossa ». Forte *lata*. Hæc, nisi fallor, in Ciceronc vulgatam satis tuentur lectionem. Dav.

12. *Quum forem cubiculi clauserat.* Perperam notarat Janus Gulielmius,

quebat : idemque quum in communibus suggestis
consistere non auderet, concionari ex turri alta sole-
60 bat. Atque is quum pila ludere vellet (studiose enim
id factitabat), tunicamque poneret, adolescentulo,
quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic quum
quidam familiaris jocans dixisset : « Huic quidem certe
« vitam tuam committis, » arrisissetque adolescens ;
utrumque jussit interfici : alterum, quia viam de-
monstravisset interimendi sui ; alterum, quia dictum
risu approbavisset. Atque eo facto [13] sic doluit, ut
nihil gravius tulerit in vita : quem enim vehementer
amarat, occiderat. Sic distrahuntur in contrarias par-
tes impotentium cupiditates : quum huic [14] obsequutus
61 sis, illi est repugnandum. Quamquam hic quidem ty-
rannus ipse judicavit [15], quam [16] esset beatus.

XXI. Nam quum quidam ex ejus assentatoribus Damocles [1] commemoraret in sermone copias ejus,

ita citare Lactantium Div. Instit. lib. IV; hunc enim locum non omnino laudat vir disertissimus. Vulgg. « fores cubiculi clauserat » ; aliter vero MSS ; et recte quidem. Valerius Maximus, lib. IX, cap. XIII, 4 : « Quum forem cubiculi extrinsecus a custodibus opertam, interiorem claustro ipse diligenter obserasset ». Terentius Adelph. act. II, sc. III, vs. 11 : « Foris crepuit ». Donatus. « *Foris*, singularis numeri, nominativi casus ». Sic persæpe Plautus est loquutus : sed allata, quod volumus, satis efficiunt. Dav.

13. *Atque eo facto . . . occiderat.* Probabile est hunc adolescentem nomen habuisse Leonem, eumdemque esse de quo plura Ælianus, XIII, 34, ubi narrat Dionysium, postquam eum morte damnavisset jussissetque duci ad supplicium, ter eum revocavisse et eum lacrymis osculatum esse, quasi veniam ei condonavisset; sed tandem, metu superante, carnificibus eum tradidisse.

14. *Huic.* Quum alteri cupiditatum obsequutus sis, alteri est repugnandum. Nath.

15. *Judicavit.* Continuo videbam legendum esse *indicavit.* Post vero apud Lambinum eam emendationem reperi, et bonis rationibus stabilitam. Quid hic Gebhardus? Contra eas rationes ne mutire quidem vel hiscere audet; codicibus tamen suis servum pecus obtemperat. Si hoc modo agitur; facilis sane provincia est procurare editiones, et a quovis administrari potest. Bentleius. — Davisius *indicavit* edidit, quod est in Med. et Bak. post Manutium et Lamb. eumque Schützius et Neid. sequuti sunt.

16. *Quam* valet *quam parum.*

XXI. 1. *Quum quidam ex ejus as-*

opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretque umquam beatiorem quemquam fuisse: « Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eamdem degustare, et fortunam experiri meam? » Quum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrime[2] textili stragulo, magnificis operibus picto; abacosque[3] complures ornavit argento, auroque cælato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos[4] jussit consistere, eosque nutum ejus intuentes[5] diligenter ministrare. Aderant un- 62
guenta, coronæ; incendebantur odores; mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, e lacunari seta equina aptum[6], demitti

sentatoribus Damocles. Memorabilem hanc historiam, tacito Damoclis nomine, refert Philo apud Eusebium Pr. Evang. lib. VIII, cap. 14, pag. 391. Macrob. Somn. Scip. lib. I, cap. 10: « Dionysius, aulæ Siculæ inclementissimus incubator, familiari cuidam suo, solam beatam existimanti vitam tyranni, volens quam perpetuo metu misera quamque impendentium semper periculorum plena esset ostendere, gladium vaginæ raptum et a capulo de filo tenui pendentem, mucrone demisso, jussit familiaris illius capiti imminere, etc. » Boetius Cons. Philos. lib. III, pros. 5: « Expertus sortis suæ periculorum Tyrannus, regni metus pendentis supra verticem gladii terrore simulavit ». Vide et Sidonium Apollinarem lib. II, Epist. 13. Ad eamdem respiciunt Horatius lib. III, Od. I, 17: « Districtus ensis cui super impia Cervice pendet, non Siculæ dapes Dulcem elaborabunt saporem; Non avium citharæque cantus Somnum reducent ». Persius Sat. III, 40; Dion Chrysostomus Orat. VI, pag. 97, et Ammianus Marcellinus, lib. XXIX, cap. 2. Dav.

2. *Strato pulcherrime textili stragulo.* Neid. scribit *pulcherrimo.*

3. *Abacosque.* De variis h. v. sensibus cf. Cæl. Rhodig. II, 30. J. V. L.

4. *Eximia forma pueros delectos.* *Delicatos* rescribit Marq. Gudius ad Phædri lib. IV, fab. 4. Sed renituntur MSS; nec res ipsa postulat, ut a lectione quam præstant recedamus. Dav.

5. *Eosque nutum ejus intuentes.* Gebhardus scripsit *nutum illius*, quem sequuntur Davis. Oliv. Schütz. et Neid. Atque hoc Gebhardus ex ed. Victorii, Pal. tert. quart. Fabr. sumpserat, quum vulgo legeretur *ad nutum illius.*

6. *Seta equina aptum.* Eliens. sec. Petrens. Bak. Balliol. aliique multi codices *appensum.* Ea quidem lectio glossemati debetur, siquidem receptam servat Nonius in *aptam*, ut et

jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores adspiciebat[7], nec plenum artis argentum; nec manum porrigebat in mensam; jam ipsæ defluebant coronæ: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror[8] impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat[9], ut ad justitiam remigraret, civibus libertatem et jura redderet : iis enim se adolescens improvida ætate[10] irretierat erratis, eaque commiserat, ut salvus esse non posset, si sanus esse cœpisset.

63 XXII. Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat, declaravit in Pythagoreis duobus illis[1]: quorum quum alterum vadem

Reg. Pall. tert. quart. Fabr. et Vatican. Davis.

7. *Nec pulchros illos m. adspiciebat.* Ita quinque Pall. Fabr. Vatic. denique Victorii editio : utitur hoc vocabulo sæpius Tullius. Pro L. Flacco : « Idem mihi Meandrius quasi ministrator aderat ». Idem II de Orat. et alibi. Vulgo *administratores*. Gebhard.

8. *Aliquis terror.* Davis. in prima ed. dederat *aliquid terroris* ex Norvic. et Petrens. idemque Oliv. assumpsit. Pall. 2, 3, 4, *aliquid error*, unde Jac. Gronovio placuit *aliqui terror*, quod Davis. in tertia ed. Schütz. et Neid. ediderunt.

9. *Ei ne integrum quidem erat.* Non amplius poterat. Neid.

10. *Improvida ætate.* Forsan *in improvida ætate.* Illa certe præpositio pari modo sæpius est absorpta. Sic apud Velleium Paterculum, lib. II, cap. XXVIII, 2, de Sulla : « Dictator creatus ... imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis remp. usi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia usus est ». Omnino rescribendum « in immodicæ crudelitatis licentiam usus est ». Ejusdem libri cap. XXXI, 3, contrario vitio legitur, « Sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii prætura decretum erat ». Reponas velim, « ante biennium M. Antonio prætori decretum erat ». Vide Lactantium Div. Inst. lib. I, cap. XI, 32. Dav.

XXII. 1. *In Pythagoreis duobus illis.* Damonem et Phintiam significat. Historiam late referunt Noster Offic. lib. III, cap. 10; Diodorus Siculus in Excerpt. Peiresc. pagg. 242, 244, et Valerius Maximus, lib. IV, cap. VII, 1 ext. Apud hunc *Phintiæ* loco perperam legitur *Pythias*, ut ex Plutarcho περὶ πολυφιλίας, pag. 93, dudum monuit Hadr. Turnebus Advers. XX, 13. Vide Cl. Salmasium Exerc. Plin. pag. 111. Multis sane Veterum locis confirmari potest hæc emendatio; Damonis enim amicum *Phintiam*, non

mortis accepisset; alter, ut vadem suum liberaret, præsto fuisset ad horam mortis[2] destinatam: « Utinam ego, inquit, tertius vobis amicus adscriberer! » Quam huic erat miserum, carere consuetudine amicorum, societate victus, sermone omnino familiari! homini præsertim docto a puero[3], et artibus ingenuis erudito! Musicorum vero perstudiosum[4] accepimus, poetam etiam tragicum: quam bonum, nihil ad[5] rem. In hoc enim genere nescio quo pacto magis, quam

Pythiam, vocant Porphyrius vit. Pythag. § 60; Iamblichus περὶ βίου Πυθαγ. § 127, 234, et Latinus Pacatus Paneg. XII, cap. 17. Ambrosius de Virginibus lib. II, cap. v, 34: « At etiam philosophorum gymnasia Damonem et Pythiam Pythagoreos in cælum ferunt, etc. » Leg. « Damonem et Phintiam », quod Benedictini quidem monere neglexerunt. Vide sis et eumdem lib. III de Offic. cap. 12, n. 80; Lactantium Div. Inst. lib. V, cap. xvii, 22, et Ciceronem de Fin. II, 24. Dav.

2. *Ad horam mortis destinatam.* Davis. Oliv. *morti destinatam*: utraque lectio ferri potest.

3. *Docto a puero, et artibus ing.* E Bentleii conjectura Davis. et Schütz. ediderunt « docto, et a puero artibus ing. »

4. *Music. v. perstudiosum accepimus.* Vulgo abest *accepimus*, ita ut sententia anacolutho laboret. Hæc, inquit Davisius, nihil habent, a quo pendeant. Eliens. quidem sec. et veteres editi dant, « musicorum vero perstudiosum accepimus; poetam etiam tragicum; quam bonum nihil ad rem ». Etiam Balliol. et Med. dant, « musicorum vero perstudiosum. Poetam etiam tragicum accepimus ». Ita quidem recte procedit oratio, et hoc malim, quam balbutientem facere Tullium. Quum tamen eam vocem nesciant reliqui codices; et Bak. noster exhibeat « poetæque etiam tragicum »; forte Noster scripsit « Musicorum vero perstudioso, poetæque etiam tragico, quam bono nihil ad rem »; ut hæc cum superioribus connectantur. Idem Cl. Bentleio placere video. Dav. — Et hanc conjecturam in textum Davisius intulit. Wolfius, sequente Neid. vocem *accepimus* delevit.

5. *Quam bonum, nihil ad rem.* Themistius Orat. IX, pag. 126: Τραγῳδίας δὲ, inquit, ἱκανῶς γράφειν, καὶ Διονύσιος ὁ τύραννος ἱκανὸς ἦν. De poetica ejus facultate non tam bene sentiunt reliqui, et in horum sententia fuisse se non obscure docet Tullius. Ammianus Marcellinus lib. XV, c. 5: « Legimus Dionysium intentasse poetæ Philoxeno mortem, quum eum recitantem proprios versus absurdos et inconcinnos, laudantibus cunctis, solus audiret immobilis ». Cf. Lucianus adv. Indoct. tom. II, pag. 387. Alia de Philoxeno in lapicidinas conjecto testimonia corrasit Jac. Perizonius ad Æliani V. H. lib. X, cap. 9; at de Dionysii tragœdiis vide Schefferum et Kuhnium ad lib. XIII, cap. 18. Davis.

in aliis, suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognovi poetam (et mihi fuit cum Aquinio[6] amicitia), qui sibi non optimus videretur. Sic se res habet: te tua, me delectant mea. Sed, ut ad Dionysium redeamus; omni cultu et victu humano carebat: vivebat cum fugitivis, cum facinorosis[7], cum barbaris; neminem, qui aut libertate dignus esset, aut vellet omnino liber esse, sibi amicum arbitrabatur.

64 XXIII. Non ego jam cum hujus vita, qua tetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytæ vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium: ex eadem urbe humilem homunculum[1] a pulvere et radio[2] excitabo, qui mul-

6. *Mihi fuit cum Aquinio amicitia.* Philipp. Beroaldum mala mens urgebat, quum pro *Aquinio* rescripserit *Archiam;* hic enim egregius erat poeta, quem impense laudavit Tullius; at hoc in loco vates stultus et ineptus denotatur, qualis revera fuit Aquinius. Catullus Epigr. XIV: « Nam, si luxerit, ad librariorum Curram scrinia; Cæsios, Aquinios, Suffenum, omnia colligam venena, Ac te his suppliciis remunerabor ». Eliens. sec. *cum Attilio amicitia.* Is durissimus erat poeta, quem memorat Noster ad Attic. lib. XIV, Epist. 20, et de Fin. lib. I, cap. 2. Cave tamen, quidquam mutes. Dav. — *Aquinio.* Aut, quod melius, *Aquino*, ut in altero est codice Lugdunensi. Consentiunt Catullianorum carminum exempla omnia Epigr. XIV. Habent enim omnia *Aquinos*, quam vocem exigit versus; alteram *Aquinios* respuit. Neque video quid fuerit, cur explicatores Catullum e Cicerone maluerint, quam e Catullo Ciceronem emendare. Potuit *Aquinus* nomen esse romanæ alicujus familiæ, ut *Crispinus*, *Silvinus*, etc. Burerius. — Schütz. et Neid. dederunt *Aquino.* — Sens. Quantumvis malus esset poeta Aquinus, in hoc simillimus erat omnibus, ut sibi optimus videretur. Nsin.

7. *Cum facinorosis.* Hoc Athenæus lib. VI de Dionysio et Philippo traditum refert, utrumque honestorum hominum consuetudinem refugisse, et delectatum fuisse nihili ac futilibus et scurris ac assentatoribus: quin etiam cupide utrumque sublevasse eos, qui patrimonia ebrietate et alea consumpsissent. Camerar.

XXIII. 1. *Humilem homunculum.* De Archimede sic etiam Silius Italicus, XIV, 342: « Vir fuit Isthmiacis decus immortale colonis, Ingenio facile ante omnes telluris alumnos, Nudus opum, sed cui cælum terræque paterent ». Attamen Ἱέρωνι τῷ βασιλεῖ συγγενὴς ἦν καὶ φίλος, ut tradit Plutarchus in Marcello, pag. 305. Dav.

2. *A pulvere et radio.* Mathematicis studiis deditum. Locutionis ratio est, quod *radius* sit instrumentum, quo geometris in mensa, *pulvere* conspersa, σχήματα sua describere, moris

tis annis post fuit, Archimedem[3]. Cujus ego quæstor ignoratum ab Syracusanis, quum esse omnino negarent, septum undique et vestitum vepribus et dumetis, indagavi sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos[4], quos ejus monumento esse inscriptos acceperam : qui declarabant[5] in summo sepulcro sphæram esse positam cum cylindro. Ego autem, quum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Acragianas[6] magna frequentia sepulcrorum), animadverti columellam[7] non multum e dumis eminentem : in qua inerat

erat. Adi quæ diximus ad lib. II Nat. Deor. cap. 18. Augustinus Epist. XXXIX, pag. 50 (Bened. Epist. XXVI): « Inde figurarum positas sine pulvere formas Posco amens ». Lege « positas in pulvere formas ». Hinc Seneca Epist. LXXXVIII : » Itane? in geometriæ pulvere hærebo? » Idem Epist. LXXIV : « Utrum majorem an minorem circulum scribas, ad spatium ejus pertinet, non ad formam : licet alter diu manserit, alterum statim obduxeris, et in eum quo scriptus est pulverem solveris, in eadem uterque forma fuit ». Ibi vide Just. Lipsium, ut et Joan. Brodæum Miscell. lib. I, cap. 1. Dav. — Virgilius : « Descripsit radio totum qui gentibus orbem ».

3. *Archimedem*. Is postquam Syracusas Marcello obsessas mirabili arte defendisset, multasque invenisset machinas, quæ Romanorum opera everterent navesque frangerent, urbe capta, a milite occisus est, dum intentus esset formis, quas in pulvere describeret, nec audiisset tumultum exercitus romani urbem invadentis, anno U. C. 542, ante Christum 212. Marcellus ob ejus mortem multum cepit dolorem, eique exstrui tumulum curavit eum, de quo in proximis agit Cicero.

4. *Senariolos*. Nusquam hi exstant.

5. *Qui declarabant*. Nempe quibus significaretur theorema de ratione, quæ intercedit inter utrumque corpus, ab Archimede inventum. Ern.

6. *Acragianas*. Davis. scribit *Agragianas*. Ita, inquit, Nonius in *lustrare*, si fides editis; nam MS C. C. C. C. *Gaianas*. Atquum Pal. pr. *Agraginas*, tert. *Sagraginas* exhibeat, mihi recipienda videtur Ursiniani codicis lectio, qui dat *Achradinas*. Achradinæ meminerunt Cicero in Verrem, IV, 53; Athenæus lib. V, pag. 207, F. Plutarchus Timol. pagg. 244, 245, et in M. Marcello, pag. 308; denique Livius lib. XXIV, capp. 21, 22, 23, 24, 32, 33, etc. Hinc cuivis facile constat, cur Achradinæ dictæ sint illæ Syracusarum portæ. — Schütz. et Neid. Davisii conjecturam arripuerunt. At J. V. L. notat nemini dubium esse posse quin h. l. agatur de porta ea, quæ viam ad Agrigentum ducentem respiciebat. Atqui Græcis Ἀκράγας erat *Agrigentinus*.

7. *Animadverti columellam*. Davisius scribit « animum adverti columellam ». Vulgo, inquit, « animadverti columellam ». Codicum Reg. Pithœan. et Vatic. lectionem nos admisimus, quæ valet idem quod » animum ad columellam verti ». Plautus

sphæræ figura, et cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud
66 ipsum arbitrari esse, quod quærerem. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo quum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere[8]. Ita nobilissima Græciæ civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate[9] didicisset. Sed redeat, unde aberravit, oratio. Quis est omnium, qui modo cum Musis, id est, cum humanitate, et cum doctrina habeat aliquod commercium[10], qui se non hunc mathematicum malit, quam illum tyrannum? Si vitæ modum, actionemque quærimus: alterius mens rationibus agitandis[11] exquirendisque alebatur, cum oblectatione solertiæ; qui est[12] unus suavissimus pastus animorum: alterius in cæde et injuriis, cum et diurno, et nocturno metu. Age, confer Democritum, Pythagoram, Anaxagoram. Quæ regna, quas opes studiis
67 eorum et delectationibus antepones? Etenim quæ

Pseudol. act. I, sc. II, 10: « Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortitis omnes ». Lucretius lib. II, 124: « Hoc etiam magis hæc animum te advertere par est Corpora... » Sic « navem ... instructam propugnatoribus animum adverti », dixit Hirtius de Bell. Alexand. cap. LXV, uti quidem MS fide dedimus. — Contra hanc emend. Davisii pugnat Bentleius, negatque apud bonos auctores puræ latinitatis hoc verbum ita construi. — Ceterum J. V. *Leclerc* observat mirum esse, quod hujus monumenti memoria tam cito abolita fuerit: nam ex quo exstructum fuerat, anno U. C. 542, usque ad id tempus quo Cicero quæstor in Sicilia erat, anno 679, non amplius quam 137 anni elapsi erant.

8. *Dimidiatis fere*. Davisius scribit *dimidiatum fere*, suadente Bentleio, conferrique jubet A. Gell. III, 14.

9. *Ab homine Arpinate*. Cicero enim Arpinas erat. Arpinum parvula urbs erat in Volscorum regione. Nunc adhuc nomen habet *Arpino*.

10. *Aliquod commercium*. In prima ed. Davis. dederat e Norvic. *aliquid commercii*, ut elegantius.

11. *Rationibus agitandis*. I. e. explorandis, deliberandis, perscrutandis. Nizo.

12. *Qui est unus*. Alii omittunt *est*.

pars optima est in homine, in ea situm esse necesse est illud, quod quæris[13], optimum. Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius? Ejus bono fruendum est igitur, si beati esse volumus. Bonum autem mentis est virtus. Ergo hac beatam vitam contineri necesse est. Hinc omnia, quæ pulchra, honesta, præclara sunt (ut supra dixi; sed dicendum idem illud[14] paullo uberius videtur), plena gaudiorum sunt. Ex perpetuis autem, plenisque gaudiis, quum perspicuum sit vitam beatam exsistere, sequitur, ut ea exsistat ex honestate.

XXIV. Sed[1], ne verbis[2] solum attingamus ea, quæ 68
volumus ostendere, proponenda quædam quasi moventia sunt, quæ nos magis ad cognitionem intelligentiamque[3] convertant. Sumatur enim nobis quidam præstans vir optimis artibus, isque animo[4] parumper et cogitatione fingatur. Primum ingenio eximio sit, necesse est; tardis enim mentibus[5] virtus non facile

13. *Quod quæris.* Davis. auctore Bentleio, *quærimus*: vulgata est e Pall. quatuor posterioribus et Fabr. Olim erat vulgo « quod quæris omnium optimum ».

14. *Sed dicendum idem illud.* Haud sane capio, quid sibi velit Andr. Schottus, qui Nodor. Cicer. lib. II, cap. 20, ait se ex veteris scripturæ vestigiis rescribere, « sed illa (dicendum illud idem paullo uberius videtur) plena gaudiorum sunt ». Hoc modo certum est, codices nostros receptæ nomina sua dare lectioni, quæ sana prorsus est et sincera. Dav.

XXIV. 1. *Sed, ne ... beatos esse necesse est.* Uberius jam disputat Cicero de gaudiis, quæ cum philosophiæ studio, cum vita negotiis plena, cum amicitia conjuncta sunt. Neid.

2. *Verbis.* In genere ne disputemus. Neid.

3. *Ad cognitionem intelligentiamque.* Ad melius ea cognoscenda et intelligenda, quæ in anterioribus generatim disputata sunt. Neid.

4. *Isque animo.* Fingamus nobis talem virum in idea, qualis in experientia non obvius est. Neid.

5. *Tardis enim mentibus virtus non facile comitatur.* Petreus. Ven. 1491, Froben. compluresque alii libri tam manu, quam typis descripti, præ se ferunt, « tardis enim mentibus virtus non facile committitur ». Sed recepta lectio viris doctis merito probatur; nam alteram illam finxere librarii, qui hellenismum non concoquebant, licet pari modo loquutus est Noster infra cap. 35. Davis. — *Comitatur.* Cum

comitatur : deinde ad investigandam veritatem studio incitato. Ex quo triplex ille animi fœtus exsistet : unus in cognitione rerum positus, et in explicatione naturæ ; alter in descriptione expetendarum fugiendarumve rerum[6]; tertius in judicando, quid cuique rei sit consequens, quid repugnans : in quo inest omnis tum subtilitas disserendi, tum veritas judicandi[7].

69 Quo tandem igitur gaudio affici necesse est sapientis animum, cum his habitantem pernoctantemque curis[8] ? ut, quum totius mundi motus[9] conversionesque perspexerit[10], sideraque viderit innumerabilia cælo inhærentia cum ejus ipsius motu congruere cer-

dativo constructum hoc verbum videas quoque § 100. Neid.

6. *In descriptione expetendarum, fugiendarumve rerum.* Turbant MSS ; ideoque dubium non est, quin aliquid vitii lateat. Des. Erasmus edidit « fugiendarumve rerum in communione vivendi ». Codex Fabric. « fugiendarumve rerum in munere vivendi ». Martin. et Petreus. « fugiendarumque vivendi rerum ». Pall. tert. quart. quint. Gemblac. « fugiendarumque rerum ne vivendi » ; sic etiam prim. et et sec. nisi quod in iis omittatur vox penultima. MS Norvic. proxime ad verum repræsentat, « fugiendarumve rerum arteve vivendi ». Rescribo « in descriptione expetendarum fugiendarumque rerum, arteve vivendi » ; nam ethice circa res fugiendas et expetendas versatur, artemque adeo vivendi subministrat ; sive docet, quomodo sit vivendum. Dav. — Hæc Davis. in prima ed. qui postea ad vulgatam rediit. Notandum est præterea Ven. exhibere *discretione* pro *descriptione*, teste Camerario, qui aliis judicandum relinquit, utrum sit verius. Dav.

7. *Tum veritas judicandi.* Hæc autem luculenta omnis doctrinæ, id est, philosophiæ, partitio et ipsa Stoica est. Stoici enim τῆς φιλοσοφίας τρία μέρη esse tradidere, λογικὸν, ἠθικὸν, φυσικὸν, cui addidere disputationem de natura deorum. Camerar.

8. *Curis.* Rebus tanti momenti, tantæque gravitatis. Neid. — In his et seqq. agit de gaudiis quæ e contemplatione naturæ oriuntur, quæ ponuntur in physica parte.

9. *Ut, quum totius mundi motus.* Davisius delet vocem *ut*, notatque : Vocem prorsus importunam jure resecuit Cl. Bentleius, eamque nescit Med. Mundus autem hoc in loco cælum denotat : terram enim immotam stare censebant plerique Veterum. Virgilius in Ciri, vs. 7 : « Altius ad magni subtendit sidera mundi ». Ac vs. 218 : « Respicit ad culti nutantia sidera mundi ». Ita persæpe Manilius et alii. Vide Corn. Severum in Ætna, vss. 43, 69, et Plinium Hist. Nat. lib. II, capp. 1, 4.

10. *Perspexerit.* Pal. quart. *prospexerit.* Apollonius lib. I, ubi agit de Tiphy, προδαῆναι. Gebhard.

tis infixa[11] sedibus; septem alia suos quæque tenere cursus, multum inter se aut altitudine, aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiant? Horum nimirum adspectus impulit illos veteres, et admonuit, ut plura quærerent. Inde est indagatio nata initiorum, et tamquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta; quæque cujusque generis vel inanimi[12], vel animantis, vel muti, vel loquentis[13] origo, quæ vita, qui interitus, quæque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio; unde terra[14], et quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur : in qua omnia, delata gravitate[15], medium mundi locum semper expetant, qui est idem infimus in rotundo.

XXV. Hæc tractanti[1] animo, et noctes et dies co- 70
gitanti, exsistit illa a deo Delphis[2] præcepta cognitio,

11. *Certis infixa sedibus.* Putabant Veteres stellas firmamento esse infixas, et cum eo torqueri.

12. *Vel inanimi, vel animantis.* Sic Veneti, teste Camerario; alii olim *vel animati.*

13. *Vel loquentis.* Sic etiam Veneti, teste Camerar. alii olim *eloquentis.*

14. *Unde terra, et quibus lib. pond.* Davisius scribit « unde terra æquis lib. pond. » Vulgata, inquit, est incommoda : nam qui rerum initia diligenter indagabant, unde tellus esset concreta, procul dubio quærebant; adeoque ταυτολογίας reus fieret Cicero. Nos igitur eximiam Eliensis sec. lectionem damus, eaque prorsus est vera et sincera.

15. *Quibus cavernis maria sustineantur : in qua omnia, delata gravitate.* Sic Davisius, nisi quod non habet *in* ante *qua*. Vulgo, inquit, *sustineat, in qua;* unde Lambinus facit *in quam.* Id autem incommodi continet hæc conjectura, quod tum demum nihil de *gravitate* quæratur, sed nuda sit eaque huc parum conveniens affirmatio. Præterea non est, ut *in quam* possis ad aliud, quam ad *terram* referre; medius autem mundi locus, cujus postea meminit, est terra; proinde Tullius diceret, « in terram omnia delata gravitate, terram semper expetere ». Menti Ciceronis optime congruit ea, quam repræsentamus, lectio. Et *sustineantur* quidem est a Petrens. et veteribus editis : præpositionem vero, re ipsa duce, delevimus. Plures quidem codices « sustineant in qua »; quod ex « sustineantur qua » facile nasci potuit. — Schütz. et Neid. eam lect. dederunt quam nos exhibemus.

XXV. 1. *Hæc tractanti.* Transit ad gaudia quæ capit sapiens e studio partis illius philosophiæ quæ ad mores pertinet.

2. *A deo Delphis præcepta cogni-*

ut ipsa se mens agnoscat[3], conjunctamque cum di-
vina mente se sentiat; ex quo insatiabili gaudio com-
pletur[4]. Ipsa enim cogitatio de vi et natura deorum,
studium incendit illius æternitatis imitandæ[5], neque
se in brevitate vitæ collocatam[6] putat, quum rerum
causas alias ex aliis aptas[7], et necessitate nexas videt;
quibus ab æterno tempore fluentibus in æternum,
71 ratio tamen mensque moderatur. Hæc ille intuens
atque suspiciens, vel potius omnes partes orasque
circumspiciens, quanta rursus animi tranquillitate hu-
mana et citeriora[8] considerat! Hinc illa cognitio vir-

tio. Post hasce voces Norvic. addit, γνῶθι σεαυτόν. Sed illa verborum hinc in orationis contextum irrepsit: primo enim margini fuit adlita; ne lateret, quodnam Apollinis præceptum notaretur. Vide quæ diximus ad lib. I, cap. 22. Davis. — In foribus nimirum templi Delphici scriptum erat: γνῶθι σεαυτόν. Nein.

3. *Ut ipsa se mens agnoscat*. Debetur hæc quoque lectio Victorio; quam indubitatam reddiderunt Pall. quatuor priores, Fabr. Gembl. Martin. Vulgo, « ut ipsa se mens vitiis exutam cognoscat ». Gebhard.

4. *Insatiabili gaudio completur*. Sic Cl. Bentleius. Vulgo *compleatur*. Dav.

5. *Illius æternitatis imitandæ*. Quinque Pall. Fabric. Reg. Pithœan. Med. et Bak. « illius æternitatis imitandi ». Sic codic. Justin. lib. V, tit. XXXVII, leg. 22: « Ipsius pecuniæ (in qua robur omne patrimoniorum Veteres posuerunt) fenerandi usus vix diuturnus, vix continuus et stabilis est ». Eadem constructione Terentius est usus Hecyr. act. III, sc. III, 12. Vide Sanctium et Perizonium Minerv. lib. VIII, cap. 8, pag. 459. Dav.

6. *Collocatam*. Davis. scribit *collocatum*, notatque: « Vox hæc ad hominem qui hæc animo tractat, non ad cogitationem refertur. Quare Pithœan. et Erasmi editionem sequor ». — Sed Schützius recte observat *collocatam* referri debere ad *mentem*, de qua supra, « ut ipsa se mens agnoscat ».

7. *Alias ex aliis aptas*. Imperite faciunt, qui *ortas* vel *natas* hic reponunt. Lucretius lib. III, pag. 376: « . . . qui cœtu conjugioque Corporis atque animæ consistimus uniter apti ». Sic etiam lib. V, pag. 636: « Ex ineunte ævo conjuncta atque uniter apta ». Atque iterum, pag. 665: « Crescebant uteri terræ radicibus apti ». Servius ita ad Virgilii Æn. IV, 483: Aptum, conjunctum dicit ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι. Aptum, colligatum. Cicero in Timæo, « Qua ex conjunctione cælum ita aptum est », i. e. constrictum et complexum. Item in Orat. « Facilius est enim apta dissolvere, quam dissipata connectere ». Hoc testimonium jam laudavit, eique plura conjunxit G. J. Vossius in Etym. v. *apio*: quibus adde Nonium, cap. IV, pag. 616. Davis. — *Rerum causas alias ex aliis aptas*. Seriem causarum et effectuum. Nein.

8. *Citeriora*. Terrestria, quæ cælestibus opponuntur. Nein.

tutis exsistit; efflorescunt genera partesque virtutum; invenitur, quid sit, quod natura spectet extremum[9] in bonis, quid in malis ultimum[10], quo referenda sint officia, quæ degendæ ætatis ratio deligenda[11]. Quibus et talibus rebus exquisitis, hoc vel maxime efficitur, quod hac disputatione agimus[12], ut virtus ad beate
vivendum sit se ipsa contenta. Sequitur[13] tertia, quæ 72
per omnes partes sapientiæ manat et funditur, quæ rem definit, genera dispertit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat, disserendi ratio et scientia. Ex qua quum summa utilitas exsistit ad res ponderandas, tum maxime ingenua delectatio, et digna sapientia[14]. Sed hæc otii[15]. Transeat idem iste sapiens ad rempublicam tuendam. Quid eo possit esse præstantius, quum [contineri][16] prudentia utilitatem civium cernat, justitia nihil in suam domum inde derivet, reliquis utatur tot tam variisque virtutibus? Adjunge fructum amicitiarum: in quo a

9. *Extremum*, summum.

10. *Quid in malis ultimum*. Vulgo *quod*. Ut edidimus exhibent Reg. Pith. Med. et Balliol. Dav. — Schütz. et Neid. *quod* retinent.

11. *Deligenda*. Davis. scribit *diligenda*. In multis, inquit, editt. est *ratio deligenda*. Favet Agrætius, qui col. 1351, hæc habet: « Diligi affectionis, deligi judicii est». Adversantur autem MSS, qui eam, quam sequimur, lectionem repræsentant; et sane constat, Veteres hæc duo verba non distinxisse. Hinc *dilectus militum*; de quo Festus. Adi et Tusc. II, 10. — At Oliv. Wolf. Schütz. et Neid. cum Man. Lambino et Manutio dederunt *deligenda*.

12. *Agimus*. Ita Pall. 2, 3, 4, Fabr. ed. Victorii. Vulgo *agitamus*. Gaan.

13. *Sequitur tertia..... sapientia*. Gaudia e recto intellectus usu in judicando et concludendo, quæ ex philosophiæ parte, quam logicam vocant, exoriuntur. Nero.

14. *Digna sapientia*. Ursini MS. *sapiente*, quod ei rectius videtur. Equidem mihi non displiceret, si plures accederent libri. Quod quum sit secus, receptam lectionem non moveo: nam sæpe fit, ut pro *concreto* ponatur *abstractum*. Vide supra cap. 9. Davis.

15. *Sed hæc otii*. Sed adhuc repræsentavimus sapientem in otio.

16. *Quum [contineri] prudentia*. Davis. delet v. *contineri*, notatque: Ut sic ederem, auctor mihi fuit ipsa sententia. *Contineri* a quibusdam veteribus libris abest, et ab omnibus abesse debere Lamb. et Fabr. recte statuunt. —Cum Dav. faciunt Oliv. Sch. et Neid.

doctis positum est quum consilium omnis vitæ, consentiens, et pæne conspirans, tum summa jucunditas e quotidiano cultu atque victu. Quid hæc tandem vita desiderat, quo sit beatior? cui [rei] refertæ [17] tot tantisque gaudiis, fortuna ipsa cedat necesse est. Quod si gaudere talibus bonis animi, id est, virtutibus, beatum est, omnesque sapientes iis gaudiis perfruuntur : omnes eos confiteri beatos esse, necesse est.

73 XXVI. Aud. Etiamne in cruciatu [1] atque tormentis? — Cic. An tu me in viola putabas, aut in rosa dicere? An Epicuro, qui [2] tantummodo induit personam philosophi, et sibi ipse hoc nomen inscripsit [3], dicere licebit (quod quidem, ut habet se res [4], me tamen plaudente dicit): nullum sapienti esse tempus, etsi [5] uratur, torqueatur, secetur, quin possit excla-

17. *Cui [rei] refertæ.* Mediam vocem Petr. noster a prima manu prætermittit, cui merito sum obsequutus. Olim quidem notavit Paullus Manutius, ea deleta, concinniorem fore orationem. Ego sane eam sine gravi sensus detrimento retineri non posse censeo. Dav. — Davisium Ern. Oliv. Wolf. Schütz. et Neid. sequuntur.

XXVI. 1. *Etiamne in cruciatu ... etiam verissime.* Auditor pergit : Si tibi vel maxime concesserim, sapientem in his occupationibus beatum esse posse, non tamen liquet, an idem quoque in cruciatibus ac tormentis beatus esse possit. Huic Cicero respondet, ostendens hoc non egere argumentatione, si sapientem sumamus in viola aut in rosa jacentem. Quodsi Epicuro ex principiis suis voluptariis dicere licet, sapienti nullum esse tempus, etsi uratur, torqueatur, etc. quin possit exclamare : « Quam pro nihilo puto! » ego idem multo magis ex meis principiis dicere posse puto. Nain.

2. *Qui tantummodo induit pers.* Davis. e Reg. Pith. et Med. reposuit « quia tantummodo ind. p. »

3. *Sibi ipse hoc nomen inscripsit.* Sic Reg. et Pithœan. At Bak. Med. et Balliol. dant *inscribit.* Epicurum vero se *sapientem* professum esse testatur Noster lib. II de Fin. c. 3. Dav. — *Inscribit* ob seq. *licebat* defendi potest.

4. *Ut habet se res, me tamen plaudente dicit.* Sententia non recte procedit. Lege, « utut habet se res, me tamen » ; hoc est, utcumque habet se res, quamvis non constet sibi ipse, sed sua dogmata evertat. Terent. Heaut. I, 2 : « Ut ut erat, mansum tamen oportuit ». Phorm. III, 2 : « Sed ut ut hæc sunt, tamen hoc faciam ». Bentleius. — *Ut habet se res.* Per se, nulla ejus principiorum ratione habita. Nain.

5. *Etsi uratur.* In prima ed. Davis.

mare, Quam pro nihilo puto[6]! quum præsertim omne malum dolore definiat, bonum voluptate; hæc nostra honesta, turpia, irrideat; dicatque, nos in vocibus occupatos, inanes sonos fundere; neque quidquam ad nos pertinere[7], nisi quod aut læve, aut asperum in corpore sentiatur. Huic ergo, ut dixi, non multum differenti a judicio ferarum, oblivisci licebit sui? et tum fortunam contemnere, quum sit omne et bonum ejus, et malum in potestate fortunæ? tum dicere, se beatum in summo cruciatu atque tormentis, quum constituerit, non modo summum malum esse dolorem, sed etiam solum? Nec vero illa sibi remedia 74
comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consuetudinemque patiendi, præcepta fortitudinis, duritiam virilem; sed una se dicit recordatione[8] acquiescere præteritarum voluptatum: ut, si quis æstuans, quum vim caloris non facile patiatur, recordari velit, se aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse. Non enim video, quo modo sedare

dederat *etiamsi uratur*, hoc e MSS esse dicens.

6. *Quam pro nihilo puto!* Interdum quidem ἐμφατικωτέρως· nam hujusce libri cap. 10, ex Epicuri mente refert, « *quam hoc suave est!* tum quum dolore crucietur, dicturum esse sapientem ». Ac iterum lib. II, cap. 7: « Epicuro, homini aspero et duro, non est hoc satis: in Phalaridis tauro si erit, dicet, *quam suave est hoc!* quam hoc non curo! » Qua autem ratione hoc effatum interpretur Petr. Gassendus, videas licet Opp. tom. V, pag. 96 seqq. Dav.

7. *Ad nos pertinere.* Nihil nos afficere. Neid.

8. *Sed una se dicit recordatione.* Plenius lib. III, cap. 15: « Levationem autem ægritudinis in duabus rebus ponit (Epicurus), avocatione a cogitanda molestia, et revocatione ad contemplandas voluptates ». Infra cap. 31: « Epicurus maximis doloribus adfectus, eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat ». Ejus verba sunt apud Laertium, X, 22: Ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις (morbis quibus laborabat) τὸ κατὰ ψυχὴν ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. Interprete Tullio, « Compensabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum ». Vide lib. II de Fin. cap. 30. Dav.

75 possint mala præsentia præteritæ voluptates. Sed quum is dicat, semper beatum esse sapientem, cui dicere hoc, si sibi constare vellet, non liceret[9]: quidnam faciendum est his, qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum, quod honestate careat, existimant? Me quidem auctore, etiam peripatetici, veteresque academici balbutire[10] desinant aliquando, aperteque et clara voce audeant dicere, beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.

76 XXVII. Sint enim tria genera bonorum, ut jam a laqueis stoicorum, quibus usum me pluribus, quam soleo, intelligo, recedamus: sint sane illa genera bonorum, dum corporis, et externa jaceant humi, et tantummodo, quia sumenda sint[1], appellentur bona; alia autem illa divina longe lateque se pandant, cælumque contingant[2], ut, ea qui adeptus sit[3], cur eum beatum modo, et non beatissimum etiam dixerim? Dolorem vero sapiens extimescet? Is enim huic maxime sententiæ[4] repugnat. Nam contra mortem nostram

9. *Cui dicere hoc, si sibi constare vellet, non liceret.* Cantabr. brevius, «quod, si sibi constare vellet, non liceret». Hæc sane lectio mihi placeret, si alii codd. addicerent; illi vero in retinenda vulgata sunt pertinaces. DAVIS.

10. *Balbutire.* De iis, qui satis clare, quæ sentiunt, dicere tergiversantur. NEID.

XXVII. 1. *Sumenda sint.* Alii exhibent *sunt.* Προηγμένα, præcipua, producta § 47. NEID.

2. *Cælumque contingant.* Id est, emineant et excellant ad eximium quemdam modum: ὑπερβολὴ proverbialis, qua et Horatius usus «Sublimi feriam sidera vertice». Et Cic. ad Att. scribens lib. II: «Bibulus in cælo est, nec quare, scio: sed ita laudatur, quasi unus homo nobis cunctando restituat rem». CAMERAR.

3. *Ut, ea qui adeptus sit.* Davisius post Lambinum, suadente Bentleio, delevit *ut*, quasi h. l. incommodum: Wolf. Schütz. sequuti sunt. Neid. vocem uncis inclusit. Certe vox ea non nisi admisso duriore anacolutho defendi poteat: at tamen, si tollatur, nobis manca videtur fieri et inconcinna oratio. Cicero dicere debebat «ut, ea qui adeptus sit, is non solum beatus, sed etiam beatissimus dici debeat». Sed impetu orationis raptus quæ interrogationem postulabat, prioris structuræ immemor fuit.

4. *Huic maxime sententiæ.* Sic reposui ex Froben. et Steph. Recentiores «huic maximæ sententiæ»; quod quidem mendum typographicum

atque nostrorum, contraque ægritudinem, et reliquas animi perturbationes satis esse videmur superiorum dierum disputationibus armati et parati.

Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius. Is ardentes faces intentat; is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum[5] minatur.
Huic igitur succumbet virtus? huic beata sapientis et 77
constantis viri vita cedet? Quam turpe! o dii boni! Pueri Spartiatæ non ingemiscunt verberum dolore laniati[6]. Adolescentium greges Lacedæmone vidimus ipsi, incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique[7], ut exanimarentur

videretur, nisi idem illud vitium in Ven. 1491, Manut. ac Lambin. ipse jam conspicerem. Dav. — Int. dolor enim maxime impedire videtur ne sapiens omnino beatus esse possit.

5. *Debilitaturum*. Ita Davis. in tertia ed. qui quidem in prima dederat *debellaturum*, hac nota addita: Vulgata Ciceronis mentem non exprimit; nam dolor, quum sit acerrimus virtutis adversarius, non solum debiliorem reddere patientiam, verum etiam totas ejus vires evertere minatur. Recepi igitur lectionem, quæ in Maffæi libro reperta, Paullo Manutio placuit; præsertim quum accederet MS Norvic. auctoritas. Dav.

6. *Pueri Spartiatæ non ingemiscunt verberum dolore laniati*. Ad aram Orthiæ vel Orthosiæ Dianæ; nam Lacedæmonii solent ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς Ὀρθίας ὁμοίως μὲν δούλους, ὁμοίως δὲ ἐλευθέρους ἀνάγειν ... μαστίγων γὰρ τὸ ἀγώνισμα καὶ ὁ στέφανος. Verba sunt Themistii Orat. XXI, pag. 250. Musonius apud Stobæum Serm. XIX, pag. 169: Ὡς δὲ οὔτε αἰσχρὸν οὔτε ὑβριστικὸν ἔχουσι (πληγαὶ) μηδὲν, δηλοῦν Λακεδαιμονίων παῖδας δημοσίᾳ μαστιγουμένους, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἀγαλλομένους. Alciphron lib. III, Epist 54: Ἤμην οἷα τις Σπαρτιάτης ἀνὴρ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας (sic recte Cl. Berglerus) τυπτόμενος. Sextus Empiricus Pyrrh. Hypot. lib. III, cap. 24: Λάκωνες δὲ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθωσίας Ἀρτέμιδος μαστίζονται πικρῶς, ὑπὲρ τοῦ πολλὴν αἵματος ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς θεοῦ γενέσθαι ῥύσιν. Plures hanc in rem Veterum locos indicavimus ad lib. II, cap. 13. Vide sis et ejusdem libri cap. 19. Hujus autem sævissimæ consuetudinis originem dicet Lactantius Placidus ad Statii Thebaid. lib. VIII, pag. 376, ed. Cruceanæ. Obiter emendetur idem ad lib. I, 118: « Quibus (Lacedæmoniis) virtuti est in sacris cædi verberibus, sine corporis motu ». Lego *in usu est*, etc. Adi sis Plutarchum Inst. Lacon. tom. II, pag. 239. Davis.

7. *Morsu denique, ut exanimarentur*. Quum olim scriberetur vulgo « morsu; denique ut exan. », Davisius interpunctionem mutavit, idemque pro *ut* scripsit *quum* ex omnibus, ut ait, MSS. Eum Schütz. et Neid. sequuntur.

prius, quam se victos faterentur. Quæ barbaria India vastior, aut agrestior? In ea tamen gente primum ii, qui sapientes habentur[8], nudi ætatem agunt, et Caucasi nives, hiemalemque vim perferunt sine dolore; quumque ad flammam se applicaverunt[9], sine gemitu
78 aduruntur. Mulieres vero in India[10], quum est cujusvis[11] earum vir mortuus, in certamen judiciumque

8. *Ii, qui sapientes habentur, nudi ætatem agunt, et Caucasi nives...sine gemitu aduruntur.* Brachmanas seu Gymnosophistas dicit, qui « nudi per opacas Indiæ solitudines perhibentur philosophari », prout ait Isidorus Orig. lib. VIII, cap. 6. Valerius Maximus lib. III, cap. 3, 6 ext. « Apud Indos vero patientiæ meditatio tam obstinate usurpari creditur, ut sint qui omne vitæ tempus nudi exigant, modo Caucasi montis glaciali rigore corpora sua durantes, modo flammis sine ullo gemitu objicientes ». Sane Βραχμᾶνες, ἐπειδὰν νήσωσι, πλησίον παραστάντες ἀκίνητοι, ἀνέχονται παροπτώμενοι· εἶτ' ἐπιβάντες κατὰ σχῆμα καίονται, οὐδ' ὅσον ὀλίγον ἐκτρέψαντες τῆς κατακλίσεως. Verba sunt Luciani de Mort. Pereg. tom. II, pag. 579. Idem in Fugit. p. 594 : Ἐπὶ πυρὰν μεγίστην ἀναβάντες, ἀνέχονται καιόμενοι, οὐδὲν τοῦ σχήματος ἢ τῆς καθέδρας ἐκτρέποντες. Inter alios eamdem Brachmanum consuetudinem memorant Plutarchus, tom. II, p. 499, C. Philo, quod omnis probus liber, pag. 680, G. et Porphyrius περὶ ἀποχῆς lib. IV, § 18. Ob hanc eorum patientiam dixit Zenon, ἕνα Ἰνδὸν παροπτώμενον ἐθέλειν ἰδεῖν, ἢ πάσας τὰς περὶ πόνου ἀποδείξεις μαθεῖν, quemadmodum refert Clemens Alexandrinus Strom. II, pag. 494. Dav.

9. *Se applicaverunt.* Sic Reg. Pith. et Vatic. Vulgo *applicaverint*. Dav. — Davisium Schütz. et Neid. sequuntur.

10. *Mulieres vero in India.* Duæ voces ultimæ supervacaneæ sunt, et a librariis adjectæ; non enim erat, cur *Indiam* rursus memoraret, quum de ea tantum gente superiora verba sint intelligenda. Nos igitur eas uncinis cinximus. Similes glossæ multos Veterum locos fœdant. Porro hunc Indarum feminarum morem eleganter describit Propertius lib. III, Eleg. XI, 15 : « Felix Eois lex funeris una maritis, Quos Aurora suis rubra colorat equis. Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto, Uxorum positis stat pia turba comis; Et certamen habent leti, quæ viva sequatur Conjugium; pudor est non licuisse mori. Gaudent victrices, et flammæ pectora præbent, Imponuntque suis ora perusta viris ». Nicolaus Damascenus apud Stobæum Serm. CXXII, pag. 614 : Ἰνδοὶ συγκατακαίουσιν, ὅταν τελευτήσωσι, τῶν γυναικῶν τὴν προσφιλεστάτην· αὐτῶν δὲ ἐκείνων ἀγὼν μέγιστος γίνεται σπουδαζόντων νικῆσαι ἑκάστην τῶν φίλων. Si plura testimonia sint cordi, vide Plutarchum tom. II, pag. 499, C. Valerium Maximum lib. II, cap. 6, 14 ext. Hieronymum adv. Jovin. lib. I, pag. 345; Servium ad Æn. V, 95, et Solinum cap. 52. Non disparem Thressarum quarumdam consuetudinem referunt Herodotus lib. V, cap. 5, et Mela lib. II, cap. 2. Dav.

11. *Quum est cujusvis earum vir*

veniunt, quam plurimum ille dilexerit : plures enim singulis solent esse nuptæ. Quæ est victrix, ea læta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur : illa victa mœsta discedit[12]. Numquam naturam mos vinceret; est enim ea semper invicta. Sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus; opinionibus, maloque more delenitum mollivimus. Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus[13], quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem[14],

mortuus, in certamen judiciumque veniunt. Reperi istud in Palat. sec. quart. Item Victor. edit. Inclinant Pal. tert. quint. Vatic. « quum est cujus earum ». Gernard. — Ut potuit sic Cicero scripsisse, ita hoc postremum certe magis romanum est, utpote toties frequentatum in formulis, inque inscriptionibus et decretis occurrens. Livius, XXXIV, 56 : « Dimittendique ei, quos eorum quandoque vellet, jus esset ». Gronov. — Davis. dedit « quum est cujus earum », utpote quod invenit in Reg. et Pith. nec aliter Schütz. et Neid.

12. *Una cum viro in rogum imponitur : illa victa mœsta discedit.* Bentleius ideo legendum putet « illæ victæ mœstæ discedunt », quia Cicero dixerat paullo ante, « plures singulis solent esse nuptæ ». Sed voces *illa victa* idem significant quod, quæcumque ex illis est victa, sive illæ sint duæ, sive plures. Vox *illa* in hujusmodi locutionibus vim habet pluralis numeri : ut in II, 15 : « Videmus... rudem illum et inexercitatum, quamvis leviter ictum, ploratus turpissimos edere ». Sic etiam in Quintil. Inst. Or. 1, 3 : « Probusquoque in primis erit ille ingeniosus » : et ib. « probus ab illo segni et jacente multum aberit ». Pearcius. — Davisius Bentleii correctionem in textum admisit.

13. *Pravitatis erroribus.* Loquendi modus Lambino non placuit; quapropter reponendum censuit *pravis erroribus*. Non opus est. Plautus Mil. Glor. act. IV, sc. IV, 36 : « Formam amœnitatis illius, faciem, pulchritudinem conlaudato », id est, formam amœnam. Sic *perennitatis cibum* pro cibo perenni dixit idem Persæ act. III, sc. 1, 2. Lucretius, IV, 339 : « ... quia quum propior caliginis aer Ater init oculos prior, etc. » pro aere caliginoso. Vide et vs. 350, ac Gatakerum de Stilo N. T. cap. 15. Dav. — Schütz. conj. *fanaticis erroribus*.

14. *Ibim, aut aspidem ... violent.* Sic lib. I. N. D. cap. 29 : « Ne fando quidem auditum est crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Ægyptio ». Herodotus lib. II, cap. 65 : Αἴγυπτος ... οὐ μάλα θηριώδης ἐστί· τὰ δὲ ἐόντα σφι, ἅπαντα ἱρὰ νενόμισται ... Τὸ δ' ἄν τις τῶν θηρίων τούτων ἀποκτείνῃ, ἢν μὲν ἑκὼν, θάνατος ἡ ζημίη· ἢν δὲ ἀέκων, ἀποτίνει ζημίην, τὴν ἂν οἱ ἱρέες τάξωνται· ὃς δ' ἂν ἶβιν ἢ ἴρηκα ἀποκτείνῃ, ἤν τε ἑκὼν, ἤν τε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη. Ita et Diodorus Siculus Bibl. lib. I, pag. 74, nisi quod ἀντὶ τοῦ ἱέρακος ponat αἴλουρον. Vide et

aut felem, aut canem, aut crocodilum[15] violent; quorum etiam si imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recusent.

79 De hominibus loquor. Quid bestiæ? non frigus[16], non famem, non montivagos atque silvestres cursus lustrationesque patiuntur? non pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant; nullos impetus, nullos ictus reformident?

Omitto, quæ perferant, quæque patiantur ambitiosi, honoris causa; laudis studiosi, gloriæ gratia[17]; amore incensi, cupiditatis. Plena vita exemplorum est.

80 XXVIII. Sed adhibeat oratio modum, et redeat illuc, unde defluxit[1]. Dabit, dabit, inquam, se in tormenta vita beata; nec justitiam, temperantiam, in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosequuta[2], quum tortoris os viderit, consistet; virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore

Origenem in Celsum lib. I, pag. 40. De iis jure dicas quod Timocles apud Athenæum lib. VII, pag. 380 : Πῶς ἂν μὲν οὖν σώσειεν ἶβις ἢ κύων; Ὅπου γὰρ εἰς θεοὺς τοὺς ὁμολογουμένως Θεοὺς ἀσεβοῦντες, οὐ διδόασιν εὐθέως Δίκην, τίν' αἰλούρου γ' ἐπιτρίψειεν ἂν Βωμός ... Sic enim corrigendi sunt hi versus, quos Is. Casaubonus successu parum felice tentavit. Cf. Juvenal. sat. XV, 33 sqq. DAVIS.

15. *Crocodilum.* Davisius scribit *corcodilum.* Ita, inquit, MSS : de qua scribendi ratione vide Marq. Gudium ad Phædri I, 25.

16. *Non frigus*, etc. Ita MSS plerique et ed. Victorii : vulgo olim *nonne frigus*, etc. ut infra « nonne pro suo partu ». Psl. 2, 5, « num frigus, num famem », et infra « num pro suo partu ». GERN.

17. *Gloriæ gratia.* Sic est in Pall. quinque, Fabr. Vatic. Alii *gloriæ causa.* Utrumque insititium; quod recte monuerunt Ursinus et Gronovius. Quum enim prius *honoris causa* dixerat, in reliquis eadem vox subaudiatur; ut vel *gratia*, vel *causa* prorsus hic sit supervacanea. Id ut ostenderetur, uncinos ei circumdedimus. Vide lib. II de Invent. cap. 6. DAV.

XXVIII. 1. *Defluxit.* Davis. Oliv. Schütz. et Neid. *deflexit.*

2. *Magnitudinem animi, patientiam prosequuta.* Vulgo *patientia prosequuta.* At vero Gebhardus ex Pall. suis (quibus accedit Gryph. probante Bruto) sententiam corrupit : non enim de *patientia*, sed de vita beata, patientiam reliquasque virtutes prosequente, fit sermo. Nos igitur lectionem reduximus, quam præstant Eliens. sec. Bak. editique veteres. DAV. — Ceteri Davisium sequuntur.

ad cruciatum profectis, resistet extra fores (ut ante
dixi), limenque carceris. Quid enim ea fœdius, quid
deformius sola relicta, comitatu pulcherrimo segre-
gata? Quod tamen fieri nullo pacto potest. Nec enim
virtutes sine beata vita cohærere possunt, nec illa
sine virtutibus. Itaque eam tergiversari non sinent, 81
secumque rapient ad quemcumque ipsæ dolorem
cruciatumque ducentur. Sapientis est enim proprium,
nihil, quod pœnitere[3] possit, facere, nihil invitum;
splendide, constanter, graviter, honeste omnia; nihil
ita exspectare, quasi certo futurum[4]; nihil, quum
acciderit, admirari, ut inopinatum ac novum acci-
disse videatur; omnia ad suum arbitrium referre; suis
stare judiciis. Quo quid sit beatius, mihi certe in
mentem venire non potest. Stoicorum quidem facilis 82
conclusio est: qui quum finem bonorum esse sense-
rint, congruere naturæ, cumque ea convenienter vi-
vere; quum id sit in sapiente situm[5], non officio so-
lum, verum etiam potestate; sequatur necesse est,
ut, cujus in potestate summum bonum, in ejusdem
vita beata sit. Ita fit[6] semper vita beata sapientis. Ha-

3. *Quod pœnitere possit.* A vulgo grammaticorum deceptus est Lambinus, quum rescribendum conjicit, « cujus pœnitere possit ». Altero enim modo loquuntur boni scriptores. Plautus Sticho act. I, sc. 1, vs. 50: « Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet ». Noster de Invent. lib. II, cap. 13: « Utrum id facinus sit, quod pœnitere fuerit necesse ». Vide nos ad Minutii Felicis cap. 28, pag. 141, ubi similis occurrit loquendi ratio. Davis.

4. *Quasi certo futurum.* MS Norvic. habet « quasi ex certo futurum ». Probe Valerius Maximus lib. VIII, cap. VII, 4 extern. « Pater ejus, Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit ». Seneca de Tranq. cap. 1: « Ubi aliquid occurrit aut indignum aut parum ex facili fluens ». Idem cap. 10: « Quoniam includi ex toto non patiuntur ». Vide et lib. I de Ira, cap. 12. Dav. In prima ed.

5. *Quum id sit in sapiente situm, non offi. solum, ver. et. potestate.* Sic codices exhibent: at tamen Lambinus corrigendum censuit « in sapientis situm, etc. » eumque Davis. Wolf. Scb. et Neid. sequuti sunt.

6. *Ita fit semper b.* J. V. *Leclerc* mallet « ita sit semp. b. »

bes, quæ fortissime de beata vita dici putem, et, quo modo nunc est, nisi quid tu melius attuleris, etiam verissime.

XXIX. Aud. Melius[1] equidem[2] afferre nihil possum; sed a te impetrarim libenter[3], nisi molestum sit, quoniam te nulla vincula[4] impediunt ullius certæ disciplinæ, libasque ex omnibus, quodcumque te maxime specie veritatis movet: quod paullo ante peripateticos, veteremque academiam hortari videbare, ut sine retractatione[5] libere dicere auderent, sapientes esse semper beatissimos; id velim audire, quemadmodum his putes consentaneum esse id dicere. Multa enim a te contra istam sententiam dicta sunt, et stoicorum ratione conclusa.

XXIX. 1. *Mel. equidem*... § 121 fin. Auditor Ciceronis contentus iis, quæ hucusque e Stoicorum principiis disputata sunt, scire jam avet, quomodo hæc eadem e Peripateticorum et Academicorum principiis elici possint et quomodo consentaneum sit his eadem dicere. Cicero non solum hoc ostendere promittit, sed etiam quomodo omnium philosophorum sententiis ac disciplinis conveniat dicere, virtutem efficere vitam beatam. Enumeratis igitur breviter (§§ 84, 85) philosophorum sententiis de summo bono, ostendit, ex singulorum sequi principiis, virtutem satis habere ad vitam beatam præsidii. Parvi enim pendunt ad unum omnes, adeo Epicurei, voluptates (§ 94—96), cibos delicatos (97—101), divitias (102), honores (103—105), exsilium (106—109), infirmitatem corporis, ut cæcitatem (110—115), surditatem (116, 117), contemnunt denique et mortem extremum omnium maiorum (117, 118). Probantur hæc quum argumentis tum exemplis. Epilogus (§ 119—121). Neid.

2. *Equidem*. Sic Reg. Pith. Med. et Bak. Vulgo *quidem*. Dav.

3. *Sed a te impetrarim libenter, nisi molestum sit*. Ven. 1491, et Froben. cum vulgg. habent « sed a te impetrare libenter velim, nisi molestum sit ». Petrens. « a te impetrari libenter velim ». Pal. tert. Fabric. « a te impetrarem libenter », sec. et Gryph. « a te impetrari libenter, ut, nisi molestum sit ». Sed vox illa *ut*, quam alii quoque ante *nisi mol. e.* addebant, manifeste παρέλκει, eamque recte prætermittunt Bak. aliique quidam codices. Dav. — Olivetus retinuit *ut*. Schütz. et Neid. deleverunt. Intell. sed quod ego non possum melius rationique convenientius afferre, tu certe poteris, nisi molestum sit.

4. *Te nulla vincula*. Tamquam Academicum, qui nulli certæ sectæ addictus est. Neid.

5. *Sine retractatione*. Dubitatione, recusatione. Neid.

Cic. Utamur igitur libertate, qua nobis solis in 83
philosophia licet uti; quorum oratio nihil ipsa judicat, sed habetur in omnes partes, ut ab aliis possit ipsa per sese, nullius auctoritate adjuncta[6], judicari. Et quoniam videris hoc velle, ut, quæcumque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen virtus satis habeat ad vitam beatam præsidii, quod quidem Carneadem[7] disputare solitum accepimus; sed is, ut contra stoicos, quos studiosissime semper refellebat, et contra quorum disciplinam ingenium ejus exarserat: nos illud quidem cum pace agemus. Si enim stoici fines bonorum recte posuerunt; confecta res est[8]: necesse est semper beatum
esse sapientem. Sed[9] quæramus unamquamque reli- 84
quorum sententiam, si fieri potest, ut hoc præclarum quasi decretum beatæ vitæ possit omnium sententiis et disciplinis convenire.

XXX. Sunt autem hæ[1] de finibus, ut opinor, re-

6. *Nullius auctoritate adjuncta.* Cl. Bentleio placet *adjuta*. Dav.

7. *Quod quidem Carneadem ... nos illud quidem cum pace agemus.* In hac lectione nihil est, quod me male habeat; nec equidem video, quid Lambinum impulerit, ut rescribendum censeret, « hoc quidem Carneadem disputare solitum accepimus ... nos autem illud cum pace agemus ». Receptam sane scripturam maximo consensu tuentur codices, nec mutationem quampiam res ipsa flagitat. Aliter tamen Ursino visum: quapropter reponit, « nos illius », vel « illorum cum pace agemus ». Quod quum facit, se loci mentem non percepisse declarat: vult enim Noster, se placide et absque nimio acturum fervore; quum Carneades violentius et iracundius se gesserit. Cl. autem Bentleius reponit, « nos illud quidem omnium pace agemus ». Dav.

8. *Confecta res est.* Non est opus uberiori argumentatione; in antecedentibus enim jam probatum est, tum semper beatum futurum sapientem.

9. *Sed quæramus.* Supple: sed quum nobis nunc incertum sit, an recte Stoici fines bonorum posuerint, videamus an ceteris sententiis philosophorum de finibus bonorum hoc præclarum de vita beata decretum possit convenire.

XXX. 1. *Hæ de finibus, ut opinor, retentæ, defensæque sententiæ.* Davisius scribit *hæc de fin. ... sententiæ.* Sic, inquit, Reg. Pithœan. Med. Pall. sec. quint. ac Vat. Ἀρχαικῶς. — Non inde sequitur hoc esse latinum.

tentæ, defensæque sententiæ: primum simplices quatuor: Nihil bonum, nisi honestum, ut stoici; Nihil bonum, nisi voluptas, ut Epicurus; Nihil bonum, nisi vacuitas[2] doloris[3], ut Hieronymus; Nihil bonum, nisi naturæ primis bonis[4] aut omnibus, aut maximis frui, ut Carneades contra stoicos disserebat. Hæc igitur simplicia; illa mixta. Tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut peripatetici, nec multo veteres academici secus; voluptatem cum honestate Dinomachus[5], et Callipho copulavit; indolentiam autem honestati peripateticus Diodorus adjunxit. Hæ sunt sententiæ, quæ stabilitatis aliquid habeant: nam Aristonis, Pyrrhonis, Herilli[6], nonnul-

2. *Voluptas ... vacuitas.* Ita Ern. reposuit e cod. Guelf. Alii, « voluptatem ... vacuitatem ».

3. *Doloris.* Vox hæc in vulgatis non comparet, nec eam codices agnoscunt. Nos illam ex editionibus Ascensii, Erasmi, aliisque veteribus cum Cl. Bentleio censuimus addendam. Dav. — Nempe Bentleius declarat se a Cicerone, *vacuitatem*, nullo adjuncto verbo, scriptum esse vel sexcentis librariis fidem non habiturum, adhibetque plurimos locos ubi Noster eamdem sententiam referens, semper dicit *vacuitatem doloris*, v. g. Fin. II, 5 bis in eodem capite, ibidem cap. 6, cap. 11, cap. 13; Fin. III, 2, ibid. cap. 9, cap. 15; Fin. IV, 18, cap. 11, cap. 13, cap. 14, cap. 25. Denique Fin. V, 5. Quid ergo? addit Bentleius, totiesne in uno de Finibus volumine plane extulerit *vacuitatem doloris?* hic in Tusculanis, ubi semel dumtaxat id memorat, *vacuitatem* modo dixerit, cujus autem rei divinandum lectori reliquerit? — *Doloris* Oliv. Ern. Schütz. et Neid. addiderunt.

4. *Nisi naturæ primis bonis.* Janus Gulielmius ex conjectura legebat, « nisi naturæ plurimis bonis ». Sed a scopo prorsus aberravit vir eruditus. *Prima naturæ* sunt sana mens, valitudo prospera, et si qua similia. Noster de Fin. lib. II, cap. xi. Acad. II, 42. « Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum ». Ea paullo ante nominarat « prima naturalia ». Idem lib. V, cap. 7: « Ab his alia, quæ prima secundum naturam nominant, proficiscuntur: in quibus numerant incolumitatem, conservationemque omnium partium, valitudinem, sensus integros, etc. » A. Gellius N. A. lib. XIII, cap. 5: « A veteribus philosophis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν appellata sunt, ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret ». Lucianus Βίων πράσει, tom. I, pag. 384: Περὶ τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν καταγινώσκομαι· λέγω δὲ πλοῦτον, ὑγιίαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Vide et Senecam Epist. LXVI. Dav.

5. *Dinomachus.* Man. Lamb. *Clitomachus*, et Man. paullo post *subtilitatis*, pro *stabilitatis*.

6. *Aristonis, Pyrrhonis, Herilli.*

lorumque aliorum evanuerunt. Hi quid possint obtinere[7], videamus, omissis stoicis : quorum satis videor defendisse sententiam.

Et peripateticorum quidem explicata causa est : præter Theophrastum[8], et si qui illum sequuti, imbecillius horrent dolorem, et reformidant. Reliquis quidem licet facere id, quod fere faciunt, ut gravitatem dignitatemque virtutis exaggerent. Quam quum ad cælum extulerint, quod facere eloquentes homines copiose solent : reliqua ex collatione[9] facile est conte-

Horum sententiis explicandis varia Ciceronis loca congessit Aldus nepos ad Offic. lib. I, cap. 2. Nos ex aliis auctoribus nonnulla proferemus. Nemo sane non novit, Pyrrhonem boni malique, veri falsique discrimen sustulisse. Aristonis mentem sic exponit Laertius lib. VII, § 160 : Ἀρίστων ὁ Χῖος . . . τέλος ἔφησεν εἶναι τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν πρὸς τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας, μηδὲ ἡντινοῦν ἐν αὐτοῖς παραλλαγὴν ἀπολείποντα, ἀλλ' ἐπίσης ἐπὶ πάντων ἔχοντα. Clem. Alex. Strom. II, p. 497 : Τί δή σοι Ἀρίστωνα καταλέγοιμι; Τέλος οὗτος εἶναι τὴν ἀδιαφορίαν ἔφη· τὸ δὲ ἀδιάφορον ἁπλῶς ἀδιάφορον ἀπολείπει. Hæc tamen clarius explicantem fas sit audire Tullium nostrum lib. II Acad. cap. 42 : « Aristo, quum Zenonis fuisset auditor, re probavit ea, quæ ille verbis, nihil esse bonum, nisi virtutem, neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium : in mediis ea momenta, quæ Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moveri, quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur. Pyrrho autem ea ne sentire quidem sapientem; quæ ἀπαθὴ nominantur ». Sic absurde Gruterus. Lege, *quæ ἀπάθεια nominatur;* ut habet MS Cantab. simul ac veteres editi. Herilli bonum sic effert idem Clemens verbis sequentibus : Ἢ τὰ Ἡρίλλου εἰς μέσον παράγοιμι; Τὸ κατ' ἐπιστήμην ζῆν, τέλος εἶναι τίθησιν Ἥριλλος. Lactantius Div. Inst. lib. III, cap. 7 : « Herilli summum bonum est scientia ». Vide et Epit. cap. XXXIII, pag. 76; Laertium, VII, 165, et Ambrosium Offic. lib. II, cap. II, n. 4. DAV.

7. *Hi quid possint obtinere.* Quatenus illud : beatam vitam virtute effici, e singulorum principiis defendi queat. NEID.

8. *Præter Theophrastum*, etc. Int. Ex iis, quæ hoc libro diximus, facile intelligi potest nostrum decretum de vita beata Peripateticorum doctrinæ convenire. Nam si ex iis tollas Theophrastum et ejus assectatores, qui nimium tribuunt dolori, quique ideo magnifice loqui de virtute non possunt quin sibi ipsi contradicant, ut supra ostendi, reliqui Peripatetici jure possunt dignitatem virtutis exaggerare : hoc iis ex eorum principiis licet.

9. *Ex collatione.* Κατ' ἀναλογίαν. ERN.—Ego potius crediderim, ex *collatione* esse : e notionum conjunctione. Peripatetici enim dicebant, gloriam esse petendam vel cum dolore, gloriam autem qui adepti sint beatos esse, gloriam autem non nisi virtute acquiri

rere atque contemnere. Nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam esse dicant[10], negare, eos esse beatos, qui illam adepti sint[11]. Quamquam enim sint in quibusdam malis; tamen hoc nomen beati longe et late patet.

86 XXXI. Nam ut quæstuosa mercatura, fructuosa
aratio dicitur, non si altera semper omni damno, al-
tera omni[1] tempestatis calamitate semper vacat[2]; sed
si multo majore ex parte exstat in utraque felicitas:
sic vita, non solum si undique referta bonis est, sed
si multo majore et graviore ex parte bona propen-
87 dent[3], beata recte dici potest. Sequetur igitur horum[4]
ratione vel ad supplicium beata vita virtutem, cum-
que ea descendet in taurum, Aristotele, Xenocrate,
Speusippo, Polemone auctoribus, nec eam minis[5] aut
blandimentis corrupta deseret.

posse, ergo virtutem efficere vitam beatam. Neid. — Nec hic, nec ille verum vidit, si quid sapimus : *ex collatione*, est ex comparatione virtutis, cum ceteris iis quæ bona dicuntur, et ostendendo quanta sit virtutis excellentia. Atqui hoc maxime faciunt Peripatetici. Revoca in memoriam lancem Critobuli.

10. *Petendam esse dicant.* Sic Reg. Pithœan. et Med. Vulgo *dicunt*. Dav. — Davisium Schütz. et Neid. sequuntur.

11. *Sint.* Ita Ern. dedit. Ceteri *sunt* retinuerunt.

XXXI. 1. *Omni tempestatis calamitate.* Vulgo *omnis*. At omnino sequendus est Ursini MS, quod etiam Cl. Bentleio videbatur. Dav.

2. *Semper vacat.* Vulgo *vacet*. Sed alterum volunt Reg. Pithœan. Med. Ursin. et Petrens. Recte quidem; hic enim, ut in ceteris, postulatur indicandi modus. Dav.

3. *Propendent.* Præponderant. Ern. — Cf. § 51.

4. *Horum* (Sc. Peripateticorum) *ratione*. Primus Gebhardus edidit *bonorum* ex conjectura Andreæ Schotti : præsertim quum in codicibus invenisset *honorum*. Nihil potuit deterius. Quid enim illi *boni*? aut quæ *bona*? Priores editiones cum tuo codice *horum ratione* : id est, Peripateticorum, quorum opiniones jam recenset. Rectissime. — Ita Bentleius, quem Davis. et ceteri sequuntur.

5. *Minis aut blandimentis.* Quum vulgo scriberetur « nec eam minimis blandimentis » Bentleius observavit : « Quid si non *minimis*, sed maximis et potentissimis blandimentis tentetur; an tum *deseret*? Quid autem? an solis blanditiis apud Phalaridis taurum res agitur : nihil ibi minarum, nihil terroris? Vides jam, opinor, vulgatæ lectionis pravitatem. Tu lege meo periculo : *Nec etiam minis aut blandi-*

Eadem Calliphontis erit Diodorique sententia: quorum uterque honestatem sic complectitur, ut omnia, quæ sine ea sint, longe et retro ponenda censeat. Reliqui habere se videntur angustius[6]; enatant tamen : Epicurus, Hieronymus, et si qui sunt, qui desertum illum Carneadem[7] curent defendere. Nemo est enim, quin eorum bonorum[8] animum putet esse judicem, eumque condocefaciat, ut ea, quæ bona malave videantur, possit contemnere. Nam quæ tibi Epicuri vi- 88
detur[9], eadem erit Hieronymi et Carneadis causa, et hercle omnium reliquorum. Quis enim parum est contra mortem, aut dolorem paratus? Ordiamur ab eo, si placet, quem mollem, quem voluptarium dicimus.

Quid ? is tibi mortemne videtur, an dolorem timere ? qui eum diem, quo moritur, beatum appel-

mentis corrupta deseret? »—Bentleium Davisius non sequutus est in edendo contextu, quamquam ei in notis assentietur. Non ite timidi fuerunt Ern. Wolf. Schütz. et Neid.

6. *Habere se videntur angustius.* Pluribus difficultatibus urgentur. Ern. — Mox *enatant*, difficultatem superant.

7. *Desertum illum Carneadem.* Vulgo *disertum*. Nos, Grutero Bentleioque probantibus, Reg. Pithœan. Med. Pali. tres, aliosque bonæ notæ MSS sequimur. Dav. — Idem dederunt Buber. Ern. Schütz. et Neid. Cf. Fin. IV, 18, «illos etiam si qui Carneadeum finem tueri volunt ». — *Desertum*. Quia ejus sententiam de summo bono nemo Academicorum post eum defendit. Neid.

8. *Nemo est enim, quin eorum bonorum*, etc. Davisius scribit *qui*, non *quin*, notetque : Hæc ita leudet Nonius in *condocefacere*, et ite dent vulgeti. Sed illius et codicum euctoritas non facit, ut mendosa non esse credem, quum rei, quam vult Cicero, plane repugnent : si enim bonorum animum non putant esse judicem ; cur eum, quæso, ea, quæ bona maleve videantur, docent contemnere? Id vidit Lambinus, adeoque legit, « quin eorum bonorum «. Cl. eutem Bentleius reponit «quin verorum bonorum », oppositione fecte eum seqq. « quæ bone malave videantur ». Ego sane totum locum sic restituendum puto, « nemo est enim eorum, qui bonorum enimum non putet esset judicem ». Particulam negantem suppeditavit Eliens. sec. levem vero illam transpositionem fecimus conjectura freti, ea tamen, quam, nisi fellor, Tullii mens efflagitat. — Wolf. Schütz. et Neid. scribunt « Nemo enim est, quin bonorum enimum, etc. »

9. *Nam quæ tibi Epicuri videtur.* Davisius e codd. Reg. Pith. Peil. tribus, Fabric. et Vatic. scribit « Nem quod tibi Epicurne videtur ».

lat, maximisque doloribus affectus, eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat [10]: nec hæc sic agit, ut ex tempore [11] quasi effutire videatur. De morte enim ita [12] sentit, ut, dissoluto animante, sensum exstinctum putet; quod autem sensu careat, nihil ad nos id judicet pertinere. Item de dolore certa habet, quæ sequatur; quorum [13] magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate [14].

10. *Eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat.* *Compensat* habet MS, Ursino teste. Quod si ita se res haberet, dubium non esset, quin Epicuri verbo τῷ ἀντιπαρατάττειν probe responderet: quum ita verterit Noster Fin. II, 30. Sed in multis laborat hominis fides, nec alius quisquam librum manu exaratum vidit qui talem dederit lectionem. Eo fit ut verear, ne conjecturæ, non codici, debeatur. Utcumque sit, mihi recepta scriptura facit satis; haud enim opus erat, ut verbum verbo redderet Tullius. *Confutare* est reprimere, sedare, rejicere. Sic Titinius apud Nonium in *confutare*: « Cocus magnum ahenum, quando fervit, paulla confutat trua ». Non *commovet*, ut inepte Grammaticus iste. Cato apud A. Gellium, VII, 3: « Ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet ». Noster supra lib. II, cap. 22: « Refutetur ac rejiciatur Philocteteus ille clamor ». Vide et Cl. Fabricium tom. III; Cod. Apocr. N. T. pag. 575, et Arrianum Epict. lib. IV, cap. 1. Locum, quem Noster in animo habuit, partim protulimus ad lib. II, cap 18, partim ad hujusce libri cap. 26. DAV. — Bentleius *confutat* contendit ab oscitantibus librariis ortum esse, defenditque *compensat* tum loco Fin. II, 30, supra a Davisio laudato, tum duobus aliis locis, a primo non distantibus: « compensabatur, inquit, cum summis doloribus lætitia » et « rationes tuas te video compensare cum istis doloribus ».

11. *Ex tempore quasi effutire. Effutire*, inepte et inconsulte loqui. Horatius « Effutire leves indigna tragœdia versus ». Nonius *effutire* exponit pro dicere cum mendacio, advocatque hoc M. Tullii ex Tusc. testimonium. BEROALD. — Sensus, nec ea dicit Epicurus, ut ostentet fortitudinem suam; nam cum his verbis consentiunt ceteræ ejus opiniones de morte, de dolore.

12. *Ita sentit.* Sic Ern. Wolf. Davisio non repugnante. Vulgo *ista sentit.* Epicurus apud Diogenem Laertium, X, 125: Τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ἐπειδήπερ ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν· ὅταν δὲ ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. Et § 139. Plura congessit Æg. Menagius ad ejusdem libri § 124. Latine sic reddit Lactantius: « quando nos sumus, mors non est; quando mors est, nos non sumus; mors ergo nihil ad nos ».

13. *Quorum.* Davis. et Oliv. et Neid. Bentleio auctore *cujus.*

14. *Levitate.* Sic Pearc. Ern. Wolf. it. MS Guelf. Schütz. et Neid. Vulgo *lenitate.* Noster de Fin. lib. II, cap. 7: « Jam doloris medicamenta illa Epicu-

Quid tandem isti grandiloqui[15] contra hæc duo, quæ maxime augunt, melius habeut, quam Epicurus? 89

XXXII. An ad cetera, quæ mala putantur, non et Epicurus, et reliqui philosophi satis parati videntur? Quis[1] non paupertatem extimescit? Neque tamen quisquam philosophorum[2]. Hic vero ipse quam parvo est contentus? Nemo de tenui victu plura dixit. Etenim quæ res[3] pecuniæ cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis sumptibus copiæ suppetant: quum procul ab iis omnibus rebus absit, cur pecuniam magnopere desideret, vel potius[4] curet omnino? An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pe- 90
cuniam ducere; nostrates philosophi facere non poterunt[5]? Illius epistola fertur his verbis: « Anacharsis Hannoni[6] salutem. Mihi amictui est, Scythicum te-

rea tamquam de narthecio promant, si gravis, brevis; si longus, levis ». Ibid. I, 12. Vide Diogenem Laertium, X, 149, aliosque plurimos.

15. *Quid tandem isti grandiloqui.* Davis. scribit « qui tandem ... melius se habent », notatque: Vulgo « quid tandem? i. grandiloqui m. se habent ». Sed multo concinnior est ea lectio, quam suppeditarunt Reg. Pithœan. Balliol. et Bak. quamque sequendam duximus. Nihil dicit Davisius de lect. *se habent.* — *Grandiloqui.* Stoici, qui magnifice de virtute loquebantur. Enn.

XXXII. 1. *Quis*, reliquorum hominum.

2. *Neque tamen quisquam philosophorum.* Supple *eam extimescit.* Lambinus reponit, « neque tamen non quisquam philosophorum ». Conjectura non arridet, quum rei, de qua agitur, non conveniat, ut quisquam philosophorum paupertatem timeat: nunc enim probat Cicero, virtutem, juxta omnes disciplinas, ad vitam beatam constituendam satis habere præsidii. D.

3. *Etenim quæ res*, etc. Int. etenim quum procul ab iis omnibus rebus absit, quæ pecuniæ cupiditatem afferunt, scilicet amore, ambitione, quotidianis sumptibus, cur pecuniam desideret?

4. *Vel potius curet omnino?* Davis. e Reg. Eliens. Petreus. et Med. scripsit « vel potius cur curet omnino », eumque Wolf. Schütz. et Neid. secuti sunt.

5. *Facere non poterunt.* Ita fere omnes Lambini libri et Pall. pr. quint. Vatic. secundumque hos Lamb. et Gebhard. Davisius autem dedit *potuerunt* e Reg. Pith. Med. sequentibus Wolf. et Schütz. Vox autem *facere* Manutio Bentleioque glossematis suspecta fuit, a Davisioque uncis inclusa.

6. *Anacharsis Hannoni.* Græce sic legitur inter Epistolas Genevæ editas, pag. 349: Ἀνάχαρσις Ἄννωνι. Ἐμοὶ μὲν περίβλημα, χλαῖνα Σκυθική· ὑπόδη-

gmen [7]; calciamentum, solorum [8] callum; cubile, terra;
pulpamentum, fames [9] : lacte, caseo, carne vescor.
Quare ut ad quietum me licet venias. Munera autem
ista, quibus es delectatus [10], vel civibus tuis, vel diis
immortalibus dona. »

Omnes fere philosophi omnium disciplinarum, nisi
quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, eodem
91 hoc animo esse potuerunt. Socrates [11], in pompa
quum magna vis auri argentique ferretur, « Quam

μα, δέρμα ποδῶν· κοίτη δὲ πᾶσα γῆ· δεῖπνον καὶ ἄριστον, γάλα καὶ τυρὸς καὶ κρέας ὀπτόν· πιεῖν, ὕδωρ. Ὡς οὖν ἄγοντός μου σχολὴν, ὧν οἱ πλεῖστοι ἕνεκεν ἀσχολοῦνται, παραγενοῦ πρός με, εἴ τινά μου χρείαν ἔχεις· δῶρα δὲ, οἷς ἐντρυφᾶτε, ἀντιδωροῦμαί σοι· ὑμεῖς δ᾽ ὅσοι Καρχηδονίων, εἰς χάριν τὴν ἀνίθεσθε θεοῖς. Ultima verba, si modo sana sunt, versioni Tullianæ non conveniunt, qua de re vide Petr. Victorium Var. Lect. XV, 19. A Cicerone πιεῖν, ὕδωρ non transferuntur; contra nihil est in Græcis, quo *pulpamentum*, *fames* denotentur. Ad ineuntem hanc Epistolam respicit Clemens Alexandrinus Strom. I, pag. 364 : Οὗτος (Ἀνάχαρσις), inquit, ἦν ὁ παρ᾽ Ἕλλησι θαυμασθεὶς, ὁ φήσας, Ἐμοὶ περίβλημα χλαῖνα· δεῖπνον, γάλα, τυρός. Dav.

7. *Scythicum tegmen*. Davis. scribit *tegimen*, notatque : Sic Reg. Pithœan. et Med. Erat ex pellibus confectum. Justinus de Scythis, lib. II, cap. 2 : « Lanæ iis usus ac vestium ignotus... pellibus tamen ferinis aut murinis utuntur ». Vide et Senecam Epist. 90. Davis.

8. *Solorum callum*. *Solum* pedis denotat plantam. Varro de Re R. lib. I, cap. 47 : « Solum enim hominis, exitium herbæ, et semitæ fundamentum ». Lucretius lib. I, 925 : « Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo ». Eadem repetit IV, 1. Lactantius de mort. Pers. cap. 21 : « Donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur ». Vide etiam Prudentium Perist. VII, 65; Cathem. III, 129, ac Isidorum Orig. lib. XI, cap. 1. Dav.

9. *Pulpamentum*, *fames*. D. Lambinus reponendum conjecit *pulmentum* : ac ita quidem Pal. sec. et Petrens. nec aliter edidit Erasmus. Quum tamen et *pulpamentum* vox sit proba, quam plures, iique optimi, MSS præstant, cur vulgatam lectionem moveamus, haud equidem video. Adi J. F. Gronovium ad Justini lib. III, cap. III, 7. De re ipsa legendus Horatius Serm. lib. II, Eclog. II. Dav.

10. *Quibus es delectatus*. Lambino placet *delicatus*. vel *deliciatus*, ut in Græcis οἷς ΕΝΤΡΥΦΑΤΕ. Et in Petrensi quidem nostro *delicatus* legitur. Quidam etiam *quibus deliciaris*. Dav.

11. *Socrates, in pompa*. Paullo aliter Laertius, II, 25 : Πολλάκις δ᾽ ἀφορῶν (Σωκράτης) εἰς τὰ πλήθη τῶν πιπρασκομένων, ἔλεγε πρὸς αὑτὸν, Πόσων ἐγὼ χρείαν οὐκ ἔχω; At cum nostro facit Philo Judæus in libro, « quod Deus sit immutabilis », pag. 245, ed. Genev. licet Socratem nomine non appellet. Dav.

multa non desidero! » inquit. Xenocrates, quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta [12] attulissent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præsertim, maxima, abduxit legatos ad cœnam in Academiam; iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu. Quum postridie rogarent eum, cui numerari juberet : « Quid? vos hesterna, inquit, cœnula non intellexistis, me pecunia non egere? » Quos [13] quum tristiores vidisset, xxx minas [14] accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur. At vero Dioge- 92
nes liberius, ut cynicus [15], Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset [16], « Nunc quidem paullulum, inquit, a sole [17] ». Offecerat videlicet apricanti. Et

12. *Quinquaginta ei talenta.* Talentorum numerum non ponunt Valerius Maximus lib. V, cap. III, 3, ext. et Diogenes Laertius lib. IV, § 8. At, quod observavit Æg. Menagius, *triginta* fuisse talenta dicunt Hesychius Milesius et Suidas, quum Plutarchus vit. Alex. pag. 668, et de fort. Alex. pag. 331, *quinquaginta*, sicut et Cicero, memorat. Addatur Themistius, qui in eumdem censum venit Orat. II, pag. 26, et Orat. XXI, pag. 252. Stobæus Serm. V, p. 74 : Οὐ δέομαι ταλάντων ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ. In Hesychiano libro Λ τάλαντα pro N dedit vel ipse scriptor vel librarius; et ia in Suidam manavit error. Dav. — Talentum Atheniensium pondere æquabat 54 libras et 11 uncias argenti (ponderibus Parisiensibus) secundum rationem adhibitam in *Mémoires de l'Académie des Belles-Lettres*, tom. VIII, pag. 399. J. V. L.

13. *Quos quum tristiores.* Vulgo *quod.* Id perperam Gebhardus, ut solet, invexit. Nos igitur lectionem, quam præstant Eliens. sec. Med. Balliol. et Petrens. reducendam curavimus. Dav.

14. *XXX minas*, partem dimidiam talenti.

15. *Ut cynicus.* Liberior, quales cynici esse solent. Neid.

16. *Si quid opus esset.* Vulgo *si queis*, quod durpm. Alii, « si quid sibi », nonnulli « si quid ei, opus esset ». Utraque vocula manavit a librariis, pronomen, quod deesse censebant, infercientibus. Nos igitur Pall. pr. tert. quint. Fabric. Reg. Pithœan. Med. Balliol. et Petrens. sequimur. Davis.

17. *Nunc quidem paullulum, inquit, a sole.* Fabric. et Cantabr. « nunc quidem paullulum, inquit, a sole abscede ». Ven. 1491, Froben. aliæque multæ, *a sole absis*; unde Janus Gulielmius conjecit, *a sole abisis* : sed operam lusit vir eruditus, quum illa vox pro glossemate sit habenda, et in plurimis MSS non compareat. Eam igitur in suis editt. merito deleverunt Petr. Victorius et D. Lambinus. Ad historiam quod attinet, sic Plutarchus

hic quidem disputare solebat[18], quanto regem Persarum vita fortunaque superaret. Sibi nihil deesse; illi nihil satis umquam fore: se ejus voluptates non desiderare, quibus numquam satiari ille posset; suas eum consequi nullo modo posse.

93 XXXIII. Vides[1], credo, ut Epicurus cupiditatum genera diviserit, non nimis fortasse subtiliter[2], utiliter tamen: partim esse naturales[3] et necessarias; partim naturales, et non necessarias; partim neutrum: necessarias satiari posse pæne nihilo; divitias enim naturæ, parabiles esse; secundum autem genus cupiditatum, nec ad potiendum difficile esse censet, nec vero ad carendum: tertias, quod essent plane inanes, neque necessitatem modo[4], sed ne naturam quidem
94 attingerent, funditus ejiciendas putavit. Hoc loco

περὶ φυγῆς, tom. II, pag. 205: Ἄδοξός ἐστι Διογένης, ὃν ἰδὼν Ἀλέξανδρος ἐν ἡλίῳ καθήμενον, ἐπιστὰς ἠρώτησεν, εἴ τινος δεῖται· τοῦ δὲ μηθὲν, ἀλλ' ἢ σμικρὸν ἀποσκοτίσαι κελεύσαντος, ἐκπλαγεὶς τὸ φρόνημα, etc. Dion Chrysostomus Orat. IV, pag. 61: Καὶ ὃς (Διογένης) ἀνέβλεψε πρὸς αὐτὸν (Ἀλέξανδρον) γοργὸν, ὥσπερ οἱ λέοντες, καὶ ἐκέλευσεν ἀποστῆναι σμικρόν· ἐτύγχανε γὰρ ἀλεαινόμενος πρὸς τὸν ἥλιον. Hæc addantur iis, quæ laudat Æg. Menagius ad Diogenis Laertii lib. VI, pag. 139. Davis.

18. *Disputare solebat, quanto regem Persarum.* Cf. Basilius Hom. XXIV, pag. 583. Vide et Dionem Chrysostomum Orat. VI, pag. 93 seqq. Dav.

XXXIII. 1. *Vides. Videre* hoc loco est pro *scire*, *noscere*.

2. *Non nimis fortasse subtiliter.* Cf. de Fin. B. et M. lib. II, cap. 9, ubi eamdem cupiditatum divisionem reprehendit. Neid.

3. *Partim esse naturales*, etc. Epicurus ἐν κυρίαις δόξαις, apud Diogenem Laertium lib. X, pag. 302: Τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ, καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι· αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ, οὔτε ἀναγκαῖαι, ἀλλὰ παρὰ κενὴν δόξαν γινόμεναι. Recte supplet H. Stephanus Lex. Cic. pag. 53: Αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ, καὶ ἀναγκαῖαι· αἱ δὲ φυσικαὶ, καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι. Bene multos auctorum locos, qui ad hanc divisionem respiciunt, suppeditabit Æg. Menagius Comment. pag. 282. Dav.

4. *Neque necessitatem modo, sed ne naturam quidem attingerent*, etc. D. Lambino videtur legendum, « neque non necessitatem modo », vel « neque modo non necessitatem ». Sed hac aut illa conjectura nihil opus, quum altera particularum negantium, quod vidit etiam Fr. Fabricius, haud raro subaudiatur. Adi nos ad lib. II, cap. 5. Dav. — *Neque necessitatem ... attingerent.* Quæ neque sunt necessariæ, neque naturales. Neid.

multa ab Epicureis disputantur, eæque voluptates
singillatim[5] extenuantur; quarum genera non con-
temnunt; non quærunt[6] tamen copiam. Nam et obs-
cœnas voluptates, de quibus multa ab illis habetur
oratio, faciles, communes, in medio sitas esse dicunt:
easque si natura requirat, non genere, aut loco, aut
ordine, sed forma, ætate, figura metiendas putant;
ab iisque abstinere minime esse difficile, si aut vali-
tudo, aut officium, aut fama postulet; omninoque
genus hoc voluptatum optabile esse, si non obsit;
prodesse[7] numquam: totumque hoc de voluptate sic 95
ille præcipit[8], ut voluptatem ipsam per se, quia vo-
luptas sit, semper optandam expetendamque putet;
eademque ratione dolorem ob id ipsum, quia dolor
sit, semper esse fugiendum. Itaque hac usurum com-
pensatione[9] sapientem, ut voluptatem fugiat, si ea
majorem dolorem effectura sit, et dolorem suscipiat,
majorem efficientem voluptatem; omniaque jucunda,
quamquam sensu corporis judicentur, ad animum re-
ferri tamen. Quocirca corpus gaudere tam diu, dum 96

5. *Singillatim*. Schütz. et Neid. *singulatim*.

6. *Non quærunt tamen copiam*. Vulgo abest *non*, quod Bentleius ex conjectura addidit; quum videret, *tamen* hoc loco ineptum esse, si nulla adfuret negatio, quia inter *non contemnere* et *quærere* nulla sit oppositio. Eum Ern. Schütz. et Neid. sequuti sunt. Buherius conjicit « hæreut tamen quippiam ».

7. *Omninoque genus hoc voluptatum optabile esse, si non obsit; prodesse numquam*. Amicus nescio quis Ursini legebat *prodesse nonnumquam*. Imperite. Diogenes Laertius, X, 118: Συνουσία δὲ ὤνησε μὲν ΟΥΔΕΠΟΤΕ, ἀγαπητὸν δὲ εἰ μὴ καὶ ἔβλαψεν. Ibi Menagius plura. Dav.

8. *Sic ille præcipit*. Vulgo *præcepit*. Male; nam sequitur, « ut voluptatem ipsam per se ... semper optandam ... putet ». Nos igitur ipsa latinitate moti, MSS Reg. Pithœan. Med. Petr. et Bak. paruimus. Dav. — Idem dederunt Schütz. et Neid.

9. *Itaque hac usurum compensatione*. Epicurus in epistola ad Menœceum: Ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται· καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ πολὺν χρόνον ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας. Exstat apud Laertium lib. X, § 129. Dav.

34.

præsentem sentiat[10] voluptatem; animum et præsentem percipere pariter cum corpore, et prospicere venientem, nec præteritum præterfluere sinere. Ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, quum exspectatio[11] speratarum voluptatum, perceptarum memoriæ jungeretur.

97 XXXIV. Atque iis similia ad victum etiam transferuntur, extenuanturque magnificentia et sumptus epularum, quod parvo cultu natura contenta sit. Etenim quis hoc non videt, desideriis ista condiri omnia? Darius in fuga[1], quum aquam turbidam, et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit umquam se bibisse jucundius : numquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemæus ederat : cui quum peragranti[2] Ægyptum, comitibus non consequutis, ciba-

10. *Dum præsentem sentiat voluptatem*. Ita Cl. Bentleius. Vulgo *sentiret*. Dav. — Idem scribi voluerunt Buher. Ern. Schütz. Oliveto et Neid. vulgatam retinentibus.

11. *Quum exspectatio speratarum voluptatum, perceptarum memoriæ jungeretur*. Antiquissimam hanc scripturam edidit Victorius, neque improbat Lambinus; mavult tamen « quum exspectatio speratarum, perceptarum memoriæ jungeretur », seu « cum p. memoria pingitur ». Sed non est necesse invitis libris latas exordiri curationes : ut edimus habent quoque Pall. 3, 4, 5, Fabr. Vatic. Vulgo « quum exspectationi speratarum, perceptarum memoria jungeretur ». Palat. secund. « quum exspectatione speratarum ». Gern. — Auctore Bentleio, scripsit *jungetur* Davisius : idem observat : Siquidem vero Pal. sec. Med. et Bak. exhibent « quum exspectatione speratarum voluptatum, perceptarum memoria jungeretur »; scribi queat « quum exspectationi speratarum voluptatum, perceptarum memoria jungeretur », ut Ascensius aliique plures ediderunt.

XXXIV. 1. *Darius in fuga*, etc. Maximus Tyrius Dissert. XXXV : Ἀρταξέρξης ὁ Περσῶν βασιλεὺς ... ἐπεὶ πόλεμος αὐτῷ ἐκ θαλάττης ἦλθε, καὶ Ἕλληνες μύριοι, καὶ στρατηγοὶ δεινοί, ἡττηθεὶς ἔφυγεν ἐπὶ ψιλὸν λόφον, ὅπου τῆς νυκτὸς ἀναπαυσάμενος, ἐδίψησεν ὁ δύστηνος πρῶτον τότε ... καὶ ἠγάπησε παρὰ ἀνδρὸς Μάρδου λαβὼν ἐν ἀσκῷ ὕδωρ ὀδωδός· καὶ τότε ἄρα ὁ δείλαιος ἔγνω, τίς μὲν δίψης χρεία (sic ex MS Reg. legendum, non ἡδονῆς χρεία, ut vulgg.) τίς δὲ ἡδονὴ ποτοῦ. Eadem plane est historia : sed quod Dario Noster, id Artaxerxi philosophus Platonicus adscribit, ut vel hic, vel ille memoria sit lapsus. Vide et Plut. in Artax. tom. I, pag. 1017 et Apophth. tom. II, pag. 174. Dav.

2. *Cui quum peragranti Ægyptum ... cibarius in casa panis datus esset.*

rius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. Socratem ferunt, quum usque ad vesperum[3] contentius ambularet, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se, quo melius
cœnaret[4], opsonare ambulando famem. Quid? victum 98
Lacedæmoniorum in phiditiis[5] nonne videmus? Ubi quum tyrannus cœnavisset[6] Dionysius, negavit se jure

Panis cibarius est villor. Isidorus Orig. lib. XX, cap. 2 : « Panis eibarius est, qui ad eibum servis datur, nec delieatus ». Celsus Medie. lib. II, cap. 18 : « Infirmissimus, cibarins panis ». Et cap. 29 : « At alvum movent panis fermentatus, magisque si eibarius vel bordeaceus est; brassica, etc. » Apuleius Metam. VI, pag. 184 : « Frusto eibarii panis ei projecto ». Et pag. 191 : « Cibario pane eontenta ». Ita persæpe loquitur Hieronymus; at exemplorum satis. Quod autem Nonius in *cibarium* repræsentet, « cui quum peregrinanti Ægyptum »; Lambin. Aldus nepos et Fabricius apud Nostrum rescribunt, « cui quum peregrinanti ... cibarius in casa panis datus esset ». Iis accedit Car. Langius ad Offic. lib. III, cap. 1. Hoc autem nullo prorsus judicio factum est : quo enim jure delent Ægyptum, quam vocem tam Nonii quam Ciceronis agnoscunt codices? apud illum vero librariis debetur, quod *peregrinanti*, non *peragranti*, legas. Vide infra cap. 39. Dav.

3. *Usque ad vesperum*. Nonius a Gotbofredo publicatus in v. *contentum* dat *usque ad Piræeum*. Omnes vero Tullii codices vulgatam tuentur; nec aliter Jos. Mercerus edidit. Dav.

4. *Se, quo melius cœnaret*. Athenæus lib. II, pag. 157, E. Σωκράτης δὲ πολλάκις κατελαμβάνετο διαπεριπατῶν ἑσπέρας βαθείας πρὸ τῆς οἰκίας· καὶ πρὸς τοὺς πυνθανομένους τί ποιεῖ καὶ, ἔλεγεν ὄψον συνάγειν πρὸς τὸ δεῖπνον. Cf. Xenophon Memor. lib. I, cap. III, 5. Porphyrius de Abstin. lib. III, cap. 26 : Σωκράτης ὄψον τροφῆς τὸ πεινῆν ἔλεγεν. Vide et lib. II de Fin. cap. 28, ac Scholiasten ad Horatii lib. II, Serm. II, 20. Dav.

5. *Phiditiis*. Petreus. *in philitiis*, parique modo apud alios auctores scribitur hoc nomen; sed veriorem esse alteram rationem clare patet ex Plutarchi tom. I, pag. 45. Davis. — Si quidem *philitiis* habent plerique manu exarati codices, in iisque Regius et Lugdunenses duo, mea vetus editio, Aldina, aliæque nonnullæ, retinenda fuerat ea vox, non temere extrudenda. Et vero Joan. Meursius, Misc. Lacon. I, 4, auctores laudat non paucos, qui convivia hæc Lacedæmoniorum vocarunt φιλιτία, et hoc nomen a φιλία ductum putaverunt. Adjungere poterat compositorem Etymologici Magni *verbo* συσσίτιον. Bumer. — Et Schütz. et Neid. dederunt *philitiis*. Phiditiæ cœnæ erant publicæ a Lycurgo institutæ : qui iis non aderant, omni munere in republica carere debebant.

6. *Ubi quum tyrannus cœnavisset Dionysius*. Ad historiam quod spectat, vid. Stobæus, Serm. XXIX, pag. 208, et Plutarchus Inst. Lacon. tom. II, pag. 236. Videmus autem Ciceronem ab his scriptoribus dissentire; quod etiam dudum notavit Petr. Victor. Var. Lect. lib. IV, c. 19. Dav.

illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat : Minime mirum ; condimenta enim defuerunt. Quæ tandem, inquit ille ? Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota[7], fames, sitis : his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.

Atque hoc non ex hominum more solum, sed etiam ex bestiis intelligi potest, quæ, ut quidquid objectum est[8], quod modo a[9] natura non sit alienum, eo con-
99 tentæ non quærunt amplius. Civitates quædam universæ, more doctæ, parcimonia delectantur, ut de Lacedæmoniis paullo ante diximus. Persarum a Xenophonte victus exponitur : quos negat ad[10] panem adhibere quidquam, præter nasturtium. Quamquam, si quædam etiam suaviora natura desideret, quam

7. *Ab Eurota*. Davisius scribit *ad Eurotam*. Ita, inquit, doctissimus Bentleius : Eurotas enim sub ipsis prope Spartæ mœnibus fluit. Vide Chr. Cellarium Geogr. lib. II, cap. 13, pag. 768. — Schütz. et Neid. cum Davisio faciunt. In prima ed. Davis. notaverat se in vv. « labor in venatu ...sitis », versum octonarium e veteri poeta desumptum videre.

8. *Ut quidquid objectum est*. Aut *ut* abundat, aut pro *quidquid* legendum *quid :* aut *quidquid* hic accipiendum pro *quidque*, ut apud Lucretium lib. III : « Inque suos quidquid rursus revocare meatus » ; lib. IV, « Semper enim summum quidquid de rebus abundat » ; et lib. V : « Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas In medium ». Possem ex oratoribus loca recitare : sed ego, in latinis locutionibus ubi quid ejusmodi occurrit, quod sine exemplorum comprobatione durius videatur, libentius poetarum utor auctoritate quam oratorum : sunt enim poetæ certiores latinæ linguæ testes, propterea quod metri ratio facit, ut immutationi non tam facile locus sit, quod in oratoribus contra videamus. P. Manut. — Lego, « ut quid objectum est, dummodo », prout Eliens. sec. vel « quod a natura non sit alienum », quemadmodum Vatic. exhibet. Possis etiam « ut quid objectum est ; modo a natura non sit alienum ». Lucretio quidem, quod notavit Manutius, *quidquid* idem est ac *quidque ;* sed id locum hic non habet. Vide nos ad lib. IV, cap. 19. Dav.

9. *A natura*. Alii illud *a* ignorant.

10. *Quos negat ad panem*. Hoc tradit Xenophon Cyropæd. lib. I, cap. 2, § 8. Hieronymus in Jovin. lib. II, pag. 367 : « Persarum regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta et cardamo et sale ac pane cibario eos asserens victitare ». Vide sis eumdem in Danielis cap. 7 ; Nostrum de Fin. lib. II, cap. 28, et Strabonem lib. XV, pag. 1067. Quibus autem de causis arriserit nasturtium, docebit Suidas in κάρδαμα. Dav.

multa ex terra arboribusque gignuntur, quum copia facili[11], tum suavitate præstantia?

Adde siccitatem[12], quæ consequitur hanc continentiam in victu; adde integritatem valitudinis. Con- 100
fer sudantes, ructantes, refertos epulis, tamquam opimos boves: tum intelliges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi; jucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate.

XXXV. Timotheum[1], clarum hominem Athenis, et principem civitatis, ferunt, quum cœnavisset apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse: « Vestræ quidem cœnæ[2] non solum in præsentia, sed etiam postero die jucundæ sunt ». Quid, quod ne mente quidem recte uti possumus, multo cibo, et potione completi? Est præclara epistola Platonis ad Dionis[3] propinquos; in qua scriptum est his fere verbis: « Quo quum[4] ve-

11. *Quum copia facili.* Davis. e Bentleii conjectura scribit *facilia*. *Facili*, inquit, si retineatur, post reponendum *præstanti*, quemadmodum fecit D. Lambinus. — Bentleii J. V. *Leclerc* damnat emendationem.

12. *Siccitatem.* Quum corpus nimirum humoribus noxiis non est repletum. Neid.

XXXV. 1. *Timotheum.* Timotheus filius erat Cononis. Tanti viros doctos et literatos faciebat dux ille laude militari inclytus, ut æneam statuam Isocrati posuerit; cui statuæ lepidum epigramma inscriptum est, a Plutarcho citatum in vita Isocratis.

2. *Vestræ quidem cœnæ.* Duplex erat fama, quod patet ex Athenæo, lib. X, pag. 419: Τιμόθεος, inquit, ὁ Κόνωνος ... ἀφελῶς καὶ μουσικῶς ἔφη, ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνοῦντες, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς γίνονται· Ἡγήσανδρος δὲ ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἔφη, ὡς καὶ τῇ ὑστεραίᾳ ὁ Τιμόθεος ἀπαντήσας τῷ Πλάτωνι εἶπεν, Ὑμεῖς, ὦ Πλάτων, εὖ δειπνεῖτε μᾶλλον εἰς τὴν ὑστεραίαν, ἢ εἰς τὴν παροῦσαν ἡμέραν. Hæc exscripsit Ælianus V. H. lib. II, cap. 18. Plura suppeditabit Petr. Victorius Var. Lect. lib. XVIII, cap. 3. Davis.

3. *Dionis.* Syracusii, cujus vitam Plutarchus scripsit.

4. *Quo quum venissem.* Græca sic se habent: Ἐλθόντα δέ με ὁ ταύτῃ λεγόμενος αὖ βίος εὐδαίμων, Ἰταλιωτικῶν τε καὶ Συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης, οὐδαμῆ οὐδαμῶς ἤρεσε, δίς τε τῆς ἡμέρας ἐμπιπλάμενον ζῆν, καὶ μηδέποτε κοιμώμενον μόνον νύκτωρ, καὶ ὅσα τούτων ἐπιτηδεύματα ξυνέπεται τῶν βίων (leg. τούτῳ ... τῷ βίῳ, ut vidit H. Stephanus Lex. Cicer. pag. 41, et ita recte scribitur apud Athenæum

nissem, vita illa beata, quæ ferebatur[5], plena Italicarum Syracusiarumque mensarum, nullo modo mihi placuit; bis in die saturum fieri, nec umquam pernoctare solum; ceteraque, quæ comitantur huic vitæ, in qua sapiens nemo efficietur umquam, moderatus
101 vero multo minus. Quæ enim natura tam mirabiliter temperari potest[6]? » Quo modo igitur jucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali, opulentissimi Syriæ[7] regis, error agnoscitur, qui incidi jussit in busto[8],

> Hæc habeo, quæ edi [9], quæque exsaturata libido
> Hausit : at illa jacent multa, et præclara relicta.

lib. XII, 527) : ἐκ γὰρ τούτων τῶν ἐθῶν οὔτ' ἂν φρόνιμος οὐδείς ποτε γενέσθαι τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπων ἐκ νέου ἐπιτηδεύων δύναιτο, οὔθ' οὕτως θαυμαστῇ φύσει κραθήσεται σώφρων δὲ οὐδ' ἂν μελλῆσαι (In Athenæo μελήσας, forsan leg. μελῆσαι) ποτὲ γενέσθαι. Exstant in Platonis Epist. VII, pag. 712. Dav.

5. *Vita illa beata, quæ ferebatur.* Sensus idem est, ac si scriptum esset, « vita illa, quæ ferebatur (i. e. dicebatur, habebatur) beata »; sed alia structura longe elegantior.

6. *Tam mirabiliter temperari potest?* Ut in hac vita non dicam sapientiam, sed moderationem retineat.

7. *Opulentissimi Syriæ regis.* Ursinus scribendum pronuntiat *Assyriæ*. Et quidem, si proprie loquamur, Assyriæ fuit rex. Sed usus auctorum facit ut perinde sit, utrum *Syriæ* vel *Assyriæ* regem dicas; hæ enim voces passim synonymæ sunt; quod eum fugisse miror. Vide modo Jos. Scaligerum in Anim. Euseb. pag. 25; Joan. Seldenum Prol. ad libb. de Diis Syris, cap. 1, cum Beyerianis additamentis, et Interpretes ad Justini lib. I, cap. 2. Ideo retinenda est codicum lectio. Dav. — Ex his colligas levius Ern. *Assyriæ* recepisse.

8. *In busto.* In monumento. Horat. Od. III, 3, 40. Neid.

9. *Hæc habeo, quæ edi.* Apud Diodorum Siculum Bibl. lib. II, pag. 110; Polybium in Excerpt. Peiresc. pag. 22, et Strabonem lib. XIV, pag. 989, sic leguntur: Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος Τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται. At apud Athenæum lib. VIII, pag. 336 : ΚΕΙΝ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ ΣΥΝ ΕΡΩΤΙ Τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα ΛΕΛΥΝΤΑΙ. Sic ex antiquis codd. edidit Is. Casaubonus; at quum alii dent : ... τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα ΛΕΛΕΙΠΤΑΙ, ultimam vocem sic scribi debere prorsus existimo; illam enim lectionem defendit versio Ciceronis, ut et Clemens Alexandrinus Strom. II, pag. 491; Dion Chrysostomus Orat. IV, pag. 81; Scholiastes Aristophanis in Aves, v. 1022; Tzetzes Chil. III, 455, et Anthol. Epigr. lib. III, cap. 7. Ibi tamen est, Τέρπν' ἰδάην, τὰ δὲ πολλὰ, etc. Sed perpe-

« Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes ? » Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quam
fruebatur. Cur igitur divitiæ desiderentur? aut ubi 102
paupertas beatos esse non sinat? Signis, credo, tabulis, ludis[10]. Si quis est, qui his delectetur, nonne melius tenues homines fruuntur, quam illi, qui his abundant? Est enim earum omnium rerum nostra in

ram. Plutarchus tom. II, pag. 546 : Πάνυ δὲ χαριέντως καὶ ὁ Κράτης πρὸς τὸ Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος Τέρπν' ἔπαθον, ἀντέγραψε τὸ Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα καὶ μετὰ ΜΟΥΣΩΝ Τέρπν' ἐδάην, unde patet illam scripturam Cratetis parodiæ deberi. Vide et Laertium, VI, 86. Athen. lib. VIII, p. 337, hanc Chrysippo tribuit Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔμαθον καὶ ἐφρόντισα καὶ μετὰ ΤΟΥΤΩΝ Ἔσθλ' ἔπαθον. Ibi lege, μετὰ ΜΟΥΣΩΝ. Versuum, quos Cicero transtulit, pater est Chœrilus, quod discimus ex Deipnosophistæ lib. XII, pag. 529. Ad eosdem respicit Suidas in Σαρδανάπαλος, dein addit : ψευδῶς ταῦτα ἐπιγράψαντες· οὐ γὰρ ἔχει ὁ τελευτήσας ἅπερ ἔφαγε καὶ ἔπιεν, ἀλλ' εἰς τὴν δυσώδη φθορὰν ἐκεῖνα πάντα κεχώρηκεν, etc. Ea, quod Kusterum fugit, desumpta sunt ex Theodoreti Ther. XII, pag. 179. Vide Nostrum lib. II de Fin. cap. 32, et Augustinum C. D. II, 20. Dav. — In proximis vv. *non in regis* Ernestio de glossa suspecta Schütz. uncis inclusit.

10. *Signis, credo, tabulis, ludis.* Vide illud *ludis*, quam male conveniat cum sequentibus. « Quæ, inquit, qui privati habent » : an *habere ludos* latine dicitur ? an privati autem domi ludos instituebant ? Sequitur mox, « Et raro vident, quum in sua rura venerunt » : hoc *signis* et *tabulis* bene convenit, quæ in villis suis habere Romani proceres consueverant : *ludis* vero minime. Ut et illud denique *pungit aliquid;* ob peculatum scilicet et sacrilegium a se admissum : plerumque enim *signa* illa et *tabulæ* e græcis urbibus templisque rapina aut furto ablatæ erant ; de qua re consule actiones in Verrem. Sed quid hoc, obsecro, ad *ludos* pertinet ? Vides jam, opinor, lectionis receptæ pravitatem. Tu lege non ita magna mutatione ; *ct* enim et *d* in veteribus scriptis sæpe confunduntur : « Signis, credo, et tabulis pictis ». Bentl. qui multa addidit exempla locutionis « tabula picta, tabulæ pictæ ». Davisius conjicit *columnis* laudans, cujus hæc nota est : *Signis, credo, tabulis, ludis.* Corrupta dubio procul est vox ultima ; quapropter sunt qui reponunt, *tabulis pictis*. An Cicero dedit, « signis, credo, tabulis, columnis ? » Seneca Epistol. LXXXVI : « Quid quum ad balnea libertinorum pervenero ? quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, impensæ caussa ? » Et Epist. CXV : « Nos circa tabulas et statuas insanimus . . . Nos (delectant) ingentium maculæ columnarum ». Adi sis et Nonium in v. *lenis*, et Quintilian. V, 13. Probabilis saltem est conjectura.

urbe [11] summa in publico copia. Quæ qui privati [12] habent, nec tam multa, et raro vident, quum in sua rura venerunt. Quos tamen pungit aliquid, quum, illa unde habeant, recordantur. Dies deficiat [13], si velim paupertatis causam defendere. Aperta enim res est, et quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus.

103 XXXVI. Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offensio, sapientem beatum esse prohibebit? Vide, ne plus commendatio in vulgus, et hæc, quæ expetitur, gloria molestiæ habeat, quam voluptatis. Leviculus sane noster Demosthenes [1], qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Græcia est, insusurrantisque alteri, Hic est ille Demosthenes [2]. Quid hoc levius? At quantus orator! Sed apud alios [3] loqui videlicet didicerat,
104 non multum ipse secum. Intelligendum est igitur, nec gloriam popularem ipsam per sese expetendam, nec ignobilitatem extimescendam. Veni Athenas [4], in-

11. *Nostra in urbe*. Davisius auctoritate Pall. trium, Reg. Pitb. Med. Bak. ut Balliol. delevit *in*, eumque Neid. sequitur. Schützius scribit *in nostra urbe*.

12. *Privati*. Ern. conjecit *privatim*.

13. *Dies deficiat*. Sic Pal. tert. et Vatic. acita latinitati consulitur. Vulgo *deficiet*. Davis. qui in prima ed. e MS. Petrens. post Dionys. Lambinum dederat « dies me deficiet », eamque lect. in Oliveti ed. videmus.

XXXVI. 1. *Leviculus sane noster Demosthenes*. *Noster* abest a MS. Leid. Ern. Buherioque delendum videbatur. Scholiastes ad Persii Sat. I, 28 : « Hic requiritur historia Demosthenis, qui quum transiret, et a mercenario tabernæ digitu demunstraretur, fertur lætatus esse, quod ab ignobilibus scieretur ». Id cum Nostro levitatis incusat Ælianus V. H. lib. IX, cap. 17 : Plinius tamen « Demosthenem jure lætatum esset censet, quod illum anus Attica demonstravit, Οὗτός ἐστι Δημοσθένης. Vide lib. IX, Epist. 23. Dav.

2. *Hic est ille Demosthenes*. Eu respexisse Persius quoque videtur Sat. I, 28, dicens : « At pulchrum est digito monstrari et dicier *hic est* ». Neid.

3. *Apud alios*. Audientibus aliis; didicerat quidem loqui coram aliis, neque tamen secum, i. e. de se ipso cogitare seque emendare non didicerat. Neid.

4. *Veni Athenas ... neque me quisquam ibi agnovit*. Sic Reg. Pitb. Med. aliique plures MSS. Vulgo deest *ibi*. Græce Ἦλθον εἰς Ἀθήνας, καὶ οὔτις με ἔγνωκεν. Vide Diogenem Laertium,

quit Democritus; neque me quisquam ibi agnovit. Constantem hominem et gravem! qui glorietur, a gloria se abfuisse. An tibicines, iique, qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis arbitrio, cantus numerosque moderantur : vir sapiens, multo arte majore præditus, non, quid verissimum sit, sed quid velit vulgus, exquiret? An quidquam stultius, quam, quos singulos[5], sicut operarios barbarosque contemnas, eos esse aliquid putare universos? Ille vero[6] nostras ambitiones levitatesque contemnet, honoresque populi, etiam ultro delatos, repudiabit[7] : nos autem eos nescimus, antequam pœnitere cœpit[8], contemnere. Est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro : « Universos[9], ait, Ephesios

IX, 36. Demetrius tamen Phalereus Democritum negat Athenas venisse, quod prodidit idem § 37. Si tamen aliis fides, Democritus « Athenis compluribus annis moratus ... ignotus illi urbi vixit, quod ipse in quodam volumine testatur ». Verba sunt Valerii Maximi, lib. VIII, cap. VII, 4 ext. DAV. — Schützius delevit *ibi*, Neid. uncis inclusit, freti scilicet nonnullorum MSS auctoritate et præsertim græcis verbis supra laudatis, in quibus nihil est simile.

5. *An quidquam stultius, quam, quos singulos*, etc. Egregium hoc monitum Socrati debetur, qui Alcibiadem, in concionem populi prodire veritum, ita excitavit : Οὐ καταφρονεῖς (εἶπε Σωκράτης) ἐκείνου τοῦ σκυτοτόμου; τὸ ὄνομα εἰπὼν αὐτοῦ· φήσαντος δὲ τοῦ Ἀλκιβιάδου, ὑπολαβὼν πάλιν ὁ Σωκράτης, ἔτι δὲ ἐκείνου τοῦ ἐν τοῖς κύκλοις κηρύττοντος; ἢ ἐκείνου τοῦ σκηνοῤῥάφου; ὁμολογοῦντος δὲ τοῦ Κλεινίου μειρακίου, οὐκοῦν, ἔφη ὁ Σωκράτης, ὁ δῆμος Ἀθηναίων ἐκ τούτων ἤθροισται; καὶ εἰ τῶν καθ' ἕνα καταφρονητέον, ἄρα καὶ τῶν ἠθροισμένων. Verba sunt Æliani V. H. lib. II, cap. I. DAV. — Similia Charmidæ dixisse Socratem refert Xenophon Memor. lib. III, cap. VII, 6. Vide et Laertium II, 34. DAV.

6. *Ille vero.* Vir sapiens, quem supra nominavit.

7. *Honoresque populi, etiam ultro delatos, repudiabit.* Juxta illud Horatii, lib. III, od. 2, v. 17 : « Virtus, repulsæ nescia sordidæ, Intaminatis fulget honoribus; Nec sumit, aut ponit secures Arbitrio popularis auræ ».

8. *Antequam pœnitere cœpit.* Antequam eos adepti, de eorum vanitate judicamus. De se ipse hæc videtur Noster dicere.

9. *Universos, ait, Ephesios*, etc. Diogenes Laertius lib. IX, p. 237 : Καθάπτεται δὲ (Ἡράκλειτος) καὶ τῶν Ἐφεσίων, ἐπὶ τῷ τὸν ἑταῖρον ἐκβαλεῖν Ἑρμόδωρον· ἐν οἷς φησιν, ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀποθανεῖν πᾶσι, καὶ τοῖς ἀνήβοις τὴν πόλιν καταλιπεῖν, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἑαυτῶν ὀνήϊστον ἐξέβαλον, λέγοντες,

esse morte multandos, quod, quum civitate expellerent Hermodorum, ita loquuti sint[10]: Nemo de nobis unus excellat[11]; sin quis exstiterit, alio in loco, et apud alios sit ». An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt? Quid? Aristides (malo enim Græcorum, quam nostra proferre) nonne ob eam causam expulsus est patria, quod præter modum justus esset[12]? Quantis igitur molestiis vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? Quid est enim dulcius otio literato? Iis dico literis, quibus infinitatem rerum atque naturæ, et in hoc ipso mundo cælum, terras, maria cognoscimus.

106 XXXVII. Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia, quid relinquitur, quod extimescendum sit? Exsilium, credo, quod in maximis malis ducitur. Id si propter alienam et offensam populi[1] voluntatem

Ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήϊστος ἔστω· εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων. Strabonem lib. XIII, pag. 642, laudarunt alii. Stobæus Serm. XXXVIII, pag. 236 : Ἐφ' ᾧ (Ἑρμοδώρῳ) καὶ Ἡράκλειτος, ὅτι ἔφυγεν, ἡβηδὸν ἐκέλευεν Ἐφεσίοις ἀπάγξασθαι. De re ipsa vid. Aristotelem Polit. III, 13, 17. Dav.

10. *Loquuti sint.* Sic Davis. e Reg. eumque Schütz. et Neid. sequuntur. Alii *sunt.*

11. *Nemo de nobis unus excellat.* Similem sententiam vulgo traditur apud nos per præconem pronuntiare solitos Nursinos, rudem admodum gentem, quum senatum suum cogunt. Jubent enim omnes literis excultos et sapientia præstantes viros curia exire. Nec tamen aliunde tantum adversus illos odium oritur, nisi quod iis suspecta sunt meliora ingenia et libero homine dignæ artes: timent enim stulte quidem, sed tamen timent ne ornata eorum oratione et prudenti de recta et utili sententia sæpe deducantur. Victor.

12. *Quod præter modum justus esset.* Memorabilis est historia, quam hisce verbis narrat Corn. Nepos Aristid. cap. 1 : « Aristides quidem quum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensque animadverteret quemdam scribentem, ut patria pelleretur; quæsisse ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur? Cui ille respondit, se ignorare Aristidem; sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut præter ceteros Justus appellaretur ». Eamdem fere refert Plutarchus, t. I, pag. 423. Dav.

XXXVII. 1. *Si propter alienam et offensam populi voluntatem malum*

malum est; quam sit ea contemnenda, paullo ante
dictum est. Sin abesse patria miserum est, plenæ mi-
serorum provinciæ sunt; ex quibus admodum pauci
in patriam revertuntur. At multantur bonis exsules.
Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate 107
dicuntur? Jam vero exsilium, si rerum [2] naturam,
non ignominiam nominis quærimus, quantum de-
mum [3] a perpetua peregrinatione differt? in qua ætates
suas philosophi nobilissimi consumpserunt, Xenocra-
tes, Crantor, Arcesilas, Lacydes, Aristoteles, Theo-
phrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater,
Carneades, Panætius, Clitomachus, Philo, Antiochus,
Posidonius; innumerabiles alii: qui semel egressi,
numquam domum revertere. At enim sine ignominia
afficere sapientem [4]. De sapiente enim hæc omnis ora-

est. Si putas exsilium malum esse, ideo quod declarat nobis iratum esse populum, paullo ante ostendi quam parvi facienda sit vulgi opinio: ex quo discere potes hanc ob causam exsilium malum esse non posse. Verba paullo ante sita Cicero innuit, § 104 *an tibicines*, etc.

2. *Si rerum naturam* Davis. Bentleio suadente correxit *si rei naturam*, eumque Schütz sequitur. At vulgata defendi potest saltem usu sermonis gallici, in quo sæpius eodem sensu dicimus *à bien voir les choses*, *pour bien juger des choses*, quum tamen de una re agatur, quia hoc plurali numero variæ rei circonstantiæ designantur.

3. *Quantum demum a perpetua peregrinatione differt*. Secundam voculam omittit Cantabr. Longius abeunt plurimi MSS. Pall. quatuor, « quantum damna perpetua (Vatic. *quantum damna a perpetua*) peregrinatione differt ». Petreus. « quantum damnum perpetua peregrinatio confert ». Hæ varietates summam librariorum imperitiam demonstrant, qui recte posita servare noluerunt. Hæc Davis. in prima ed. qui in tertia conjicit « quantum tandem a perpetua ».

4. *At enim sine ignominia afficere sapientem*. Locus mendosus. Libri gallici et italici, Palatinis profecto meliores, tunsque ille egregius, sic habent: « At enim non sine ignominia afficere poterit sapientem ». Ex qua lectione quid propius, veri similius, convenientius fingi potest quam illud Paulli Manutii, « At enim non sine ign. Ignominia a. poterit sapientem? » Quis ausit negare, solemne hoc librariis vitium esse, ut, quoties idem vocabulum geminatur, alterum modo ponant; alterum omittant? Etiam in carmine hoc faciunt, ut his oculis sæpe vidi; ubi ipsa metri ratio culpæ hujus immunes præstare potuisset. Ergo « at enim non sine ignominia » sunt objicientis verba, ut paullo ante, « At

tio est, cui jure id accidere non possit. Nam jure ex-
108 sulantem consolari non oportet. Postremo ad omnes casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quæ sequuntur in vita[5]; ut, quocumque hæc loco suppeditent[6], ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox[7] accommodari potest,

Patria est, ubicumque est bene[8].

Socrates quidem quum rogaretur, cujatem se esse diceret, Mundanum, inquit[9]. Totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Quid T.[10] Albucius?

multantur bonis exsules »; non sinentis, neque concedentis. Bentleius. — Davisius scribit : « At enim sine ignominia afficere sapientem », eo sensu : at pone, fac, si potes, ut sapiens ignominia afficiatur. Olivetus P. Manutii conjecturam in textum intulit, quam jam Lambinus adoptaverat. Schütz. et Neid. scribunt : « At enim non sine ignominia ... afficere sapientem », ut est in vetus editis, punctis lacunam designantibus. Buherius conjecit « At enim sic nec ignominia afficere poterit sapientem », quam conj. prope meliorem Manutii conjectura J. V. *Leclerc* arbitratur. — Ego locum sic constituendum puto : « At enim non sine ignominia ... afficietne sapientem? » Neid.

5. *Quæ sequuntur in vita.* Omnes casus qui in vita communi sunt obvii. Neid.

6. *Quocumque hæc loco suppeditent.* Alii *suppeditetur.* Davis. e MSS dedit *suppeditet*, sequentibus Schütz. et Neid. Atqui Neid. *suppeditet* de *vita* intelligit, quod prorsus, ut nobis videtur, de *voluptate* intelligi, debet. Et ita interpres gallicus intellexit.

7. *Teucri vox.* Vox hæc a Teucro habita fuisse videtur, quum redux in patriam, a patre Telamone Salamina repulsus est, quod inultam reliquerat Ajacis fratris mortem. Teucer in insulam Cyprum appulit, ubi orbem Salamina condidit. Horat. lib. I.

8. *Patria est, ubicumque est bene.* Versus est ex deperdita tragœdia desumptus, cui respondet hic Aristophanis in Pluto juxta finem : Πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ', ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ. Eadem mens est illius Euripidei : Ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς, ἡ βόσκουσα γῆ. Ejusdem est et istud Euripidis, Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς. Exstant apud Stobæum Serm. XXXVIII, pagg. 230, 234. Vide sis Th. Gatakerum ad Antonini VI, 44. Dav.

9. *Mundanum, inquit.* Plutarchus περὶ φυγῆς, pag. 600 : Ὁ δὲ Σωκράτης βέλτιον, οὐκ Ἀθηναῖος οὐδὲ Ἕλλην, ἀλλὰ ΚΟΣΜΙΟΣ εἶναι φήσας. Cf. Arrianus Epict. lib. I, cap. 9. Similia Democriti, Theodori, Diogenis feruntur dicta. Vide Laertium, II, 99, VI, 63, 98; Stobæum Serm. XXXVIII, pag. 231; Lucianum βίων πρᾶσις, pag. 375, et Arrianum Epict. lib. III, cap. 24. Dav.

10. *T. Albucius.* Hic quum Sardi-

nonne animo æquissimo Athenis exsul philosophabatur? cui tamen illud ipsum non accidisset, si in republica quiescens Epicuri legibus paruisset[11]. Qui 109
enim beatior Epicurus, quod in patria vivebat, quam quod Athenis Metrodorus? aut Plato[12] Xenocratem[13] vincebat, aut Polemo Arcesilam, quo esset beatior? Quanti vero ista civitas æstimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur? Demaratus[14] quidem, Tarquinii, regis nostri[15], pater, tyrannum Cypselum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho, et ibi suas fortunas constituit, ac liberos[16] procreavit. Num stulte anteposuit exsilii libertatem domesticæ servituti?

XXXVIII. Jam vero motus animi, sollicitudines, 110
ægritudinesque oblivione leniuntur, traductis animis

niæ provinciam obtinuisset, ob latrones quosdam subactos sibi ipse triumphi honores arrogavit. Quod quum ægre populus romanus tulisset, hoc maxime causæ fuit, cur ille Albucius pecuniæ repetundæ a populis provinciæ accusatus, in exsilium missus fuerit. J. V. L.

11. *Epicuri legibus paruisset.* Pro Epicuri mente sapientem non πολιτεύεσθαι, i. e. rempublicam capessere tradunt bene multi. Vide Menagium ad Laertii X, 119. Hinc λάθε βιώσας decantatissimum fuit hujusce philosophi dictum, de quo Plutarchus, tom. II, pag. 1128; Themistius Orat. XXVI, pag. 324: Ἐπίκουρος ἐπῄνει τὸ ΛΑΘΡΑ ΒΙΩΣΑΣ. Leg. λάθε βιώσας. Davis.

12. *Aut Plato Xenocratem vincebat, aut Polemo Arcesilam.* Dionys. Lambino placet « an Plato ... an Polemo ». Forsan melius reponas, « ut Plato Xenocratem vincebat, aut Polemo Arcesilam », quemadmodum diserte Reg. Pithœan. Med. Bak. et Petrens. Dav.

13. *Xenocratem.* Chalcidensem et Arcesilam Pythanenm; ergo non refert ad felicitatem, quo quis loco sit natus aut versetur; erat autem uterque Atheniensis Plato et Polemo. Naid.

14. *Demaratus.* Davis. *Damaratus* e Reg. Pith. et Balliol.

15. *Tarquinii, regis nostri.* Tarquinium Priscum dicit. Historiam fuse narrant Livius, lib. I, cap. 34; Dionysius Halicarnassensis lib. III, cap. 46, et alii. Davis. — Μνημονικὸν igitur ἁμάρτημα commisit Pomponius de Orig. Juris. Digg. lib. I, tit. 2, § 2. Demaratus enim erat ex iis principibus unus qui Corinthum regebant, antequam hac urbe potitus fuisset Cypselus. In Italiam se contulit, magnas secum adsportans divitias, anno circiter 658 ante Christum natum.

16. *Liberos procreavit.* Inter alios et Tarquinium Priscum, qui postea rex Rom. factus est. Naid.

ad voluptatem. Non sine causa igitur Epicurus ausus est dicere, semper in pluribus[1] bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quærimus, ut sapiens semper beatus sit.

111 Etiamne, si sensibus carebit oculorum, si aurium? Etiam: nam ista ipsa contemnit. Primum enim, horribilis ista cæcitas quibus tandem caret voluptatibus? quum quidam etiam disputent, ceteras voluptates in ipsis habitare sensibus; quæ autem adspectu percipiantur, ea non versari in oculorum ulla jucunditate: ut ea, quæ gustemus, olfaciamus, tractemus[2], audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur; in oculis tale nihil fit: animus accipit, quæ videmus. Animo autem multis modis variisque delectari licet, etiam si non adhibeatur adspectus. Loquor enim de docto homine et erudito, cui vivere est, cogitare. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum

112 adhibet oculos advocatos[3]. Etenim si nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti similis[4] adimat? Nam illud Antipatri Cyrenaici est quidem paullo obscœnius, sed non absurda sententia est[5], cujus cæcitatem quum mulierculæ lamentarentur: « Quid agitis? inquit; an vobis nulla videtur voluptas esse nocturna? » Appium[6] quidem veterem illum, qui cæcus annos

XXXVIII. 1. *Semper in pluribus bonis esse sapientem.* Sapiens videlicet est vir bonus, et Epicurus ἀχώριστόν φησι τῆς ἡδονῆς τὴν ἀρετήν. Vide Laertium, X, 132, 138. Hinc κἂν στρεβλωθῇ ὁ σοφὸς, εἶναι αὐτὸν εὐδαίμονα statuit § 118. Dav.

2. *Tractemus, audiamus.* In MS Norvic. non incommode quidem legitur *palpemus, audiamus;* sed quum reliqui omnes vulgatam lectionem retineant, intemerata, per me licet, maneat; haud enim res ipsa jubet, ut eam deseramus. Dav.

3. *Advocatos.* Hanc vocem Ernest. negat sibi placere.

4. *Nocti similis.* Qualis est cæco.

5. *Sed non absurda sententia est.* Schützius *est* auctore Ernestio delevit.

6. *Appium quidem veterem illum.* Appius Claudius Crassus cognomine Cæcus bis consul fuerat anno U. C. 446 et 457. Narrant eum, quum audivisset senatum deliberare de pace

multos fuit, et ex magistratibus, et ex rebus gestis intelligimus, in illo suo casu nec privato, nec publico muneri defuisse. C. Drusi[7] domum compleri a consultoribus[8] solitam accepimus: quum, quorum res esset, sua ipsi non videbant, cæcum adhibebant ducem. Pueris nobis, Cn. Aufidius prætorius[9] et in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, et græcam scribebat historiam, et videbat[10] in literis.

XXXIX. Diodotus stoicus[1], cæcus, multos annos 113
domi nostræ vixit. Is vero, quod credibile vix esset, quum in philosophia multo etiam magis assidue, quam

cum Pyrrho fœdis sub conditionibus facienda, jussisse se, ut membrorum usu carentem, in curiam deferri, ibique oratione sua dissuasisse ne pax illa iniretur.

7. *Drusi*. Valerius Maximus lib. VIII, cap. VII, 4: « Consimilis perseverantiæ Livius Drusus, qui ætatis (forsan *effætis*) viribus et acie oculorum defectus, jus civile populo benignissime interpretatus est, utilissimaque discere id cupientibus monumenta composuit. Nam ut senem illum natura, cæcum fortuna facere potuit; ita neutra interpellare valuit, ne non animo et videret et vigeret ». Merito mirantur, hunc Livium inter JCtos non fuisse relatum a Pomponio Digg. lib. I, tit II, 35 seqq. Dav.

8. *A consultoribus*. Schötz. et Neid. delent *a*.

9. *Prætorius et in senatu sententiam dicebat*. Pighius, in Annalibus, ad ann. U. C. 634, hanc phrasim putat esse mutilam; excidisse enim vocem *cæcus*; quæ quidem ad explendam fulciendamque sententiam prorsus necessaria est. Si enim cæcus non fuit Aufidius, quid mirum est fecisse illum omnia, quæ Cicero commemorat; cæcitatem in Appio, in Druso, in Diodoto Stoico non prætermisit; cur omiserit in hoc Aufidio? Legi ergo possit: « Prætorius, cæcus, et in senatu sententiam dicebat ». Buhle.

10. *Et videbat in literis*. Liber vetus habet *vivebat*: sed non placet; verbum enim *vivebat* ad Aufidii cæcitatem refertur. Ursinus. — Bentleius omnino legi vult *videbat*, vulgatamque putat esse ortam ex argutulo quodam librario. — *Videbat in literis*. Pariter Sophocles in OEdip. Tyrann. vs. 396: ... ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσι Μόνον ΔΕΔΟΡΚΕ, τὴν τέχνην δ' ἔφυ τυφλός. Hoc olim monuit Pet. Victorius Var. Lect. III, 20. Dav. — Nobis melior Ursini videtur quam Bentleii sententia.

XXXIX. 1. *Diodotus stoicus*. In Ven. 1491, Froben. aliisque vett. perperam legitur *Diodorus stoicus*. Cicero in Bruto, pag. 197: « Eram cum Stoico Diodoto; qui quum habitavisset apud me, mecumque vixisset, nuper est domi meæ mortuus ». Ejus sæpe quidem meminit Noster. Vide Ciceronis historiam a Fr. Fabricio conscriptam. Dav.

antea versaretur, et quum fidibus Pythagoreorum more uteretur, quumque ei libri noctes et dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat: tum, quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriæ munus[2] tuebatur, verbis præcipiens discentibus, unde, quo, quamque lineam scriberent. Asclepiadem ferunt, non ignobilem Eretricum philosophum[3], quum

2. *Geometriæ munus*. Sic *philosophiæ munus* alibi noster. Longe vero mirabilius est, quod de Didymo narratur Alexandrino. Hieronymus de viris Illust. cap. 19 : « Didymus Alexandrinus captus a parva ætate oculis, et ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, ut dialecticam quoque et geometriam, quæ vel maxime visu indiget, usque ad perfectum didicerit ». Vide sis etiam Sozomenum, III, 15; Socratem, IV, 25, et alios. Quin et Cassiodorus de Inst. Div. Liter. cap. 5, postquam de Didymo verba fecerat, subdit « de partibus Asiæ quemdam ad nos venisse, Eusebium nomine, qui se infantem quinque annorum sic cæcatum esse narrabat, ut sinistrum ejus oculum fuisse excavatum orbis profundissimus indicaret : dexter vero globus vitreo colore confusus sine videndi gratia infructuosis nisibus volvebatur. Hic ... disciplinas omnes et animo retinebat, et expositione planissima lucidabat ». Ne autem laboret Annalium fides, facit Nicolaus Sandersonus, apud Cantabrigienses mathematicarum professor; nam cum, dum secundus laberetur ætatis annus, oculis privarunt variolæ. Nihilominus tamen mathematicarum disciplinarum peritissimus est, easque summa cum laude jam nunc docet vir eximius. Dav.

3. *Eretricum philosophum*. Veteres editt. « nec inexercitum philosophum », quod Andr. Schotto Nod. Cicer. II, 21, placere non debuit. MSS fere vel *hæreticum*, vel *metricum*, vel *criticum*, vel *heretricum*, vel *erretricum*, ut Reg. et Pithœan. quæ quidem lectiones ad Petr. Victorii conjecturam quasi manu ducunt, eamque merito receptam esse suadent. Illi tuendæ hunc Diogenis locum profert vir doctissimus : Καὶ τρίτοι ἀπ' αὐτοῦ οἱ περὶ Μενέδημον τὸν Ἐρετριέα καὶ Ἀσκληπιάδην τὸν Φλιάσιον, μετάγοντες ἀπὸ Στίλπωνος· καὶ ἕως μὲν τούτων Ἠλειακοὶ προσηγορεύοντο· ἀπὸ δὲ Μενεδήμου, ΕΡΕΤΡΙΑΚΟΙ. Exstat lib. II, § 105, et nisi fallor, rem plane conficit. Addi tamen potest illud § 126 : Ἀσκληπιάδου δὲ τοῦ Φλιασίου περισπάσαντος αὐτὸν (Μενέδημον), ἐγένετο ἐν Μεγάροις πρὸς Στίλπωνα ... καὶ μέχρι μὲν τούτων Ἠλειακοὶ προσηγορεύοντο. ΕΡΕΤΡΙΚΟΙ δὲ ἐκλήθησαν ἀπὸ τῆς πατρίδος τοῦ, περὶ οὗ ὁ λόγος. Hinc patet non esse cur *Eretrium*, vel *Eretriacum* cum D. Lambino reponamus; licet enim Eliens. sec. *Eretrium* repræsentet, ad rationem tamen Victorianam propius accedunt reliqui codices, hique philosophi passim dicuntur Ἐρετρικοί. Vide Laertium, I, 17, 18, 19; II, 61, 85, 126, 14[illegible] IV, 33; VI, 91, et Athen[illegible] p. 55. Quorum cons[illegible] fenditur. Dav. — [illegible] discipulus Plato[illegible] quocum amicitia [illegible]

quidam quæreret, quid ei cæcitas attulisset, respondisse, puero ut uno[4] esset comitatior. Ut enim vel summa paupertas tolerabilis sit, si liceat, quod quibusdam Græcis quotidie[5]: sic cæcitas ferri facile possit, si non desint subsidia valitudinum. Democritus 114
luminibus amissis, alba, scilicet, et atra discernere non poterat: at vero bona, mala; æqua, iniqua; honesta, turpia; utilia, inutilia; magna, parva poterat: et sine varietate[6] colorum licebat vivere beate; sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri etiam animi aciem[7] adspectu oculorum arbitrabatur; et, quum alii[8] sæpe, quod ante pedes esset, non viderent, ipse infinitatem omnem peregrinabatur[9], ut

enm ad sectam Eretricam rapuit, cujus ipse auctor fuerat.

4. *Puero ut uno.* Servo scilicet, quo duce uteretur. Nein.

5. *Si liceat, quod quibusdam Græcis quotidie.* Nimirum *mendicare*; quæ honesta est ἀποσιώπησις et a Lambino probe intellecta. Ursinus conjecit: « si liceat, quod quibusdam Græcis, quiritare ». Sed non est audiendus. Dav.

6. *Et sine varietate.* Reg. et Pith. *et si varietate.* Forsan ei *sine varietate*, etc. Dav.

7. *Impediri etiam animi aciem.* Hanc ob causam oculis se privasse dicitur; Plutarchus tamen rem non ita se habuisse contendit. Vide Menagium ad Laertii IX, § XLIII, 3. Noster de Fin. lib. V, cap. 29: « Democritus (vere falsone quæreremus) dicitur oculis se privasse ». Lego « vere falsone non quæremus »; hanc enim disquisitionem sibi non suscipiendam esse Tullius arbitratur. Hieronymus ad Abigaum, Epist. XXXII, p. 205: « Quosdam etiam mundi philosophos legimus, ut totam cogitationem ad mentis cogerent puritatem, sibi oculos eruisse ». Vide et lib. II advers. Jovin. pag. 365; Porphyrium περὶ ἀποχῆς, lib. I, cap. 46, et A. Gellium, X, 17. Davis.

8. *Et, quum alii sæpe, quod ante pedes esset, non viderent.* Davisius e conjectura Bentleii scribit, « et quum hi (scil. oculi) sæpe, etc. » — Terent. Adelph. act. III, sc. III: « Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est Videre, sed etiam illa quæ futura sunt ».

9. *Ipse infinitatem omnem peregrinabatur.* Sic Ern. Davisius scribit: « illa infinitatem omnem peragrabat », notatque: Vulgo, inquit, « ille infin. omnem peregrinabatur »: sed præpositionem deesse vidit Lambinus: quare legit, « ille in infinitatem omnem peregrinabatur ». Viro doctissimo præivit Joan. Rivius ad Ciceronis Brutum, cap. 90. Eam sane conjecturam quodammodo firmant Pal. quint. et Bak. qui « illam infinitatem » repræsentant. Fabr. « ille per infinitatem omnem peregrinabatur ». Eliens. autem sec. præclare dat, « ille infinitatem omnem

nulla in extremitate consisteret. Traditum est etiam, Homerum cæcum fuisse[10]. At ejus picturam, non poesim, videmus[11]. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ[12], quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, ut, quæ ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Quid ergo aut Homero ad delectationem[13] animi ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse umquam arbitramur? An, ni ita se res

peragrabat ». Lucret. I, 75 : « Atque omnem immensum peragravit mente animoque ». Seneca Epist. LXXVIII : « Rerum naturam peragranti numquam in fastidium veritas veniet ». Vide sis et lib. II Fin. cap. 31, ac Lactantium Div. Inst. lib. IV, cap. 11, 3. Opus tantum est, ut *illa*, scilicet acies animi, legatur : ac ita Reg. et Pithœan. — Wolf. Schütz. et Neid. Lambinum sequuntur.

10. *Traditum est etiam, Homerum cæcum fuisse.* Sunt qui volunt hoc piæ senio contigisse. Vide Joan. Brodæum Miscell. V, 9, et Scholiasten ad Luciani tom. II, pag. 17. Sane, quod monuit Velleius Paterculus lib. I, 5 : « Homerum si quis cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbus est ». Quin et Lucianus Ver. Hist. lib. II, pag. 676 : Ὅτι μὲν γὰρ, inquit, οὐδὲ τυφλὸς ἦν (Ὅμηρος), ὃ καὶ αὐτὸ περὶ αὐτοῦ λέγουσιν, αὐτίκα ἠπιστάμην. Fabulam exinde natam tradit Suidas, ὅτι οὐχ ἡττήθη ἐπιθυμίας, ἢ διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἄρχεται. Ex Hesychio Milesio legendum ἔρχεται. At vero cæcum fuisse nullus dubito. Hinc sub Demodoci persona semet ipsum describere suspicatur Maximus Tyrius Diss. XXII, eumque velut oculis captum finxere statuarii; quod ex Pausania et Cedreno notavit V. C. Gisb. Cuperus Apotheos. pag. 6. Vide et L. Allatium de Patr. Hom. c. 8. Dav.

11. *At ejus picturam, non poesim videmus.* Vult Noster, Homerum ita res describere, ut eæ ipsæ nobis ante oculos esse videantur, et hinc ἀγαθῷ ζωγράφῳ comparatur apud Athenæum lib. IV, pag. 182, A, eumque τὸν ἄριστον τῶν γραφέων vocat Lucianus Imag. tom. II, pag. 6. Vide et scriptorem vitæ Homericæ in Opusc. Galeanis, pag. 401. Certe non tradit Cicero, se Homeri picturam seu faciem pictam vidisse; quod perperam censuit vir doctissimus Gisb. Cuperus Apotheos. pag. 10. Dav.

12. *Quæ species formæ, quæ pugna.* Davisius scribit « quæ species formaque pugnæ ». Ita, inquit, exhibent duo codices Gebhardiani, eaque vera est. Sic *formam speciemque* junxit A. Gellius, XIX, 10. Vide sis Freinshemium ad Flori lib. II, cap. 11, 8. — Davisium Schütz. et Neid. sequuntur.

13. *Quid ergo aut Homero ad delectationem.* Davis. scribit « quid ergo? aut H. delectationem ». Præpositionem *aut*, inquit, nesciunt Reg. Pith. Med. Bak. Balliol. et sex Gebhardiani. — Neid. Davisium sequitur, item Schutzius, nisi quod interpungit « quid? ergo aut Hom. »

haberet[14], Anaxagoras, aut hic ipse[15] Democritus, agros, et patrimonia sua reliquissent : huic discendi quærendique divinæ delectationi toto se animo dedissent? Itaque augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poetæ, numquam inducunt deplorantem cæcitatem suam : at vero Polyphemum Homerus quum immanem ferumque finxisset, cum ariete etiam colloquentem facit[16], ejusque laudare fortunas, quod, qua vellet, ingredi posset, et, quæ vellet[17], attingere. Recte id quidem : nihilo enim erat ipse cyclops, quam aries ille, prudentior.

XL. In surditate[1] vero quidnam est mali? Erat sur- 116
daster M. Crassus[2]; sed aliud molestius, quod male

14. *An, ni ita se res haberet.* Vulgo « aut, ni ita se ». Nos Eliens. sec. parumnus. Dav. — Oliv. Schütz. et Neid. *aut* retinent. Int. nisi re ipsa omnibus animi delectationibus sapientes, etiam quum cæci sunt, fruerentur.

15. *Anaxagoras, aut hic i. Democritus.* De Anaxagora sic inter alios Valerius Maximus lib. VIII, cap. VII, 6 ext. et Himerius apud Photium Cod. CCXLIII, pag. 1087; nec aliter de Democrito Noster de Fin. lib. V, cap. 29; Horatius lib. I, Epist. XII, 12, et Lactantius Div. Instit. lib. III, cap. 23. At patrimonium fratribus donasse tradunt Diogenes Laertius, lib. IX, pag. 246, ac Ælianus V. H. lib. IV, cap. 20. Vide Menag. ad Laertii lib. IX, et ad II, 6. Dav.

16. *Cum ariete etiam colloquentem facit.* Arietem sane Polyphemus adloquitur Odyss. I, 447. Sed nullibi dicit, quæ narrat Cicero : quapropter hoc μνημονικὸν videtur ἁμάρτημα. Davis.

17. *Ingredi posset, et, quæ vellet,* etc. Recte animadvertis Davis. apud Homerum hoc non haberi : Ergo aut finxit id Cicero, aut ex tragico quodam sumpsisse videtur. Sed postrema illa « quæ vellet, attingere » languida sunt et inania. Quidam apud Lambinum *adspicere* reponebant : verum hoc adhuc deterius. Omnes fere Gebhardi codices *quem* præferunt, non *quæ*. Unde suspicor legendum esse, « Et in quem vellet, arietare ». Convenit profecto hoc Cyclopis immanitati. Accius apud Nostrum de Divin. I, 22 : « Duos consanguineos arietes inde eligi. . . . Deinde ejus germanum cornibus connitier In me arietare, eoque ictu me ad casum dari ». Vel propius etiam possis, « Et quem vellet arietare » : ut Plautus in Truculento, II, 2 : « Quis illic est, qui tam proterve nostras ædis arietat ? » Nisi forte et hic legendum sit, « proterve in nostras ». Bentleius.

XL. 1. *In surditate . . . M. Crassus.* Laudat Nonius in *surditatem*. Dav.

2. *M. Crassus.* M. Licinius Crassus, Romanorum ditissimus, qui infeliciter in bello contra Parthos suscepto periit. Is ideo male audiebat, quod reipublicæ imperium una cum Cæsare

audiebat[3], etiam si, ut mihi videbatur, injuria. Epicurei nostri[4] græce fere nesciunt, nec Græci latine. Ergo hi in illorum, et illi in horum sermone surdi; omnesque id nos[5] in iis linguis, quas non intelligimus, quæ sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. At vocem citharœdi non audiunt: ne stridorem quidem serræ tum, quum acuitur; aut grunnitum, quum jugulatur, suis[6]; nec, quum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris. Et, si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes[7]; deinde multo majorem percipi posse legendis his, quam audiendis
117 voluptatem. Tum, ut paullo ante cæcos ad aurium traducebamus voluptatem, sic licet surdos ad oculorum. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret.

Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit; prematur etiam doloribus acerrimis

et Pompeio videbatur obtinere velle.

3. *Quod male audiebat.* Quod male de eo loquebantur alii. In duplici sensu verbi *audire* lusit Cicero.

4. *Epicurei nostri græce fere nesciunt.* Faernus legendum putabat *opici nostri*, eamque conjecturam optimam judicabat Ursinus. Forsan Epicureos sugillat ob neglecta linguarum humaniorumque literarum studia, sicut eorum pater, Ciceroni passim *indoctus* audit. Dav. — Ern. v. *Epicurei* uncis inclusit. Wolf. Schütz. et Neid. ejecerunt.

5. *Omnesque id nos.* Officit sensui vox illa *id.* Manutius et Lambinus reponunt *omnesque item*, vel *itidem*, *nos*. Mihi prorsus videtur delenda, nec eam agnoscunt MSS Balliol. et Bak. Forte tamen, interpunctione mutata, rescribamus, « illi in horum sermone surdi omnes. Quid? Nos in his linguis, quas non intelligimus ... surdi profecto sumus ». Davis. — Vocem *id* tuetur Wopkens. quem vide Tull. Lectt. I, 21. — Ern. Wolf. Neid. et Schütz. v. *id* delendam quoque censuerunt.

6. *Aut grunnitum, quum jugulatur, suis.* Ita Davis. nisi quod scribit *grunditum*. Vulgo *jugulatur sus*. Nos, inquit Davisius, Victorianos codices sequendos duximus, quibuscum faciunt Reg. Pithœan. Vatic. et Gemblac. Ita sane legit etiam Nonius in *grunnire*. — Oliv. Wolf. Schütz. Neid. Davisium sequuntur, repugnante Ernestio, qui tuetur lect. *sus*.

7. *Multos beate vixisse sapientes.* Uncinis vocem cinximus ultimam; quod Cl. Bentleius jure faciendum notavit. Dav. — Schütz. vocem delevit.

corporis; qui primum[8] per se ipsi plerumque conficiunt hominem; sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent[9], quam ut causa sit, cur ferantur: quid est tandem, dii boni! quod laboremus? Portus enim præsto est, quoniam mors ibidem[10] est, æternum nihil sentienti[11] receptaculum. Theodorus Lysimacho[12] mortem minitanti: « Magnum vero, inquit, effecisti, si cantharidis vim consequutus es ». Paullus Persæ[13] deprecanti, ne in triumpho ducere- 118
tur: « In tua id quidem potestate est[14] ». Multa primo

8. *Qui primum. Qui* est pro *hi.*

9. *Vehementius tamen torquent, quam ut causa sit, cur ferantur.* Huc est fateri, aut sapientem non semper esse beatum, aut quamdam esse vitam quam, licet beatam, sapiens ferre nequit, ut optime ait Augustinus, philosophorum argutias merito irridens, Epist. 155. J. V. L.

10. *Quoniam mors ibidem est.* Apertum glossema, quod sagacissimus Bentleius primus vidit. Dav.—Schütz. has voces delevit, Neid. uncis inclusit cum Davisio. — De ipsa re conf. Tusc. I, cap. 30.

11. *Nihil sentienti receptaculum.* Lego *sentiendi*, prout diserte Reg. Pithœan. Med. ac Bak. et hanc lectionem præstat Augustinus Epist. LII: « In portu, inquit, non sentiendi vel nullus omnino sit ... vel beatus ». Portui vero tranquillo placidoque mors passim comparatur. Vide Senecam Consol. ad Polyb. cap. 28, Epist. LXX, et in Agamemn. vs. 592, ac Amm. Marcellinum, XXX, 5. Dav. — Schütz. et Neid. *sentiendi.*

12. *Theodorus Lysimacho.* Hac de re sic Seneca de Tranq. cap. 14: « Minabatur Theodoro philosopho tyrannus mortem ... Habes, inquit, ut tibi placeas; hemina sanguinis in tua potestate ». Valerius autem Maximus lib. VI, cap. 11, 3 ext. « Theodorus Cyrenæus Lysimacho regi mortem sibi minitanti, Enimvero, inquit, magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim assequutus es ». Stobæus Serm. II, pag. 31: Θεόδωρος ὁ Κυρηναϊκός, Λυσιμάχου τοῦ βασιλέως ἀπειλήσαντος αὐτὸν ἀναιρήσειν, Ἐλελήθεις με, εἶπεν, οὐ βασιλέως, ἀλλὰ ΚΩΝΕΙΟΥ δύναμιν ἔχων. Vel ibi scribendum κανθάρου, vel, quod puto verisimilius, aliam famam sequutus est auctor ille. Pari modo Perdiccæ respondit Diogenes, uti quidem tradit Laertius, VI, 44. Davis.

13. *Paullus Persæ.* Davis. scribit *Persi.* Ita, inquit, Reg. Pithœan. Med. Med. et Petrens. ac eorum fide sic edidi. Vulgo *Persæ*, quod eodem redit; nam rex ille Macedonum *Perses* vel *Perseus* Latinis dicitur. Vide Nic. Heinsium ad Velleii Paterculi lib. I, cap. IX, 4.

14. *In tua id quidem potestate est.* Revocavi (extrita vulgata hacce « in tua id, inquit potest. e. ») lectionem Victorii, Pal. pr. tert. quart. quint. Vatic. Fabr. Palat. secund. « id in tua quidam pot. e. » Gebhard. — *In tua id quidem potestate est.* Sc. non duci, nam mori tibi licet. Neid. — Huc

die, quum de ipsa morte quæreremus; non pauca etiam postero, quum ageretur de dolore, sunt dicta de morte : quæ qui recordetur, haud sane periculum est, ne non mortem aut optandam, aut certe non timendam putet.

XLI. Mihi quidem in vita, servanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur[1] : « Aut bibat, inquit, aut abeat ». Et recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi; aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum[2] incidat, ante discedat. Sic injurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Hæc eadem, quæ Epicurus, totidem verbis dicit et Hieronymus[3].

119 Quod si ii philosophi[4], quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat, omneque, quod honestum nos, et laudabile esse dicimus, id illi cas-

consilium non audiit Perseus, sed a Paullo Æmilio per Romam in triumphum ductus est.

XLI. 1. *Obtinetur.* Davis. scribit *obtinet.* Ita, inquit, omnino legendum, ut nos edidimus; id quod flagitavit latini sermonis ratio. — Wolf. Schütz. et Neid. *obtinet.* — *Aut bibat, inquit, aut abeat.* Alludit ad græcum illud : ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. Ursin. — *Aut bibat.* In Græcis est παρονομασία, quæ dictum reddit elegantius. Πῖθι, inquiunt, ἢ ἄπιθι. Sic enim dixerunt, πίε vel πῖνε, ut Athenæus quoque ostendit lib. X. Cam. — Si plura velis de his verbis ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, vide Des. Erasmum Adag. Chil. I, Cent. X, 47.

2. *Ne sobrius in violentiam vinolentorum.* Bak. habet « vinolentiam multorum »; Balliol. autem « multorum violentiam ». Ipse quidem vulgatam retineo lectionem, quod etiam Reg. et Pithœan. faciunt : nam, quod ait Mnesitheus apud Athenæum, lib. II, pag. 38 : Τοῖς μὲν μέτριον πίνουσι καὶ κεκραμένον Εὐθυμίαν φέρει, ἂν δ' ὑπερβάλλῃς, ὕβριν. Euripides ibidem : Πληγὰς ὁ κῶμος λοίδορόν θ' ὕβριν φέρει. Vide et pag. 38, E. Alexis apud eumdem lib. X, pag. 421 : .... Φιλεῖ γὰρ ἡ μακρὰ συνουσία Καὶ τὰ συμπόσια τὰ πολλὰ καὶ καθ' ἡμέραν, ποιεῖν Σκῶψιν· ἡ σκῶψις δὲ λυπεῖ πλεῖον ἢ τέρπει πολύ. Τοῦ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίνετ', ἂν δ' εἴπῃς ἅπαξ, Εὐθὺς ἀντήκουσας· ἤδη λοιδορεῖσθαι λείπεται, Εἶτα τύπτεσθαι δέδεικται καὶ παροινεῖν ... Sic recte distinxit hos versiculos magnus ille Grotius Excerpt. pag. 581. Adisis et Horatium, lib. I, Od. XVIII, 7, ac Lucianum in Dial. Junonis et Jovis, tom. I, pag. 216. Dav.

3. *Dicit et Hieronymus.* Reg. Pith. et Med. « dicit Hieronymus ». Forte « dicet Hieronymus ». Dav. — Schutz. et Neid. *dicit Hieronymus.*

4. *Quod si ii philosophi.* In vulgatis est « quod si iis », vel « his philo-

sum quiddam, et inani vocis sono decoratum esse dicant; et tamen semper[5] beatum censent esse sapientem : quid tandem a Socrate et Platone profectis philosophis[6] faciendum putes[7]? Quorum alii[8] tantam præstantiam in bonis animi esse dicunt, ut ab his corporis et externa obscurentur[9]; alii[10] autem hæc ne bona quidem ducunt, in animo reponunt omnia. Quorum controversiam solebat, tamquam honorarius arbiter[11], judicare Carneades. Nam quum, quæcumque bona peripateticis, eadem stoicis commoda viderentur; neque tamen peripatetici plus tribuerint divitiis, bonæ valitudini, ceteris rebus generis ejusdem, quam stoici : quum ea, re, non verbis ponderarentur; causam esse dissidendi[12] negabat. Quare hunc

sopbis », de quo Ursinus : Satis imperfecte. Ego mallem : « quod si ii philos. » Et infra (in fine sententiæ) : « dicant attamen semper ». — Gebhardus dat quoque « ii philosophi », sequutus Lambinum, et a prima, sec. quart. Vatic. amplius invitatus. — Scil. Epicurei. Nam.

5. *Et tamen semper beatum.* Vel cum Lambino Bentleioque delenda est vox prima; vel leg. *attamen*. Dav. — Etenim quum ordo constructionis sit, « quod si ii philosophi ... censent », nullus conjunctioni locus est : eam Wolf. Schütz. delent : Neid. uncis includit.

6. *Profectis philosophis.* Manut. Lambin. « perfectisque philosophia ». Quam lectionem Gebhard. carpit, tamquam Ciceronis loquendi consuetudini parum consentaneam, atque *profectis* post Gulielmum, quia sic est in Vatic.

7. *Faciendum putes?* Davis. e Reg. Pith. Med. Balliol. aliisque codd. dedit *faciendum, vides*, sed nemo eum sequutus est.

8. *Alii.* Peripatetici et Academici. Nam.

9. *Ut ab his corporis et externa obscurentur.* Sic Balliol. Med. et veteres editi. Vulgo « ut ab his corporia externa observent ». Reg. et Pithœan. « corporis et externa observant » : unde Cl. Bentleius legit « corporis et externa obruantur ». Dav. — Ern. Oliv. Wolf. Schütz. et Neid. *obscurentur.*

10. *Alii.* Stoici.

11. *Honorarius arbiter.* Sic vocant eum, quem honoris causa deligunt atque constituunt controversiæ suæ judicem. Nam.

12. *Dissidendi.* Iterum hic Gebhardus, repudiatis frugibus, glande pascit lectorem. Quum enim Victorius, ipse quoque codicibus suis nimium addictus, *desiderandi*, nescio quo consilio in textum recepisset; idque Gebhardus in suis invenisset, sine dubitatione admisit, securus recto talo stet sententia, an cadat. Nam, proh hominum fidem! quid est, si hoc non est, bonos auctores corrumpere, et lucem rebus eripere? Siccine hanc

locum [13] ceterarum disciplinarum philosophi quemadmodum obtinere possint, ipsi viderint: mihi tamen gratum est, quod de sapientium perpetua bene vivendi facultate dignum quiddam philosophorum voce profitentur.

121 Sed quoniam mane est eundum [14], has quinque dierum disputationes memoria comprehendamus. Equidem me etiam conscripturum arbitror. Ubi enim melius uti possumus hoc, cuicui modi est [15], otio? Ad Brutumque nostrum hos libros alteros [16] quinque mittemus; a quo non modo impulsi sumus ad philosophicas [17] scriptiones, verum etiam lacessiti. In quo

litem dijudicaverit Carneades Academicus, ut *bonam valitudinem*, integritatem sensuum, neget esse *desiderandam?* Quin ipsi Stoici sumenda, eligenda esse dicebant, etsi non propter se. De eo nulla erat controversia, sed quod res ejus generis Peripatetici bona appellarent, Stoici contra præposita tantum dicerent, vel præcipua vel commoda, in bonis minime numerarent. Hanc litem sic dirimebat Carneades; ut re eos consentire diceret, verbis modo discrepare. Revocanda igitur est lectio priorum editionum, quam tuus ille codex confirmat: « Quum ea re, non verbis, ponderarentur, causam esse dissidendi negabat ». Quid magis aperte verum? quid retulit in scirpo nodum quærere? Cf. Fin. IV, 26, ubi eadem iisdem fere verbis dicuntur. Bentl. — Davisius Bentleium sequitur, *dissidendi* in Eliensi nactus, idemque faciunt Ern. Oliv. Schütz. et Neid.

13. *Hunc locum*. Quomodo scilicet singulæ philosophorum sectæ in bonorum æstimatione consentiant aut dissentiant. Neid. — Errat Neid. ut nobis videtur; sensus est hic: Tullius ostendit Peripateticos et Stoicos re consentientes, verbis solum discrepantes, jure et merito e suis principiis ducere sapientem semper esse beatum. Nunc addit: nescio quomodo ceteri philosophi, ii præsertim qui bonum in voluptate ponunt, convenienter his principiis statuere, et obtinere possint sapientem semper esse beatum: hoc ipsi videant; tamen mihi gratum est idem dogma eos profiteri, etiamsi id non possint sine inconstantia, quoniam hoc ipso magis ostenditur dogmatis veritas in quo vel ii consentiunt, qui de ceteris discrepant.

14. *Mane est eundum*. Abeundum a villa Tusculana; hoc forsan de auditore solo dicitur, qui villa excedere debebat mane crastino.

15. *Cui cuimodi est*. In Cantabr. et vett. editis est *cujusmodi est*, quod alteram vocem latinam non esse censebant imperiti librarii. De hac multis egit J. F. Gronovius ad A. Gellii lib. II, cap. 8. Eum vide. Dav.

16. *Hos libros alteros*. Præter jam missos libros de finibus. Neid.

17. *Impulsi sumus ad philosophicas scriptiones*. Davisius scribit *philo-*

quantum ceteris profuturi simus, non facile dixerimus: nostris quidem acerbissimis doloribus, variisque et undique circumfusis molestiis alia nulla potuit inveniri levatio [18].

sophas, observatque: Nonius in *lacessere* et *scriptio* dat *philosophiæ scriptionem* et *scriptiones*. Multi codd. *philosophicas scriptiones*. At recte recepta est lectio, quam præstant Ursin. Pall. sec. quart. aliique libri. Sic φιλόσοφον σύγγραμμα, σπουδὴν, ὑπόθεσιν, λόγον, μέθοδον, etc. passim dicunt Græci. Vide modo Synesium Dion. pagg. 35, 36, 38, 48, et Theodoretum Hær. Fab. lib. II, cap. 3. Origenes in Celsum lib. I, pag. 50, de Phædone: Ἀπὸ οἰκήματος, inquit, ΕΤΕΙΟΥ αὐτὸν μετήγαγεν εἰς φιλόσοφον διατριβὴν ὁ Σωκράτης. Vox ἐτείου nihil significat. Lego ἔτι νέον αὐτόν. Pacuvius apud A. Gellium N. A. XIII, 8: « Ego odi homines ignava opera, et philosopha sententia ». Cui quidem dicto lubens assentior, et simul his in Tusculanas curis finem pono. — Wolf. Schütz. cum Davisio faciunt.

18. *Potuit inveniri levatio*. Cf. de de N. D. lib. I, § 9. Nein.



TABULA

RERUM

QUÆ IN CICERONIS TERTIÆ PARTIS TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS TERTII VOLUMINIS.



Conditions de la Seconde Souscription.

La collection complète des *Classiques Latins* se compose de 150 gros volumes grand in-8 beau papier, imprimés par Didot, et entièrement publiés, à 4 fr. 50 c. le volume; total : 675 fr. au lieu de 1981 fr. 50 c., prix de la première souscription.

Les livraisons seront de 2 ou 4 volumes tous les dix jours, ou d'un plus grand nombre, au choix des souscripteurs. On versera, en souscrivant, 9 fr. imputables sur les deux derniers volumes. Pour les départements et l'étranger, chaque ballot de 10 volumes coûtera en sus pour l'emballage 50 c., et 75 c. pour 20 volumes; le port à la charge du souscripteur.

En prenant dès à présent livraison de toute la collection, les 150 volumes ne coûteront que 625 fr. y compris emballage et port pour la France; 330 fr. pour chaque moitié, et 170 fr. pour chaque quart de la collection.

Après les 25 premiers souscripteurs le prix sera porté à 6 fr. le volume.

Vu le petit nombre d'exemplaires on ne servira que les 50 premiers souscripteurs à la collection complète.

Quelques exemplaires des divers auteurs se vendent séparément au prix de :

vol.		fr.		fr.
1	Catulle,	6	au lieu de	16.
20	Cicéron,	100	—	365.
3	Claudien,	11	—	37.
1	Florus,	6	—	13.
3	Horace,	18	—	38.
1	Justin,	6	—	16.
3	Juvénal et Perse,	16	—	40.
2	Juvénal seul,	13	—	32.
3	Lucain,	16	—	38
3	Martial,	16	—	48
10	Ovide,	60	—	125.
1	Les Métamorphoses en grec,	6	—	16.
2	Phèdre,	12	—	37.
4	Plaute,	24	—	61.
15	Pline l'ancien,	65	—	186.
2	La zoologie avec notes de Cuvier,	12	—	30.
2	Pline le jeune,	10	—	25.

vol.		fr.		fr.
1	Properce,	8	au lieu de	16.
3	Quinte-Curce,	17	—	50.
7	Quintilien,	35	—	94.
10	Sénèque, phil. et trag.	50	—	140.
2	Silius Italicus,	10	—	32.
4	Stace,	20	—	61.
2	Suétone,	14	—	36.
3	Térence,	16	—	38.
1	Tibulle,	6	—	16.
13	Tite-Live,	65	—	163.
2	Val. Flaccus,	10	—	27.
3	Val. Maxime,	13	—	35.
1	Vell. Paterculus,	6	—	16.
8	Poetæ minores,	36	—	113.
4	César.		Ne se vendront pas séparément.	
1	Corn. Nepos,			
1	Salluste,			
6	Tacite,			
9	Virgile,			

SOUS PRESSE ;

T. LUCRÈCE, servant de complément à la Collection.

2 VOLUMES, qui seront livrés aux souscripteurs à la collection complète, au prix des autres volumes.

N. B. Quelques volumes incomplets de la première souscription circulant dans le commerce, on ne garantit que les exemplaires revêtus de la présente couverture et provenant de la seconde souscription.

Imprimerie de H. Fournier et comp., rue de Seine, 14.

